

R. 4670
Coll. Rom. Soc. Jesu cat. inter. B. S. Abacria

DE
LIBERTATE
CHRISTIANA


LIBRI QVINDECIM.

Del Colegio de la Compañia de Jesus de Granada
Auctore IOANNE LENS AEO
BELLIOLANO, sacrae Theologiae
Louanij Regio Professore.



ANTVERPIAE,
Ex officina Christophori Plantini,
APVD VIDVAM.
M. D. XC.

Cum Privilegio.



2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
1

R. 4670
Coll. Rom. Soc. Jesu cat. inser. B. S. Abacria

DE
LIBERTATE
CHRISTIANA

LIBRI QVINDECIM.


Del Colegio de la Compañia de Iesus de Granada
Auctore IOANNE LENS AEO
BELLIOLANO, sacrae Theologiae
Louanij Regio Professore.



ANTVERPIAE,
Ex officina Christophori Plantini,
APVD VIDVAM.

M. D. XC.

Cum Privilegio.



ADMODVM REVERENDIS,
PIIS, ET ERVDITIS VIRIS,
*ac Dominis, D. Decano, totiſque Capitulo
Cathedralis Eccleſiæ Tornacenſis*
Ioannes Lensæus S. D.



TITIVS apud Ciceronem,
Ornatiss. Domini, cum Var-
ronis musas aliquando mu-
tas esse quereretur, aut si non
conticesceret ille omnino, tamen scribi
diceret ab eo quæ celari vellet: respon-
dit Varro hæc audiens, quod erat homi-
ne non erudito solum, verumetiam pru-
dentia præstanti dignissimum, Intem-
perantis esse ea scribere, quæ cuperet oc-
cultari. Id quod ego secutus, cum hosce
de vera libertate, hoc est, Christiana, li-
bros compluribus abhinc annis confe-
cissem, non putavi committendum esse,
ut perpetuis obruti tenebris, sine cuius-
quam fructu iacerent, verum enitendum
potius, ut relecti & recogniti, legitima-
que censura cõprobat, exirét in lucem,

EPISTOLA

cum spe utilitatis eius, quæ percipi ex eorû lectione, eruditorû iudicio, posse videretur. Cùm enim alij passim multi variis actionum curarumque generibus rem Christianam promoueant, æquum erat, vt eâdem nos, qui ab actione secularique negotiis affectus nostros longiùs semper remouimus, literis saltem studiisque nostris, quoad fieri posset, iuua-remus. Nam & hoc pacto tenetur à nobis, quod ij qui de officiis scripsere præcipiunt, vt studiis officiisque scientiæ ea præponamus quæ sunt iustitiæ, quæque pertinent ad hominum utilitatem, qua nihil homini esse debet antiquius. Cuius quidem rei Cicero, Reipub. amantissimus, tãtam voluit haberi rationem, vt quamquam Platoni suo plurimum tribueret, tamen videndum esse mone- ret, ne nō id esset satis quod apud illum reperiretur in Philosopho dictum, Pro- pterea iustos esse eos, quòd in veri inue- stigazione versentur, quodque ea quæ plerique vehementer expetant, de qui-

bus

DEDICATORIA.

bus inter se digladiari soleant, contem- nant, & pro nihilo ducant. Nimirum animaduertebat, ex variis hominum generibus qui scire desiderant, id solum probandum, solumque id in studiorum suorum laboribus verã iustitiæ laudem mereri, quod scire cuperet vt prodesset. Nam qui propterea in veri inuestiga- tione versantur, & scire volunt dũtaxat vt sciant, vel ob id potissimum vt scian- tur, Persiano scilicet illo delectari,

Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter:
aut qui se ita totos in literas abdiderūt, vt nil possint ex his neque ad communẽ afferre fructum, neq. in adspectum lu- cemque proferre, quantumlibet discẽdi studio opes dignitatesque repudient, nequaquam ij iustitiæ nomine laudãdi, sed vt præposteri vanique potius aut superbi ridendi sunt. Quamobrem & Aristoteles voluit liberalibus disciplinis non nimis indulgendum neque immo- randum penitus, civilem hominum vitam utilitatemque respectans. Etenim

3

qui

EPISTOLA

qui totus speculationi ac literarum illecebris immerfus est, is quidem sibiipfi potest esse iucundus, at aliis certè parum utilis est aut princeps aut priuatus. Et si autem, cum quid est euulgatum, utilitate legendi proposita, non sit in nostra potestate à quibus legatur, permultum tamen interesse video, à quibus id maxime legi cupiamus. Et Caius quidem Lucilius, homo quòdam doctus & perurbanus, dicere solebat, ea quæ scriberet, neq. ab indoctissimis, neq. à doctissimis legi velle: quòd alteri nihil intelligerent, alteri plus fortasse quàm ipse de se. Iure quidem ille hominum indoctissimorum iudicia fugiebat, quòd *Æsopico gallo* similes, ignorato rei pretio, facile contemnunt quod non intelligunt. Cæterum ea quæ satis erudire & politè, satisque prudenter se scripsisse confideret, cur nollet doctissimorum hominum subire iudicium, nondum equidem ei rei gratiam satis ac iustam subesse video rationem. Tametsi enim quibusdam locis

DEDICATORIA.

locis plus fortasse illi videant quàm ipse qui scripsit, tamen & dissimulant patientius, pro sua modestia, qui non ignorent quanto sæpe labore verum inueniatur, & animaduertant multa, vnde non dedignentur ipsi fieri doctiores. Qui enim ita se putat doctrinæ ornamentis excultum & absolutum, vt aliunde sibi nihil existimet posse accedere, is non modò doctissimorum in numero habendus non est, sed ne in eruditorum quidè collegium adsciscendus. Est etiam iudicij testimoniique grauior auctoritas, si ea quæ leguntur, contigerit doctissimorum hominum calculis approbari. Quod adedò nonnullis satisfecit scriptoribus, vt vel *Vnius* cuiuspiam ex eo ordine viri iudicium, cæterorum omnium contemptioibus anteponerent. Notum enim illud est de *Antimacho* Poëta clarissimo, qui cum, cõuocatis auditoribus, legeret eis suum poëma, & eum legentem omnes præter *Platonem* reliquissent, Legam, inquit, nihilo

EPISTOLA

nihilo minus, Plato enim mihi vnus instar est omnium. Fit igitur, vt quod multi vel negligunt per ignauiam, vel per arrogantiam contemnunt, doctissimi quidam, quò ad interiora penetrèt, & vndelibet cum voluptate proficiant, admirentur. Denique siue plus, siue minus, siue idem præstet qui legit, laudare debet vel inferiorem, vel superiorem, vel parem. Superiorem, quia nisi laudandus ille est, nò possit ipse laudari; inferiorem aut parem, quia pertineat ad ipsius gloriam, quàm maximum videri quem præcedat vel exæquet. Neque tamen eos qui scribunt, ita aut sensu stupidos, aut confidentia inuerecundos esse volumus, vt quidlibet, quamuis malè natum, audeant obtrudere, aut in iis quæ scripta etiam sunt accuratiùs, nihil omnino pertimescant. Sunt quibusdã, licet silentibus, præclarè limata iudicia, sunt interiores illæ literæ, quibus & ipse Latini sermonis princeps à Volumnio sæpe verecundiorem se in loquendo

DEDICATORIA.

quendo fieri fatebatur. nec est de nihilo quod versificator egregius, cùm Imperatori Augusto bene elaboratum carmen offerret, sui tamen alicuius timoris significationem dederit eiusmodi verbis:

*Pagina iudicium docti subitura mouetur
Principis.*

Et tamen nò impediuit eum hic timor, quo minùs homini non modò summa prædito potentia, verùm etiam magna eiusdem artis cognitione præstanti, legendum carmen suum exhiberet. Itaque nec me timor (quem si non vnus, certè multorum perspicaces oculi non immeritò faciant) ab hoc literario munusculo reuocauit, sed inuitauit ea potiùs Collegij vestri species, quæ ex variis virtutum doctrinarumque generibus pulcherrimè conflata consurgit. in qua nec Theologiæ sublimitatem, nec sacri peritiam Iuris, nec popularem concionandi gratiam, nec literarum politiam atque ornamenta quisquam desideret.

EPISTOLA

Quam illustriorem insuper reddunt prudentia in senibus, in iunioribus modestia, in moribus disciplina. Inuitavit præterea Collegij societas: quod tametsi per se ipsum clarum satis sit ac venerabile, aliquo tamen lucubrationum nostrarum fructu cōdecorandum esse iudicavi. Non quòd placerem in eo sic mihi, ut ad id magnam habere vim aut momentum arbitrarer, sed ut animum saltem ad communem Ecclesiam exornandam mihi non defuisse, testatum hoc pacto relinquerem. Simul, ne cæteris officio suo probè strennueque fungentibus, vnum in me membrum otiosum fuisse videretur. Quam quidem maculam à tam præstanti Collegio studiosissimè arcendam esse, quis non existimauerit? Turpe enim sit, ignauo vel vnus otio societatem eam deformari, quæ & doctissimis in omni disciplinarum genere viris abundet, & in qua diuini cultus tanta habeatur ratio, ut quotidiani officij grauitas, Ecclesiarum

DEDICATORIA.

suarum aliarum sanè permultarum celebriores vincat & obscuret dies. Nec id quidem alienum à recta consideratione mihi esse visum est, si quod exstare cuperem coniunctionis confraternitatisque nostræ monumentum. Si enim à Marco Tullio non putauit Cælius ineptum esse petere, ut aliquod ad ipsum syntagma conscriberet, quo sic exstaret ex eius tam multis monumentis, quod ipsorum amicitia memoriam posteris quoque proderet; non existimaui inhonestum fore mihi, si tale quiddam vltro ipse lubensque detulissim. Istiusmodi igitur adductus sum rationibus, ut hos de Christiana libertate libros (posteaquam, ut in publicum proferrentur, constitutum fuit) vestro nomini inscriberem atque dedicarem. Sanè, ut si qui fortè sunt qui seruile sibi putent sic Ecclesiasticis adstrictum esse muneribus, hi, opinione mutata, veræ hoc ipsum potius libertatis esse cognoscant, sepiusque voluant animo, quod

EPISTOLA

quod vt celebratissima, ita verissima sententia dictum est : Seruire Deo, regnare est. Ac longiusculum hoc quidem opus est, propter amplitudinem argumenti maximam, sed commoda, vt equidem arbitror, distributione rerum, multa que varietate, non docere solum poterit, verum etiam, ni fallor, oblectare. Nam & pleraque completitur ex intima Theologia deprompta, & alia rursus ita popularia, vt ea nullius propemodum aures refugiant: & hæc suis ita locis explicata, vt cuiusque tractationis ratio postulare videbatur. Accessit non mediocre perspicuitatis studium, & cura etiam leuandi fastidij, interponendis iis quæ ab studiis humanioribus nihil omnino abhorreant. Tametsi enim docendo id potissimum agitur, vt appareat quod latebat, Si tamen, inquit Augustinus, hoc fiat insuauiter, ad paucos studiosissimos suus peruenit fructus, qui ea quæ discenda sunt, quamuis abiectè incul-

DEDICATORIA.

inculteque dicantur, scire desiderant. Quod cum adepti fuerint, ipsa delectabiliter veritate pascuntur: bonorumque ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba. Quid enim prodest clavis aurea, si aperire quod volumus non potest? aut quid obest lignea, si hoc potest, quando nihil querimus, nisi patere quod clausum est? Sed quoniam inter se habent nonnullam similitudinem vescentes atque discentes; propter fastidia plurimorum, etiam ipsa, sine quibus transigi vita non potest, alimenta condienda sunt. Idipsum & Basilius alia commendarat similitudine. Nempe enim, Vt plantæ, inquit, propria vis est fructum producere, afferunt tamen aliquem ornatum & frondes ipsæ circa ramos diffusæ: ita profectò & animæ proprius fructus est veritas, non inamœnum tamen, hac externa circumuestiri sapientia, quæ tanquam frondes & fructui quoddam præbeat tegumentum,

EPISTOLA

rum, & speciem intuentibus lætiores ostendat. Hoc igitur, quod tanti auctores ad hunc commendant modum, præstare conati sumus, quantum id quidem rerum natura patiebatur. Etsi enim, ut Orator censet eximius, nihil tam horridum, tam incultum, quod non splendescat oratione, & tamquam excolatur; non tamen æquè possunt omnia nitescere, & modò planiùs tractanda res est, atque ornatiùs, modò subtiliùs aut grandiùs. Id verò pro certo habetote, curæ mihi fuisse maximè hoc vnum, ut Ecclesiæ Christi Catholicæ communi publicæque doctrinæ quàm maximè consentanea traderem, nihilque esset vsquam vel dictum vel explicatum, quod non sanctæ Sedis Apostolicæ iudicio, omni animi submissione, eaque, qua par est, obedientia, subiectum vellem. Itaque hæc pro singulari humanitate vestra, communi que Collegij & confraternitatis vinculo, eo animo accipietis, quo à
me

DEDICATORIA.

me vobis offeruntur. Quod ut faciatis, quemadmodum valde exopto, ita etiam vehementer confido facturos.

Valete in Christo, colendissimi Domini, & Confratres mihi meritò charissimi. Louanij, Anno 1590. Ianuarij 3.

Ampliff. v. v. D. D.

deditissimus

**Ioannes Lensæus,
Belliolanus.**

DE
CHRISTIANA
LIBERTATE
LIBER PRIMVS.

PROOEMIUM.



QVONIAM libertatis amantes sumus omnes, nec quisquam est qui non in seruitute vitam sibi acerbam putet: quænam vera libertas, quæque maxime seruitus existimanda sit, digna mihi res esse visa est, in qua cognoscenda elaboretur. Præsertim cum & libertatis in diuinis literis mentio frequens occurrat, grauesque de ea sententiæ habeantur, & sub hoc blandissimo nomine iam olim soleat hostis noster infelicissimam seruitutem incautis fidelibus propinare. Non enim nescit iucundam esse mortalibus libertatem, cuius gratia compandæ, tot vrbium suasit euersiones, adeoque belluina inter homines sæpenumero bella commouit. Quemadmodum enim pacem homines sic amant, ut eam & grauissimis turbulentiissimisque bellis sibi querendam putent: ita nullam cuiuslibet incommodi seruitutem, nullum periculum aut facinus recusant, quo optata libertate potiantur. Vnde & illud est:

— *Natosq; pater noua bella mouentes*

Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit

Infelix, vicunque ferent ea facta minores.

Quantum versu consequenti consolatus est infelicem:

Vicit amor patriæ, laudumq; immensa cupido.

Hæc enim illa duo sunt, Libertas, & Cupiditas laudis humanæ, quæ ad facta compulere miranda Romanos.

Atque

Ioannis 8.

Qui facit peccatum, seruus est peccati.

2. Petri 2.


A quo quis denictus est, huic & seruus addictus est.

Ioannis 8.

Si vos Filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.



*Virg. lib 6.
Æneidos.*



Atque utinam pro vera libertate adipiscenda, vel paulo minor opera sumeretur! non tot miseranda preni seruitute omnis ætas videre cogeretur. Quod si pro libertate moriturorū, & cupiditate laudum, occidi filij à patre potuerunt: quid magnum est, si pro vera libertate, quæ nos ab iniquitatis, & mortis, & diaboli dominatu liberos reddit: non cupiditate humanarum laudum, sed charitate liberandorum hominum: non à Tarquinio Rege, sed à dæmonibus & dæmonum principe: non filij occiduntur, quod difficilius est, neque necesse est; sed terrena omnia pro nihilo ducuntur, & Christi pauperes inter filios computantur? Verùm plærique mortales cum & quid sit expetendum teneant generatim, & ubi hoc verum sit, magna cæcitate non videant; studij rotius cursusque errore labuntur. Sectantur omnes sanè libertatem; sed quæ sit tandem vera libertas, & ubi quærenda sit, perpauci intenta animi cura considerant. Est enim & falsa & fucata libertas, seu splendida seruitus, cuius vinculis dum se vltro multi ac libenter innectunt, nunquam miseram se seruitutē subiisse, nisi serè nimis intelligunt. Cuiusmodi hominibus tanquam cæca in nocte periculosè nimis errantibus, Evangelicæ & Apostolicæ prædicationis luce benignissimè sapientissimèque divina miseratio consuluit, veramque libertatem ostēdit. Cuius ratio quoniam perspecta satis esse nemini potest, nisi & conditionis primæ dignitas, & ruinæ seruitutis que in quam decidimus, magnitudo probè cognita habeatur: idcirco de varia multiplicique generis humani seruitute prius, post de libertate his in libris differendum nobis tractandumque putauimus: eo sanè duce atque adiutore qui nos in libertatem asseruit; de quo scriptum est, Si vos filius liberauerit, tunc verè liberi eritis.

CAPVT

Quod liber creatus homo, in miserandam seruitutem semet precipitauerit.



LIBEROS igitur nos condidit Deus, qui iustos rectosque creauerit: ipsamque hanc animi libertatem, in quadam etiam corporis dignitate voluit elucere: cum sit homo statura celsus, vultu decorus, cæsarie gratus, non in alium ceterorum animantium more prostratus; sed ipso naturæ iure sublimis, qui in cælum libero spectet obtutu, nulla captiuæ ceruicis seruitute depressus in terram. At dum ille suis inconsultius vitur bonis, euēnit quod Propheta deplorat: Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Quod non solum propter moriendi necessitatē scriptum est, quam in mundum, hoc est, in genus humanum, inuexit inobedientia, ut eam brutorum animantium in morem pateremur: verum etiam propter vitiosos ac brutos affectus, quibus ad pecorum similitudinem, quæ natura pronæ ventricque obedientia finxit, seruire homo cæpit: ut iam hoc videlicet audire debeamus, quod de Psalmis resonat: Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. In chamo & freno maxillas eorū constringe, qui non approximant ad te. Eam ob rem diuinæ literæ deprauatum vitis hominem, ac cælestis imaginis exutum ornamento, crebrò non hominem, sed aut serpentem, aut equum ad hinnientem feminis, aut vulpeculam, aut iumētum, feramve aliquam belluam vocare consueuerunt. Atque hinc omninò iuxta Salomonis sententiam, vnus exitus homini & iumento. Quidni enim, ait Bernardus, similiter exeat, qui similiter vixit? more bestiali incubuit terrenis, more bestiali excedet terris. Audi aliud. Quid mirum si similem

Ecclesiast. 9.

Serm. 82. de Cantica.

4 DE CHRISTIANA LIBERTATE

fortiamur exitum, qui & simile habemus introitum? unde enim hominibus nisi de similitudine bestiali, ille tam intemperatus ardor in coitu, tam immoderatus dolor in partu? Itaque homo in conceptu & ortu, in vita & in morte, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Quid? quod libera creatura, inquit, sibi subditum appetitum non regit vt domina, sed sequitur & obsequitur vt ancilla? nonne & in hoc se assimilatur & annumerat ceteris animalibus, quæ natura non in libertatem vocauit, sed condidit in seruitutem, suo vt ventri & appetitui obedit? Sic Bernardus. Et est ea quidem natura pecoris, suis vt affectionibus agatur ac motibus impellatur. Verum vt præclare dixit Augustinus, tantæ excellentiæ est in comparatione pecoris homo, vt vitium hominis, natura sit pecoris. Hoc igitur corruptæ naturæ vitio, quo in imagine similitudo illa Dei splendidissima deleta est, serui effecti sumus, & libertatem innocentiam naturalis (vt Diui Leonis verbis utar) in vno omnes amissimus. Primum enim hominẽ (ait Innocentius primus) ita libertas ipsa decepit, vt dum indulgentius franis eius vitur, in prævaricationem præsumptione concideret. neque ex hac potuit erui, nisi ei prouidentia regenerationis. statum pristinæ libertatis, Christi Domini reformasset aduentus. Hic libertatem, inquit Ambrosius, quam primò illi Adam tribuerat, reformauit, vt esset hominum genus sine lege seruitutis.

CAPVT II.

Quenam quantaq; sit peccati seruitus.

OMNIS autem hæc seruitus, quam primi culpa superbiaque parentis, genus vniuersum incurrit, tripartita est: propter peccati, mortis, ac diaboli dominatum; quibus vero & naturali Domino derelicto, tanquam alienis dominis, contra naturam mancipari cæpit.

cæpit. Sic enim & iure civili definita seruitus est, vt ea sit qua quis alieno domino contra naturam subijcitur. Et prima quidem hæc verissimaque seruitus est, vitio parere, & eò quod impulerit cupiditas, voluntate ferri. Quæ pars seruitutis, habet imprimis nobilissimæ mentis indignissimam captiuitatem. Quid enim indignius magisque contra naturam? quid turpius, quam id voluptatum illecebris inescatum & caprum fieri mancipium vitio: um, quod cum in homine principatum obtineret, ac velut in arce collocatũ & summum esset, dominari potius ac regere decuerat? Nam præter illas ignominiosas perturbationes (inquit Basilius) quibus plurimi eorum qui voluptatibus dediti sunt, student; etiam rebus iis quæ vitæ huic inseruiunt, animæ præstantiam inflectunt, ac eam quasi in seruitutem quandam carnis adducunt. Vbi autem seruitus, inquit, ibi ignominiam esse patet. Atque alio in loco, Cur, inquit, prauorũ affectuum animam facio seruam, cum ipsi à suo creatore Deo concreditus sit principatus quo regere ac moderari debeat corpus, affectionesque corporis omnes? Ac huius quidem indignitatem seruitutis, Propheta Hieremias non tacuit in oratione, in qua mysticis verbis (auctore Diuo Hieronymo) spiritualis animæ ruina vastatioque describitur. Serui, inquit, dominati sunt nostri, nec fuit qui redimeret de manu eorum. Deinde vt cætera huius seruitutis incommoda breuibas perstringam; nonne feliciter seruitur homini quàm libidini, cum sæuissimo dominatu valtet corda mortalium vel vna libido dominandi? Quæ res nec gentilem Oratorem latuit: qui cum philosopharetur aliquando, velletque omnes leues, omnes cupidos, omnes deniq. improbos seruos esse docere; neque hoc tam re esse quàm dictu inopinatum atque mirabile, inter cætera, Quid iam illa cupiditas, ait, quæ videretur esse liberalior, honoris, imperij, prouinciarum? Quam dura

*Instit. lib. 1.
Titulo 3. de
iure personarum.*

*In oratione
24. de morte.*

In Psalm. 101.

Cicero in Paradoxi.

*Cap. 40. lib. de
peccato origin.*

*In Epistola
Celestini pro
Prospero &
Hilario, cap. 7.*

Lib. 3. in Luc.

dura est domina? quàm imperiosa? quàm vehemens? Itaque fit vt ea cupiditas durissimo seruitio premar, quæ maximè est auida libertatis. Cætera quoque tum præsertim cùm inualuerint, longaque possessione hominem tenuerint, atterunt vehemèter naturæ bonum, & ea quæ adhuc remanserunt ornamēta, conspurcant, animique lumen extinguunt. Quis verò iam explicet quàm sit seruitutis hoc genus miserabile? plerunque enim homines cùm dominos patiuntur asperos, venales se præbent, non quærentes non habere dominum, sed saltem mutare. Seruus verò peccati quid faciat? quem interpellat? cui se venalè ingerat? Seruus quoque hominis, aliquādo sui domini duris fatigatus imperiis, fugiendo requiescit: seruus verò peccati, quò fugiat? secum profectò se trahit quocunque fugerit, non enim effugit se ipsam mala consciētia; non est quò eat; sequitur se, imò non recedit à se. Etenim peccatum quod facit, intus est. Fecit quis peccatum vt corporis aliquam caperet voluptatem? voluptas trāsīt, peccatum manet. præterit quod deletabatur, remansit quod pungat. *Habet hoc voluptas omnis, Stimulus agit fruētes; Apumq̄, par volantum, Vbi grata mella fudit, Fugit, & nimis tenaci, Ferit ic̄ta corda morsu.* Itaque, vt ille ait, & cùm cupiditatum dominatus excesserit, alius dominus exoritur ex cōscientia peccatorum, timor: duram ille quoque & miseram efficiens seruitutem. Nihil enim, inquit D. Ambrosius, tam specialis seruitutis est, quàm semper timere. Rectè & alius scripsit:

*Quo melior seruo, quo liberior sit auarus,
In triuis fixum cùm se demittit ob assem,
Non video. nam qui cupiet, metuet quoque: porro
Qui metuens viuēt, liber mihi non erit vnquam.*

Postremò quàm huius vincula seruitutis implicatam teneant voluntatem, Sapiens in Prouerbiis expressit, cùm à muliere nos aliena reuocans, dicit: Inclinata est enim

enim ad mortem domus eius, & ad inferos semitæ ipsius. Omnes qui ingrediuntur ad eam, non reuertentur: nec apprehendent semitas vitæ. Quod secundum ipsum peccati pondus dictum esse, D. Augustinus interpretatur: vt qui reuertuntur, non se putent iis vinculis atque implicamentis, quibus eos peccatum irretierat, expediri potuisse, nisi Dei singularis misericordia subuenisset. cui dicitur: Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiã laudis, & nomen Domini inuocabo. Cuius etiam alio loco sic gratia commēdata est, vt diceretur: Dominus soluit compeditos, Dominus illuminat cæcos, Dominus erigit elisos, Dominus diligit iustos. Quocirca de hac seruitute dictum à Domino est: *Qui facit peccatum, seruus est peccati.* A quo enim quique superatus est (inquit B. Petrus Apostolus) huius & seruus est. nam quisquis à domino suo se peccando alienat, hoc meretur vt sub peccati iugo relinquatur. Sub eo verò iustissimo Dei iudicio derelictus, non modò seipsum non potest suis viribus eripere atque in libertatē vindicare; sed efficitur magis magisq̄, captiuus, de peccato prouens in peccatū, pluraque sibi quotidie vincula nectens, quibus infelicissimè firmissimèq̄. teneatur. Peccatis enim quisque suis (ait Sapiens) quasi funiculis constringitur. Eoque & per Isaiam dicitur quibusdam: *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculū plaustrī peccatum.* Sicut enim trahit indomita vitula lorum iugi, quæ etiã nō teneatur à proximo, tenetur tamen, nec se explicat & absoluit: ita trahit vnusquisque peccator indomitis moribus iniquitates; & quanquam se liberum putet, tamen magis magisque & ipse se implicat suorum nexibus delictorum, longoque trahit fune peccatum. Hęc sunt igitur vincula quibus anima constringitur, etsi sibi videatur libera. Sic de suis peccatis ligantur homines, & mittuntur in tenebras exte-

In Psal. 72.

1. Tim. 8.

Prouerb. 5.

1. Tim. 5.

*Vide Senecam
Epist. 105.
cur nihil pro-
sint peregrī
nationes ad ve-
rã libertatem.*

*Bōtius lib. 3.
de Consolat.
Philosophia,
meto 7.
Cicero in Pa-
radoxis.*

*Cap. 4. lib. de
Ioseph Pa-
triarcha.*

*Horat. lib. 1.
epistolarum,
epistola 16.*

Cap. 2.

Sententia 164. riores. Hinc igitur illa apud D. Prosperū sententia est: Nomen & conditionem seruitutis, culpa genuit, non natura: & prima huius subiectionis causa peccatū est. Quia sicut scriptum est, Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati: Vnde melior eius status est, qui famulatur homini, quā qui suæ seruit cupiditati. Bonus enim, inquit Augustinus, etiam si seruiat, liber est: malus autem etiam si regnet, seruus est: nec vnus hominis, sed, quod est grauius, tot dominorū, quot vitiorū. Seruiebat Ioseph, regnabat Pharaon, inquit Ambrosius; beator huius seruitus, quā regnum illius. Seruile enim, vt idem ait, omne peccatum, libera est innocentia. Misericiores sunt igitur infelicioresque, qui vel in plurimos dominantur, his ipsis quos dura tyrannide premūt. Id quod apud Seuerinum Boëtium istiusmodi versibus eleganter expressum est:

<i>Quos vides sedere celso</i>	<i>Hinc enim libido versat</i>
<i>Solij culmine Reges,</i>	<i>Auidus corda venenis;</i>
<i>Purpura claros nitente,</i>	<i>Hinc flagellat ira mentem,</i>
<i>Septos tristibus armis,</i>	<i>Fluctus turbida tollens:</i>
<i>Ore toruo comminantes,</i>	<i>Mæror aut captos fatigat,</i>
<i>Rabie cordis anhelos;</i>	<i>Aut spes lubrica torquet.</i>
<i>Detrahat si quis superbis</i>	<i>Ergo cum caput tot vnum</i>
<i>Vani tegmina cultus,</i>	<i>Cernas ferre tyrannos,</i>
<i>Iam videbit intus arctas</i>	<i>Non facit quod optat ipse,</i>
<i>Dominos ferre catenas.</i>	<i>Dominis pressus iniquis.</i>

Epistola 114. Itaque Alexander, ait Seneca, Persas, & Hircanos, & Indos, & quicquid gentium vsque in Oceanum extendit Oriens, vastabat fugabatque: sed ipse modò occiso amico, modò amissò, iacebat in tenebris, aliàs scelus, aliàs desiderium suum mœrens. Victor tot Regnum atque populorum, iræ tristitiæque succubuit. Id enim egerat, vt omnia potiùs haberet in potestate quā affectus.

Vide Chrysof. homil. 18 in cap. 6. prioris ad Timoth.

CAPVT III.

Non sic valere & premere peccati seruitutem, vt peccatum esse dicendum sit quicquid peccati seruus facit.

NON sic tamen peccati dominatus, siue ea quæ dicitur sub peccato seruitus, accipienda est, quo modo eam Calvinus accipit; vt peccatum sit omne id quod peccati seruus facit. Neque enim tyrānis peccati quamuis magna est, aut omne naturæ bonum euerit, aut si quis semel gratiæ beneficio liberatus, iterum in peccati se dimisit seruitutem, ita hæc suscepta Dei munera foras expellit, vt nullum ex iis operis boni principium superesse patiat. Horum enim propter alterum, id est, propter naturalis boni quasdam reliquias, hominum etiam infidelium honesta cognoscuntur officia: quæ vel clementer in miseros, vel liberaliter in pauperes, vel pie in parentes, vel pro patria fortiter, vel pro seipsis temperanter aut prudenter exercent. Quæ tamen verè virtutes non sunt, quas de fidei radice surgere, & à charitate ceu virtutū forma quadam perfici necesse est; nec verè & absolutè bona seu fructus boni, quos nemo facit nisi qui in vite mæserit: sunt tamen tanquam informes quidam virtutum fœtus, à naturæ bono procreati, & ex amore honesti bonique profecti. Quem amorem non necesse est per singula domināte cupiditate vel etiam infidelitate, labem contrahere; vt quicquid agitur, ad illegitimum detorqueatur finem. Sicut enim charitas non omnia producit aut perficit opera illius in quo inest: sic nec cupiditas vniuersas inficit actiones eius in quo ipsa dominatur. Ac sicut iniustum non necesse est omnia iniuste, aut imprudenter omnia imprudenter agere: ita nulla postulat necessaria ratio, vt infidelis omnia infideliter operetur. Qui tamen cum ita est infidelis, vt etiam verū Deum ignoret, nō ei suis operibus seruiat, nec eius per omnia gloriam

Lib. 2. cap. 3.

Iaan. 15a

gloriam quærat; & ideo careant officia eius ea præstantia, quam propriè requirit Christiana professio atque perfectio: tamen in quantum prælucentem sequitur interdum naturæ sciintillâ, atque impulsu quodam naturali agitur, peccato non seruit. Aliud quippe est, quid in aliquo opere desideres ad meritum, aliud quid ponas ad vitium. Et alia est, inquit sanctus Leo, conditio operum cælestium, alia terrenorum. Mundana beneuolentia in iis quos adiuuat, habet finem: Christiana pietas in suum transit auctorem, dum in ipsum dicamur benigni, quæ in nobis fatemur operari. Ideoque licet illa sua laude fraudanda non sit, si propter ipsius naturæ communionem inuando homini ab homine præbeatur; quia tamen non ex fidei procedit fonte, ad præmia æterna non peruenit. Ac dicit quidem beatus Apostolus: Coinquinatis & infidelibus nihil est mundum. Sed si hoc est ad opera illorum singula referendum, & non ad ipsas res potius, quibus per infidelitatem abutuntur; sequetur, nullum esse iusti hominis opus quod sit immundum: cum dicat idem Apollolus, Omnia munda mundis. mundi autem proculdubio, iusti sunt: quorum omnia scilicet opera si munda sunt; ubi illud erit alterius Apostoli, In multis offendimus omnes: Et, Si dixerimus quia peccatû non habemus? Est etiam in Euangelio, Si fuerit oculus nequam, totum corpus fore tenebrosum: sed totum hoc corpus quod ab illa praua intentione dirigitur; quo modo si fuerit oculus simplex, totum erit corpus lucidum: & tamen vitiosas esse constat aliquas iustorum actiones. Sicut autem omnia munda mundis, id est, rectè sanctæque uentibus; & è diuerso coinquinatis & infidelibus nihil mûdum, hoc est, per infidelitatem cordisq. immûditiam abutentibus: ita omne quod à fide proficiscitur, quæ operatur per dilectionem, rectum & sanctum est: omne uerò quod non est ex fide, id est

(quo-

(quomodo interpretatur Augustinus) quod ab infideli procedit stultaque & noxia uoluntate, peccatum est. Quamuis igitur necesse esset, uti uidetur esse necesse, omnem quidem hominem aut Dei seruum esse, aut diaboli; & uel peccato seruire, uel iustitiæ (Qui enim, inquit Augustinus, noluerit seruire charitati, necesse est ut seruiat iniquitati:) nō tamen horū alterum consequens foret in singulis motibus atque operibus reperiri oportere. namque ut iustitia nō dominatur in singulis iustorum operibus; sed in iis subinde aliquid sibi relictus concupiscentiæ fomes suffuratur: ita iniusti iniquitas, non cunctas eius imperat actiones, sed exurgit interdum naturæ quamuis in multis oppressa generositas, seque profert in opere, & quasi inducias largiente, neque commouente se cupiditate, honesti officij non reprehendendo studio demonstratur. Est enim dominatur peccatum; non est tamen necesse, ut id quod peccator sequitur tanquam bonum, pro ultimo sibi sine præstituat quod omnia referantur. Sed actionum genera certa sunt, quæ, uerbi gratia, uanus propter gloriam, uoluptuarius propter uoluptatem, iracundus propter uindictam, inuidus ad alterius depressionem facit. Ad eumque modum singulis cupiditatibus prædominantibus certæ quædam seruiunt operationes, quæ ad ipsius cupiditatis finem dirigantur. uel unum autem cupiditatis genus si dominari sinitur, peccati seruum constituit: nec tamen omnem eius in quo dominetur, operationem seruire sibi cogit. Itaque multa fornicarius, multa ebriosus, multa superbus & iniudus facit, quæ illæ cupiditates unde sic dicuntur, non attingunt neque inficiunt. non solum quia nonnullis in motibus suis incorrupta natura est, uerum etiam quia de gratiæ Christianæ reliquis & informatione supersunt nō pauca quæ boni operis possunt esse principium, uelut fides, religionis zelus, temperatiæ, casti-

tatis

Serm. 7. de
Quadrages.Cap. 1. ad
Timum.

Matth. 6.

In Psal. 18.

ratis amor, & alia complura, tanquam munuscula Dei, filiis ancillarum vel misericorditer relicta, vel etiam liberaliter & benignè collata. quæ licet non sufficiant ad capeffendum regnum cælorum, quod solis est filiis præparatum; ad id tamen conferunt, ne plurium vitiorum sit seruitus subeūda. Cuiusmodi per ipsam etiam gentilitatem sparsa esse munuscula, mirifica bonitate eius qui solem suum facit oriri super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos, quo sic fieret ne in omnibus peccato seruirer, qui præclarè aliquid fecisse memorantur, quis libenter neget, cum dicat Augustinus, satius facturum fuisse Iulianum, si eas quas commemorabat gentilium virtutes, Dei dona in illis fuisse fateretur? Quòd si cuiusquam est vel fuit anima sic prostrata vitiis omnibus dominantibus, & tale monstrum ex diuersis ac repugnantibus naturæ vitiis conflatum, quale ille Catilinam fuisse describit, vt per singulas operationes peccati iugum infelicissimè trahat: nihil tamen id præiudicat huius sententiæ veritati, qua asseritur, Non omne id peccatū esse, quod seruus peccati facit: tum enim hoc verum non esset, si quisquis peccati seruus est, nullam habere posset operationem à peccati seruitute immunem; tanquam videlicet vel vna qualibet peccati specie vniuersas inficiente hominis actiones. At seruit interim, quisquis vel vnus cupiditatis dominationē admisit, per quā regnet peccatum in mortali eius corpore. non enim dictum est, qui peccata multa faciat, sed eū generaliter qui peccatum committat, seruū esse peccati. quæ seruitus sic intelligenda est pertinaciter premere, vt nisi gratia specialis succurrerit, sub eius iugo perpetuò sit succumbēdum. Quamobrem dixisse arbitror sanctum Fulgentium: Quamdiu est homo peccati seruus, non nisi ad seruiendum peccato reperitur idoneus: non quòd in singulis eius operibus peccato seruire eum necesse sit, sed quia

Eib 4. cap. 3.

Cicero.

Cap. 19. lib. de
in arnis. &
gratia.

quia nisi Dei gratia liberetur, erigere se non queat ad iustitiæ seruitutem: quæ sola præstare potest, vt non seruiatur peccato. Sed quamuis seruum peccati, dum talis permanet, necesse sit seruire peccato cuiuspiam; non tamen ex eo concludi potest, esse illi in omni opere suo cupiditati dominanti seruiendum. Sic & illud accipiendum esse videtur, quod Augustinus ait, Liberum arbitrium captiuatum, non nisi ad peccandum valet; non enim ad iustè viuēdum, sed tantummodo ad peccandum valet: vt non in peccati seruitute vniuersorum operum significetur inclusio, sed duntaxat iustæ & sanctæ conuersationis, quæ nisi soluta per gratiam captiuitate haberi non potest, denotetur exclusio. nisi fortè quis intelligere sic malit, vt dictum sit, liberum arbitrium captiuatum non nisi ad peccandum valere, quatenus scilicet captiuatum est. Quo modo aliàs interpretatur Augustinus, eum qui natus est ex Deo, non posse peccare: quatenus videlicet quaque parte natus est ex Deo. hoc constat liberum arbitrium vel vnus cupiditatis tyrannica dominatione captiuum, extricare se suis viribus inde nō posse vt liberum euadat; quin vel propter affectum regnantem, vel propter reatum obligantem, in seruitute manere necesse sit.

Lib. 3. contra
duos Episcopus
Pelagianorum,
cap. 8. & de
seruis & lib.
cap. 3.

CAPVT IIII.

Quam homini peccatori necessitatem hac seruitus asserat.

EAM ob rem diuini in literis seruitus hæc, necessitatis nomine haud semel designata reperitur. velut Psalmo 106. in quo pluribus verbis vilissima planeq; seruilis peccatorum conditio descripta est. Clamauerunt (ait Propheta) ad Dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum liberauit eos. Et eduxit eos de tenebris & umbra mortis, & vincula eorum dirupit. Itemque alio loco, vincula & implicamenta peccatorum expertus, Tribulationes, ait, cordis mei multiplicata

multiplicatæ sunt: de necessitatibus meis erue me. Quem locum produxit beatus Augustinus in eo libro quem scripsit de perfectione Iustitiæ, respõdens ad hanc Pelagij ratiocinationem: Quærendum est per quid efficiatur homo cum peccato; per naturæ necessitatem, an per arbitrij libertatem. Si per naturæ necessitatem, culpa vacat: si per arbitrij libertatem, quærendum est à quo hanc arbitrij libertatem acceperit. Hanc igitur ille ratiocinationem diluēs, & quàm nihil efficiat, eruditè demonstrans, Respondetur, inquit, per arbitrij libertatem factum, vt esset homo cum peccato: sed pœnalis vitiositas subsecuta, fecit ex libertate necessitatem: vnde ad eum fides clamat, De necessitatibus meis erue me. Sub quibus positi, vel non possumus quod volumus intelligere, vel quod intellexerimus, volumus nec valemus implere. Sic Augustinus. Quem secutus Prosper libro tertio de vita contemplatiua, capite secũdo, eiusmodi posuit discrimen inter hominẽ integrum & vitiatum, quòd illum ad non peccandum etiam iuuare poterat adhuc sana natura; nos iam impedit vitiatæ: & illum peccare fecit sola peccandi voluntas; nos etiam cogit plerunque peccati facta necessitas; propter quod Deo clamamus & dicimus, De necessitatibus meis libera me. Hæc illi planè conformiter. Vnde quid ista sit necessitas, intelligi potest. Nihil enim est aliud, quàm pœnalis quædam vitiositas, per quam fit vt peccati iugum excuti ab homine non possit, nisi Dei gratia specialiter adiuuetur. Hæc autem miseræ seruitutis necessitas, cuique cum ipsis naturæ bonis innascitur: cum cõstet, per originale peccatum vnumquemque peccati feruum nasci; ob quod renasci necesse est; vt filij Dei, hoc est, liberi efficiamur. Sed quæ innata est seruitutis necessitas, ea pòst vitæ consuetudine mirũ in modum roboratur: aut si non innata fortè fuerat, acquiritur. Ideo beatus Augustinus, de seipso loquens & confitens,

Ad ratiõin. 9.

*Prosper lib. 3.
de vita cõtem-
platiua. cap. 2.*

*Lib. 8. Confess.
cap. 5.*

tens, ac præter ingentiam, etiam accessitam postea necessitatem agnoscens, quibus veluti gradibus ad eam perueniatur, ostendit: Ex peruersa, inquit, voluntate, facta est libido: & dum seruitur libidini, facta est consuetudo: & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas: quibus quasi anfulis quibusdam sibimet innexis (vnde catenam appellauimus) tenebat me obstrictum dura seruitus. Cuiusmodi autem sit necessitas hæc, & quàm nõ excuset delinquentem, D. Bernardus planissimè videtur explicatum reliquisse; cuius verba, quòd luculenta essent, prolixius etiam adscribenda putauimus: Peccato, inquit, factũ est vt corpus quod corrumpitur, aggrauet animã: sed amore, non mole. nam quòd surgere anima per se iam non potest, quæ per se cadere potuit, voluntas in causa est: quæ corrupti corporis vitiato ac vitioso amore languescens & iacens, amorem pariter iustitiæ non admittit. Ita nescio quo prauo & miro modo, ipsa sibi volũtas, peccato quidem in deterius mutata, necessitatẽ facit: vt neque necessitas, cum voluntaria sit, excusare valeat voluntatem; neque volũtas, cum sit illecta, excludere necessitatem. Est enim necessitas hæc quodammodo voluntaria: est favorabilis vis quædam, premendo blandiens, & blandiendo premens: vnde sese rea volũtas vbi semel peccato cõlenserit, neque excutere per se, neque excusare tamen vllatenus de ratione queat. Inde querula illa vox, veluti gementis sub onere necessitatis huius: Domine, inquit, vim patior; responde pro me. Sed rursus sciens quòd nõ iustè causarerer. aduersus Dominum, cum voluntas sua ipsius potiùs in causa foret, attende quid rursus intulerit: Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerim? Premebatur iugo, non alio tamen quàm voluntariæ cuiusdam seruitutis: & erat pro seruitute quidem miserabilis, sed pro voluntate inexcusabilis. voluntas enim est, quæ se, cum esset li-

*Serm. 81. sibi
per Cantuar.*

bera,

bera, seruam fecit peccati, peccato assentiendo. voluntas nihilominus est, quæ se sub peccato tenet voluntariè seruiendo. Hactenus diuus Bernardus. Qui quod ait, non excusare necessitatem, possit admirationem aliquam ei facere qui audit inuincibilem ignorantiam excusare. Quomodo enim non pari ratione insuperabilis necessitas excuset, quæ si vinci posset, necessitas non esset? Sed quæuis ista necessitas est, quia sine speciali potentioris auxilio excuti non potest; tamen insuperabilis nõ est, quomodo ignorantia aliqua sic dicitur; propterea quòd si quæ sui officij sunt, homo Deo adiuuante facit, à sua poterit necessitate liberari. Ideo autem non facit, quia blandientem necessitatem, hoc est, magnam & vehementem cupiditatem, vtrò lubensque sequitur. Ignorantia verò quæ propriè dicitur inuincibilis, nec adhibito conuenienti studio pelli potest: proptereaque quod ex ea proficiscitur, id ab inuito proficisci censendum est. non enim idcirco dicitur inuincibilis, quia sine gratiæ illuminatione vinci & remoueri non possit. Alioqui & vnus Dei & legis eius esset inuincibilis ignorantio: quod sine Dei gratia, humana mentis tenebras dissipante, vnus omnino conditor & gubernator Deus, eiusque lex quid per singula requirat, quæque vetet, certa cognitione percipi non possit. Atqui nemo excusat infideles, qui Deum ignorarunt, atque ex ea ignorantia ad idola colenda progressi sunt. qui legis eius ignari, scèdè seipos multis etiam cõtra naturam vitis polluerunt: cum scriptum sit à Propheta, Effunde iram tuam in gètes quæ Deum ignorant: & à Paulo, Qui sine lege peccauerunt, sine lege peribunt. Porrò triplicem huius generis necessitatem D. Augustinus ostendit, scribens in Psalm. 106. Cuius animaduersione dignissimam hac de re cõtrahere libuit in pauciora doctrinam: vt compèdio disceretur commodius, quod difficilius fortè foret è pluribus

Augustinus in
Psalm. 106.

bus elicere. Fac igitur hominè primò nil quærentem, secùdum vitam veterem seductoria securitate viuentem, nihil putantem aliud esse post hanc vitam quandoque finiendam, negligentè quendam & socordem, obrurum cor habentem illecebris mundi, & mortiferis delectationibus confopitum, huius igitur prima est erroris & quasi caliginosi carceris necessitas. Sed hic cum fuerit misericordia Dei excitatus, ac fide illustratus, cognitioneque diuini mandati; iamque cœperit aduersus vitia pugnando velle configere; obligatum sese inuenit difficultatibus cupiditatum, nec in viamãdatorum posse propter istiusmodi compedes, ambulare. inclusum se sentit & circumuallatum tãquam acie quadam vitiorum; & quasi muro impossibilitatis erecto, portisq; clausis, qua euadat vt rectè viuatur, non inuenit. Atque hæc secūda est hominis errore & ignorantia liberati necessitas. Quam dum viribus suis vincere nititur, & vincitur, exclamare cogitur ad Dominum, vt de ista quoque necessitate liberetur. Si enim simulatque vellet, etiam posset, nec sentiret aduersum se obnitentes cupiditates; & si non vinculis suis anima grauata collideretur; facillè suis viribus arrogaret, quod se tam expeditè posse sentiret, nec confiterentur Domino miseraciones eius. Verùm hanc quoque necessitatem cum effugerit, opem ferente Deo, cœperitque facile iam videri quod difficile fuerat; tertia se sentit necessitate teneri, tædij videlicet cuiusdam in moram vitæ huius, ita vt aliquando eum nec legere nec orare delectet. Quæ necessitas primæ contraria est. Tunc enim fame periclitabatur; nunc fastidio: & hoc vnde, nisi de quodam animæ languore exoritur? Iam non te illicit adulteriũ, sed tamen nec delectat Dei verbum, ergo post ignorantia & concupiscentiæ pericula, è quibus te duobus euasisse lætaris, vide ne tædium fastidiumque te necet. non enim est ista contemnenda necessitas.

cessitas. Agnosce te in illa, & exclama ad Dominum, vt de necessitatibus tuis etiam hic liberet te. vt hinc quoque liberatus cum fueris, confiteantur illi miserationes eius. Hanc ille necessitatem agnouit, & domini ex ea liberantis miserationes non ignorauit qui dixit: Dormitauit anima mea præ tædio, cõfirma me in verbis tuis. Triplicem igitur hominis peccatoris necessitatem ostendimus. Primam erroris & inopiæ veritatis. Secundam difficultatis bene operandi. Tertiam tædij atque fastidij verbi salutaris. vnde profectò cognoscitur magnitudo seruitutis eius de qua differimus.

CAPVT QVINTVM.

Quomodo peccatum, quod neque substantia est, neque res aliqua aut natura, sic hominum naturam immutare & deijcere potuerit, vt ei dominaretur.

TA M E T S I enim peccatum non substantia est aliqua: imò nec tam res quàm rei priuatio, naturæq. defectus, ab incommutabili bono recedentis: ideo tamen seruitutem magnam inducit, quia tyranni potentis in modum trahit ac præualet, neque excuti nisi auxiliante Deo potest. Veraque seruitus hæc dicitur, non quia tropus absit dictionis, sed quomodo virtutes dicimus veras esse diuitias, & peccatum veram mortem: & quomodo Christus ait, Ego sum vitis vera. Quæ enim sub homine seruitus agitur, tanquã vmbra quædam est, si cum peccati seruitute comparetur. Ideo sanè & Egyptiaca illa seruitus Israëlitarum, & postea duodecim tribuum sub gentium Monarchis dura captiuitas, hanc nobis adumbrarunt peccati seruitutem. Quonam autem modo sic præualere, & naturam optimè institutam vitare atque in deterius mutare peccatum potuerit, quod nihil esse videatur, olim quoque disputationem habuit propter Pelagium, quem ex

D. Au-

D. Augustino constat istiusmodi argumento, de peccati, vt sic loquar, nihilitate petito, Catholicorum oculis tenebras offundere studuisse. sic enim de eo scribit Augustinus libro De natura & gratia, capite decimonono: Iam nunc videte quod ad rem maximè pertinet, quo modo humanam naturam tanquam omninò sine vllò vitio sit, conetur ostendere, & contra apertissimas scripturas Dei digladietur sapientia verbi, quæ euacuetur crux Christi. Sed planè illa non euacuabitur, ista potius sapientia subuertetur. Nam cum hoc ostenderimus, aderit fortassè misericordia Dei, vt & ipsum hæc dixisse pœniteat. Primo, inquit, de eo disputandum est, quod per peccatum debilitata dicitur & immutata natura. Vnde ante omnia quærendum puto, inquit, quid sit peccatum, substantia aliqua, an omninò substantia carens nomen, quo non res, non existentia, non corpus aliquod, sed perperam facti actus exprimitur. Deinde adiungit, Credo ita est, & si ita est, inquit, quo modo potuit humanam debilitare vel mutare naturam, quod substantia caret? Videte quæso, quomodo nesciens nitatur euertere medicinalium eloquiorum voces saluberrimas, Ego dixi, Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccaui tibi. Quid sanatur, si nihil est vulneratum, nihil fauciatum, nihil debilitatum atque vitiatum? Porro si est quod sanetur, vnde vitiatum est? Audis cõfitentem, quid desideras disputantem? Sana, inquit, animam meam. Ab illo quære vnde vitiatum sit, quod sanari rogar, & audi quod sequitur, Quoniam peccaui tibi. Hunc iste interroget, ab isto quarat quod quærendum putat, & dicat, O tu qui clamas, Sana animam meam, quoniam peccaui tibi: quid est peccatum? Substantia aliqua, an omninò substantia carens nomen, quo non res, non existentia, non corpus aliquod, sed tantum perperam facti

*De natura & gratia, c. 19.**1. Cor. 2.**7. salm. 40.*

B 2

actus

actus exprimitur? Respondet, Ita est vt dicis, non est peccatum aliqua substantia, sed tantum hoc nomine perperam facti actus exprimitur. Et contra iste: Quid ergo clamas, Sana animam meam, quoniam peccavi tibi? Quo modo potuit vitare animam tuam, quod substantia caret? Nonne ille mœrore confectus vulneris sui, ne disputatione ab oratione auerteretur, breuiter responderet & diceret: Recede à me obsecro, cum illo potius disputa, si potes, qui dixit: Nō est opus sani medicus, sed ægrotantibus: Non veni vocare iustos, sed peccatores? vbi iustos vtique sanos, peccatores autem appellauit ægros. Cernitne quò tendat & quò manus porrigat hæc disputatio, vt omninò frustra dictum putetur, Vocabis nomen eius Iesum, ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum? Quo modo enim saluum faciet, vbi nulla est ægritudo? Peccata quippe, à quibus dicit Euangelium saluum faciendum populum Christi, substantiæ non sunt, & secundum istum vitare non possunt. O frater, bonum est, vt memineris te esse Christianum, credere ista fortasse sufficeret: sed tamē quia disputare vis, nec obeest, imò etiam prodest, si firmissima præcedat fides, nec existimemus peccato naturam humanam non posse vitari, sed diuinis credentes Scripturis peccato eam esse vitiatam; quo modo id fieri potuerit inquiramus, quoniam peccatum iam didicimus non esse substantiam. Nonne attenditur, vt alia omittam, etiam non māducare, non esse substantiam? A substantia quippe receditur, quoniam cibus substantia est. Sed abstinere à cibo non est substantia; & tamen substantia corporis si omninò abstinetur à cibo, ita lāguescit, ita valetudinis inæqualitate corrumpitur, ita exhauritur viribus, ita lassitudine debilitatur & frangitur, vt si aliquo modo perduret in vita, vix possit ad eum cibum reuocari, vnde abstinendo vitiata est. Sic non est substantia peccatum, sed

substan-

substantia est Deus, summaque substantia, & solus verus rationalis creaturæ cibus; à quo per inobedientiam recedendo, & per infirmitatem non valendo capere quod debuit & gaudere, audis quemadmodum dicat: Percussus sum sicut fœnum, & aruit cor meum: quoniam oblitus sum comedere panem meum. Sic Augustinus clarissima similitudine proposita demonstrauit, quæ potuerit esse peccati tanta pernicies ad naturam hominum vitiandam atque deiciendam in seruitutem viribus humanis inextricabilem, etiam si peccatum neque substantia, neque res aliqua videatur esse.

CAPVT VI.

Hæc peccati considerata seruitute, sic veteres subinde locutos esse, vt peccato perijisse dixerint liberum arbitrium.

PROPTER hanc igitur peccati quam incurrimus seruitutem lugendamque necessitatem, existunt illa apud veteres de amissa libertate arbitrij, quibus abutitur hæreticorum imperita vafricies ad tollendam è natura hominum liberi arbitrij facultatem. Cùm libero (inquit Augustinus) peccaretur arbitrio, victore peccato amissum est & liberum arbitrium. Et alibi: Ipsa, inquit, libertas creditibus à liberatore promittitur. Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis. Victa enim vitio in quod cecidit volūtate, caruit libertate natura. Et eodem loco: Ipsa enim sanitas, est vera libertas; quæ non perisset si bona permanisset voluntas: quia verò voluntas peccauit, secuta est peccantem, peccatum habendi dura necessitas. Et Concilium Arausicanum secundum: Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, nisi per gratiam baptismi non potest reparari: quod amissum nisi à quo potuit dari, non potest reddi. Et rursus in eodem sic reperitur constitutum: Si quis per offensam præuaricationis Adæ, non totum, id est, secundum corpus & animam, in dererius homi-

B 3

nem

Matth. 9.

Matth. 1.

T. salm. 101.

Enchiridij
cap. 30.Ratiocin. 9.
Ioan. 8.

Cap. 13.

nem commutatum, sed animi libertate illa sa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium, Pelagij errore deceptus, aduersatur Scripturæ dicenti: Anima quæ peccauerit, ipsa morietur: & nescitis quod cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis? Et, A quo quis superatur, eius & seruus addicitur. Petrus quoque Diaconus, & ij simul qui in causa fidei à Græcis ex Oriente Romam missi fuerunt, in eo libello quem scripserunt De incarnatione & gratia Domini nostri Iesu Christi, ad Fulgentiũ, aliosque Africæ Episcopos, sic expressum de amissa libertate reliquerunt: Credimus bonum & sine vlla carnis impugnatione à Deo creatore omnium factum Adam, magnaque præditum libertate: ita vt & bonum facere in propria facultate haberet, & malũ si vellet posset admittere: eratque mors & immortalitas in eius posita quodammodo arbitrij libertate. Et paulo post: Itaque serpens astutia deprauatus, spontè diuinæ legis præuaricator effectus est, & ideo secundũ quod ei prædictum fuerat, iusto iudicio Dei mortis pœna damnatur, totusque, id est, secundum corpus & secundum animam, in deterius cõmutatus, amissa libertate propria, sub peccati seruitio mancipatur. Ex hoc itaque nullus est hominum, qui non huius peccati vinculo nascatur adstrictus, præter eũ qui ad hoc peccati vinculum soluendum, nouo generationis modo natus est, mediator Dei & hominũ homo Christus Iesus. Quid enim aliud nasci potuit aut potest, ex seruo, nisi seruus? neque enim cum esset liber Adm, filios procreauit: sed postquã seruus peccati factus est. Ideo sicut omnis ab illo est, ita & omnis homo seruus peccati per ipsum est. Et illi quidem ad hunc modum: Quorum sententiis non libertas naturæ significata est, ex qua liberi arbitrij hominem esse dicere consueuimus: sed ea quæ est à seruitute ditioneque peccati, quam primi parētis

lapsu

lapsu perditam per Christum recuperare conamur. De qua etiam D. Cyrillus libro decimo in Ioannem: Sanctis Apostolis, inquit, cæterisque fidelibus, qui ad amicitiam Christi ascēdunt, extrinsecus honoris gratia libertatis accedit dignitas. Ipse verò naturã liber est: quod enim aduentitium est, ab inuito & naturali distinguitur: libertas verò nostra cum aduentitia sit per gratiã habita, alia est cerrè ab eius libertate. Hæc tenus Cyrillus. Cũ igitur arbitrium hominis siue ipsa eius voluntas, per iudicium rationis vtramque in partem flexibilis, libera dici posset ex vtroque genere libertatis: & huius videlicet quæ est à necessitate naturæ, & illius quæ est à seruitute seu dominatione peccati: posteriorem hanc nominis rationem, cũ aduersus gratiæ inimicos dissereret, liberi arbitrij vires sanitatemque nimium prædicantes, sæpenumero secutus est Augustinus, manifestissimè verò in eo libro quem scripsit De spiritu & litera; in quo his vitur verbis: *Libro 20o*
Vt quid ergo miseri homines aut de libero arbitrio: autent super bire, antequam liberentur: aut de suis viribus, si iam liberati sint? nec attendunt in ipso nomine liberi arbitrij vtique libertatem sonare. Vbi autem spiritus Domini, ibi libertas. Si ergo serui sunt peccati, quid se iactant de libero arbitrio? Idẽ alibi: Arbitrium voluntatis, inquit, tunc est verè liberũ, cum vitis peccatisque non seruit. Tale datum est à Deo, quod amissum proprio vitio, nisi à quo dari potuit, reddi non potest, vnde veritas dicit: Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis. quod perinde est ac si diceret: Si vos filius saluos fecerit, tunc verè salui eritis. Inde quippe liberator, vnde saluator. Arbitrium igitur intelligit Augustinus liberum ex ea quoque libertate nominari, quæ non ad eius naturam necessariò pertinet; sed ad beatam potiùs quandam conditionem, atque optabilem statum, qui seruili conditioni miserè atque infelici repugnat.

B 4

pugnat. Hæc libertas erat libero arbitrio cùm in primo honore donataque iustitia & integritate staret; neque eam perdidisset vnquam, si in sui conditoris obedientia persistisset. Sed remanentibus iis quæ ad naturam ratione præditam indiuulsè pertinebāt, illa per inobedienciæ crimen excussa est. Ex quo euenit vt ope liberatoris egeremus, qui non liberum nobis opere creationis infereret arbitrium; sed qui magno redemptionis sacramento, ab humeris nostris seruitutis iugum reijceret, veraque libertate donaret. Sicut enim se homo perdididerat, nō vt esse homo desineret, sed vt amissa felicitate pauper esset, nudus & captiuus, planeque miser & miserabilis (hoc enim modo dicere soliti sumus, quosdam homines se sua imprudentia aut luxu aut temeritate perdidisse;) ita liberū homo perdidisse dicitur arbitrium; non quòd inesse in eo desierit quod ad ipsam pertinet liberi arbitrij naturam, per quam nostrarum actionum domini sumus, atque in potestate habemus agere quippiam & non agere; qua sublata neque legibus, neque adhortationibus, aut orationibus, neque laudibus, aut vituperationibus, vllus esse locus possit: sed quòd amissa primæ integritatis sanitate & felicitatis honore, deprauatum, debilitatum, captiuumque effectum est; gratia illius indigens, vt sua captiuitate liberetur, cuius omnipotenti virtute creatum est. Quomodo enim vitiatū & deprauatum non sit, cui neque voluptati sit iustitia, neque veritas probeatur doctrinæ salutaris? Animalis homo (inquit Apostolus) non percipit ea quæ sunt spiritus Dei. Quomodo autem non debilitatum videatur & fractum, quod ingredi suo pte vigore non valeat per semitam iucundissimam cælestium mandatorum? Omnes enim (ait Psalmographus) declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, nō est vsque ad vnum. Denique non frustra captiuum videatur ac seruum,

cui

cui cupiditas imperet, quod peccandi libido quòd velit abducat, à quo incumbens vitiorum iugum nullum existere patiatur opus, quo valeāt astricta vincula peccati resolui. Homo enim (ait D. Fulgentius) qui sine peccandi necessitate creatus est, in eo quòd animæ sanitate delinquēdo perdidit, etiam illa cogitandi quæ ad Deum pertinēt, amisit protinus facultatem. Oblitus enim est manducare panem suum, & exspoliatus vestimento fidei, carnaliumque concupiscentiarū vulneribus fauciatus, sic iacuit oppressus ditione peccati, vt nullatenus aliquod bonæ voluntatis initium habere potuisset, nisi hoc Deo gratis donante sumpsisset. Cùm autem hoc ipsum voluntatis initium, opere gratuita reformationis inseritur, non aufertur liberum arbitrium, sed sanatur: non adimitur, sed corrigitur: non remouetur, sed illuminatur: non euacuatur, sed adiuuatur & seruatur: vt in quo quisque infirmitatem habuit, in eo habere incipiat sanitatem: quo errabat, eodem in viam redeat: in quo cæcus fuit, in eo accipiat lumen: & vbi fuit iniquus seruiens immūditæ & iniquitati ad iniquitatem, ibi gratia præuentus & adiuutus, seruiat iustitiæ in sanctificationem. Sic ille restititum: Neque enim sub curatione medici cælestis verendum fuit, ne medicina corrumperet quod morbus ipse reliquisset: sed à sapientissimo potius opifice potentissimoque, talis exspectanda fuit deformati operis instauratio, quæ rei conseruata natura, pristinum eius statum reuocaret. Quòd si propterea liberū arbitrium tollere sectarij suo dogmate iurè sibi videntur, quia veteres periisse dixerint arbitrij libertatem; cūr non iam potius afferendum statuendumque censeant, cùm hanc ipsam libertatem perspicuis aded scripturæ verbis, doceant ijdem illi Patres, esse Christi & opificis & medici nostri beneficio restitutam? Si enim (inquit Seruator) vos filius liberauerit, verè liberi eritis. &

B 5

Paulus,

Cap. 13, lib. de
incarnat. &
gratia Christi.

Idem Fulgent.
cap. 20. libri
eiusdem.

Gregorius
Nyssenus de
lib. arb. contra
Fatum, cap. 1.
& 2.

2. Cor. 2.

Paulus, Vbi, inquit, Spiritus Domini, ibi libertas. Hæc igitur libertas est, quæ ei seruituti de qua differimus, aduersatur. hæc est libertas, quæ amissa peccato, per Christum redditur iis qui credunt in eum. hæc deniq. non naturæ libertas est, sed gratiæ: quam spiritus inhabitans facit, peccati seruus amittit.

CAPVT VII.

Veteres studiosè discreuissè libertatem naturalem à Christiana.

CVIUS quidem libertatis rationem quam studiosè discreuerit Augustinus ab ea libertate quæ est à necessitate naturæ; quamque hanc, sine qua liberi arbitrij natura non constat, minimè peccato periissè putauerit: ex variis eius testimoniis & libris elucet. Etenim cum Iulianus hæreticus, Catholicos gratiæ Christi, qua in libertatem asserimur, propugnatores, Manichæos appellasset, liberumque arbitrium euerti, gratiæ huius prædicatione confirmasset, ille ad Bonifacium Papam scribens, contra duas Pelagianorum epistolas, hunc in modum respondit: Quis nostrum dicat quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitriū de humano genere? Vides quam abhorreat? quamque hoc alienum à se esse velit, vt naturalem arbitrij libertatem sustulisse videatur? Hæc igitur si remansit, quæ periit? Libertas, inquit, periit quidem per peccatum, sed illa quæ in Paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate iustitiam: propter quod natura humana, diuina indiget gratia, dicente Domino: Si vos filius liberauerit, verè liberi eritis: utique liberi ad bene iustèque viuendum. Nam liberum arbitrium vsque aded in peccatore nō periit, vt per illud peccent maximè omnes qui cum delectatione peccāt, & amore peccati hoc eis placet, quod eis libet. Quid ab Augustino clariùs audias, quam periissè quidem gratiæ liber-

libertatem, naturæ verò remansisse? & sic quidem remansisse, vt propterea quisque peccet, quòd hac arbitrij libertate, quæ vitiosa sint, amplectatur? hac igitur sublata, vnà quoque peccatum omne sustulisti: nec est cur inferi amplius, pœnarumque loca cogitentur. Idcirco studiosè aded Pelagiani, Catholicis facere conabantur inuidiam hoc nomine, quòd tam insanam Manichæi hæresim instaurarent, dum gratiæ necessitatem assererent. Inde enim illa Iuliani Pelagiani calumnia est: Si quis aut liberum in hominibus arbitrium, aut esse Deum nascentiū conditorè dixerit, Celestianus & Pelagianus vocatur. ne igitur vocentur hæretici, sunt Manichæi: & dum falsam verentur insaniam, verum crimen incurrunt: instar ferarum, quæ circumdantur pinnis, vt cogantur in retia. Quæ D. Augustinus obiecta seu maledicta refellens, Non est ira, inquit, vt loqueris quicumque ista dixisti: Non est, multum falleris vel fallere meditaris. nō liberum negamus arbitrium, sed si vos filius liberauerit (ait Veritas) verè liberi eritis. Hunc vos eis inuidetis liberatorem, quibus captiuis, vanam tribuitis libertatem. A quo enim quis deuictus est, sicut dicit Scriptura, huic seruus addictus est. Nec quisquam nisi per gratiam liberatoris, isto soluitur vinculo seruitutis, à qua est hominum nullus immunis. Luce clarior hæc oratio est, planeque luculenta de duplici libertate sententia. Liberum affirmat arbitrium etiam in vitiorum inesse mancipiis: atque in iisdem nihilominus asserit, non veram sed vanam inesse libertatem: vt vram intelligeremus libertatem cum ipsa constare seruitute peccatorum, sine qua nec peccari quidem potest: aliam verò cum eadem seruitute pugnare. Porrò ne hanc insitæ cum natura libertatis assertionem, opinionis eius fuisse, non fidei Catholice suspiceris: audi que apud eundem consequantur, vbi aduersarium eiusmodi conuenit verbis: Non itaque

Lib. 2. de nuptiis & concupiscentia, c. 3.

itaque sicut te atque alios fallens loqueris, si quis aut liberum in hominibus arbitrium, ait Deum nascentium conditorem dixerit esse, Cælestianus & Pelagianus vocatur. Ista quippe Catholica fides dicit. Sed si quis ad colendum rectè Deum, sine ipsius adiutorio, dicit esse in hominibus liberum arbitrium: & quisquis ita dicit Deum nascentium conditorem, ut paruulorum neget à potestate diaboli redemptorem; ipse Cælestianus & Pelagianus vocatur. Nunquid rem existimat è philosophia depromptam, si quisquam liberum asserat etiam in vitiosis arbitrium; à pietate verò Christiana procul remotam? ad quam profectò nisi magnoperè pertineret, non eam semper fides Catholica tenuisset, Manichæosque damnasset. Iam si eiusdem Augustini alia requiras testimonia, quibus naturalis hæc libertas asseratur, habes ubi dicat voluntatis arbitrium huc atque illuc liberum flecti, atque in iis naturalibus esse bonis, quibus & malè uti malus possit. Legis & illud: Liberum arbitrium naturaliter attributum à Creatore animæ rationali, illa media vis est, quæ vel intèdi ad fidem; vel inclinari ad infidelitatem potest. Quæ pauca testimonia cum clarissima sint, multorum hoc quidem loco nobis instar erunt. Nam quòd Calvinus ait suarum Institutionù libro secundo, præclaram illam ab Augustino toties repeti sententiã, præcipitari magis à suis defensoribus liberum arbitrium quàm stabiliri; nisi ad mentiendum perfriatæ frontis fuisset, profectò non dixisset. Nusquam enim ita generatim à suis defensoribus liberum arbitrium præcipitari dicit, cum bonos semper habuerit defensores: è quibus ipse vnus sanè eximius erat; sed liberi arbitrij vires dum à Pelagianis extollerentur, tanquam sibi ad implendam legem, spirituique maligno resistendum sine Christi gratia sufficerent, ita demum eas extollendo præcipitari monstrauit. Sed audienda

nunc

nunc Petri quoque Diaconi vox est collegarumque eius: namque & is libertatem alteram ab altera haud obscuro discrimine separauit. Alteram quippe Christianam appellauit, alteram naturalem significauit esse libertatem. Ut falsa, inquit, libertas fieret Christiana libertas, eadem libertas liberatore indiguit, quo posset per eius gratiam ab occupationibus humanis auersa, ea cogitare & desiderare quæ pertinent ad vitam æternam. Ut autem intelligeres, alteram illam quam naturalem dicimus, in natura etiam vitii deformata remansisse, sed ad benefaciendum nemini iam post lapsum sufficere, subiungit: Sine hac igitur gratia potest quidem cogitare aut velle seu desiderare humana, non autem potest cogitare aut velle seu desiderare diuina. Quorum primum est & præcipuum fundamentum & crepido quodammodo, siue omnium bonorum origo, credere in Dominum gloria crucifixum. Quod vti que non est ex naturalis arbitrij libertate, quia non hoc caro & sanguis, sed Pater cælestis reuelat cui voluerit, ad veram eum attrahens libertatem, non violenta necessitate, sed infundendo suauitatem per Spiritum sanctum; vt mox credentes dicamus, quia Dominus est Iesus: quod nemo per naturalem arbitrij libertatem potest dicere, nisi in Spiritu sancto. Hæc illi. Posse fatentur hoc igitur naturalem arbitrij libertatem, si diuinus Spiritus adiuuerit.

CAPVT VIII.

Gratiam liberantem non euertere libertatem naturalem, sed statuere.

QUA PROPTER quæ remansit peccato subdita naturæ libertas, ea ipsa est quæ liberatè & vegetante spiritu Dei, bonum omne quod ad nostram salutem cõfert, operatur: & id quidem haud minus liberè quàm si innatis sibi viribus sufficeret ad id perficiendum.

vt enim

Lib. 2. de peccatorum meritis & remissione, cap. 18.

Lib. de spiritu & liter. c. 32.

Cap. 2.

Cap. 27. lib. de gratia Christi.

Lib. de incarnatione et gratia Domini nostri Iesu Christi, cap. 6.

vt enim non aliter vel videt cæcus, vel graditur claudus, diuino vterque beneficio restitutus, quàm is qui eiusmodi nunquam vitii laborat: ita omninò liberum arbitrium nò aliter officia virtutis exequitur, opitulante gratia Christi, quàm si propriis ea viribus nemine iuuante perageret. Ac sicut arte medici fit in oculis caligantibus, vt possint videre quod non vident: nec tamen non ipsorum visio est, quam medicina contulerit: ita: in cordibus tardis & hebetibus, per Spiritum sanctum acies obducta tergitur, & de vero lumine, tenebrose iam & deficientes lucernæ lumen accipiunt: nec tamen nisi ipsarum erit quicquid fulgoris acceperint. An nesciat rerum effector ac moderator Deus, sic & reparare & reparatum regere quod condidit, vt eius naturam conferuet, modumque illi cum crearetur attributum? Nonne ipse est qui proprios ad fines omnia pro cuiusque rei conditione suauissima directione perducit? Efficit omninò hic conditor vt liberi arbitrij naturalis proprietates, tanquam absterfa rubigine cupiditatis & erroris, in bonis operibus producendis appareat atque renitescat. Vtque eius gratia legem non destruit sed statuit; propterea quòd eius opes fiat vt lex impleatur: ita nec liberum euertit arbitrium, sed lapsum erigit, imbecille corroborat, planeque stabilis, dum præstat homini, vt diuinorum ipse mandatorum percurrere viam, brauium petat supernæ vocationis. Faciam, inquit, vt in præceptis meis ambuletis, & mandata mea custodiatis & operemini. Et, Ipse, inquit, rectos faciet cursus tuos, & itinera tua in pace perducet. Agimur sanè, quoniam scriptum est: Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei; sed agimur, vt agamus, cooperatoresque simus gratiæ Dei: Spiritus enim qui nos agit, agentibus adiutor est. Nemo autem adiuuatur, si ab illo nihil agatur. Non ergo voluntatis arbitrium ideo tollitur, quia iuuatur; sed ideo iuuatur

quia

quia nò tollitur, inquit Augustinus. Et iterum in Psalmum 78. Cum adiuuari, inquit, nos vult, nec ingratus est gratiæ, nec tollit liberum arbitrium. Qui enim adiuuatur, etiam per seipsum aliquid agit. Hoc iis locis: Ipse quoque spiritus est qui operatur in nobis velle ac perficere pro bona sua voluntate; ac sicuti per Prophetam dictum est, Operatur ipse in nobis omnia opera nostra. Ex quo & illud scriptum est: Reuela Domino viam tuam, & spera in eum, & ipse faciet. Non (inquit Augustinus) sicut quidam putant, quòd ipsi faciant. nullos enim videtur attendisse, cum dixit, Et ipse faciet; nisi eos qui dicunt, nos facimus, id est, nos ipsi nos iustificamus. An ergo sensit Augustinus, sic Deum in nobis operari, nihil vt ipsi operemur? minimè verò. Nam continuò secutus adiunxit: Vbi quidem operamur & nos, sed illo operante cooperamur, quia misericordia eius præuenit nos. Alio quoque in loco, producta Pauli sententia, qua dicit: Scimus quia diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum; eaque sententia significatum accipiens, Deum nobis esse cooperatorem; statim subdidit: Si nò esses operator, ille non esset cooperator. Et in Psalm. 77. Gratia, inquit, Dei non solum operatur remissionem peccatorum, sed etiam cooperantem sibi facit hominis spiritum. Denique ait in Euangelio Veritas, Non estis vos qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis. Num ergo patitur tantummodo humana mens, quod in ea spiritus diuinus operetur? Imò verò in nobis vt operemur, operatur. Et quia (vt D. Leo scribit) rationales lapides sumus & viua materies, sic nos auctoris nostri extruxit manus, vt cum opifice suo etiam is qui reparatur operetur. ac sicuti liberè ipse operatur in nobis, sic prorsus agente Deo, liberè ipsi operamur. Non enim nihil agit, aut sibi quid agat, in potestate esse non sentit qui credit, qui sperat, & inuocat, & in quo per dilectionem

Prosper in epistola ad Demetriadem.

*Ezech. 36.
Aug. serm. 13.
de verbis Apostoli.
Prouerb. 4.
Lib. de correptione & gratia, cap. 2.
et conc. 27. in Psalm. 118.
Epist. 89.*

*Lib. de natura & gratia, c. 32.
Serm. 13. de verbis Apostoli.*

Serm. 9. de Quatuor.

*Isaia 1.**Microm. 31.**Ecclesiast. 31.**De predest. sanct. cap. 8.**Lib. de corrupt. & grat. c. 12.**Instit. lib. 2. cap. 3.*

ctionem pia fides operatur: si nihil agere ipsi libero arbitrio possemus, quibus ergo illa dicerentur: Lauamini, mundi estote, auferite malum cogitationum vestrarum ab oculis meis: quiescite agere peruersè, discite bene facere? Quis ille esset cui Deo dicere liceret: Postquam conuertisti me, egi pœnitentiam, & postquam ostēdisti mihi, percussi femur meum? Si nulla in agendo voluntatis libertas esset reliqua; quēnam apud homines locum illa Prophetæ haberet oratio: Si uoueritis & audieritis me, bona terræ comedetis: quod si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit vos? Cur laudaretur diues, qui potuit transgredi, & non est transgressus; mala facere, & non fecit? Nihil quidem in bono opere liberum potest arbitrium, nisi diuinitus moueatur. Vt autem moueatur, in manu Dei est, sicut lutum in manibus figuli. Sed omninò sic mouetur diuinitus, ut & seipsum moueat, suæque operationis & vltroneum & liberum existat principium. Gratiam quoque Dei qua bene uiuitur, nulla, ut ab Augustino traditum est, cordis humani duritia respuit, quæ sita in eo sit, ut ipsa cordis durities auferatur. Quis enim nõ videat, duram simul & mollem, obedientem & refractariam, bonam ac malam, non posse hominis esse voluntatem? sed per eam gratiam sic bene uiuitur, ut si non aliter agi tanquam urgente fato vita posset, nullum bonæ vitæ præmium, nulla bene uiuentis laus existeret. Ideoque D. Augustinus cum dixisset, ita subuentum esse infirmitati voluntatis humanæ, ut gratia diuina indeclinabiliter & insuperabiliter ageretur (ob quod prauè intellectum uerbum, pulchrè sibi cum Augustino conuenire gloriatur Calvinus) non subiunxit, ideo humanam voluntatē non posse deficere; sed addidit, Ideo, inquit, quamuis infirma, non tamen deficeret, neque aduersitate aliqua vinceretur. Sicut etiam non ait in eodem

libro

Cap. 11. in fine.

libro (quamuis hoc mentiri Calvinus incredibili impudentia non dubitauerit) primam libertatem fuisse posse non peccare: nostram verò multo maiorem, non posse peccare, tanquam uidelicet hoc nostræ modo libertatis sit: sed ait expressimè hanc nouissimam fore libertatem ut peccari non possit: quomodo nouissima immortalitas erit mori non posse, cum prima fuerit posse non mori. Non enim, ut idem ait, quasi fatum quoddam, sic gratiam qua liberamur defendimus, ut ex ea bene iusteq. uiuendi necessitas oriatur: sed ipsam dicimus gratiam necessariam, ut bene sancteque uiuatur. Et sicuti ij qui credunt (inquit Prosper accuratissimus Augustini sectator) iuuantur ut in fide maneat, & qui nondum crediderunt, iuuantur ut credant: ita & illi in sua potestate habent ut exeant, & isti in sua habent potestate, ne veniant. Ideoque hominibus iudicio rationis utentibus, liberum est ab eo quod vel bene credūt, vel bene uiuunt discedere: ut non discessisse, sit præmium, & ut quod non potest nisi cœoperante spiritu Dei fieri, eorum meritis deputeretur, quorum id potuit voluntate non fieri. Nec verò spiritum Patris ad hoc quisquam accipit, ut vel otiosa mens eius & uolūtas remaneat, agatque ipsa nihil, vel ineluctabili necessitate diuinas res eloquatur: sed ut hoc ipsum liberè faciat, quod sine illo spiritu nullo modo possit. Non quod gratia ipsum nobis liberè operandi conferat modum, quem inuenit in natura; sed quod sic operetur in nobis, efficaciterque & tamen suauiter nos moueat, ut illū incolumem saluumque relinquat. Itaque sicut scriptum est: Non estis vos qui loquimini, sed spiritus Patris vestri qui loquitur in uobis; ad exprimendam in eiusmodi opere gratiæ energiam: ita dictum est alibi: Audiuimus eos loquentes magnalia Dei. & Loquebar de testimoniis tuis in cōspectu Regum; ad cōmendandam naturalem arbitrij libertatem.

*Lib. 2. de uocat. gent. c. 22.**Matth. 10.**AB. 2.**Psalms. 122.*

C

Rursus

Rurfus vt gratiæ liberantis commōstrat beneficiū ille qui Deo dicit, Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis; ita liberum ostēdit arbitriū Deus, cum homini dicit: Excute de puluere, confurge, sede Hierusalem, solue vincula colli tui captiua filia Sion. Et quemadmodum ad constabiliendam necessariæ Dei gratiæ prædicationē plurimum confert illa apud Ezechielem noui Testamenti promissio: Dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri: ita pro liberi arbitrij assertione vehemēter facit quod per eundem Prophetam peccatoribus dicitur: Facite vobis cor nouum & spiritum nouum: & quare moriemini domus Israël? vt que pro gratia militat oratio qua petitur à Deo, Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiā: ita pro libero arbitrio valet illud, Inclinaui cor meū ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem. Qui enim dicit, Inclinaui cor meum; ipse iam dixerat, Inclina cor meum in testimonia tua. vt intelligamus, inquit Augustinus, simul, hoc esse & diuini muneris, & proprię voluntatis. Ac generatim sicuti illi ipsi gratiæ necessitati quotidiana fidelium adstipulatur oratio, qua non modò petitur condonatio delictorum, verū etiam vt Dei voluntatem, eius obtemperando præceptis, faciamus, tentationesq. vincamus: (Ipsa enim oratio, inquit Augustinus, clarissima est gratiæ testificatio) ita nobis ipsa præcepta, adhortationes, consilia vt iustè & piè viuamus, rursūque correptiones, cōminationes, castigationes que si malè & improbè vixerimus, naturalem arbitrij libertatem euincunt. Denique cum sit Christi duplex aduentus; alter quo in forma serui humilis venit ad saluandum mundum; alter quo venturus est, Iudicis supremi gloria & maiestate sublimis: ille quidem gratiæ commendationem habet illustrem; iste liberi arbitrij probationem certam, quæadmodum rectè ostēdit Augusti-

Augustinus epistola 46. Si enim non est Dei gratia, quomodo saluat mundum? Et si non est liberum arbitrium, quomodo iudicat mundum? Eo quippe sublato, si & reprobī ad malum, & prædestinati ad bonum aguntur inflexibiliter, non est profectò ei iudicio locus, quo vel illi ob sua peccata damnētur, vel hi ob benefacta coronentur. Nec verò Catholici illi veteres ignorarunt ab Hieremia dictum esse: Non est in homine via eius, nec viri vt dirigat gressus suos. siue, quæadmodum alij legūt, vt corrigat viam suam. Hoc cum probè tenerent, tamē liberum arbitrium defenderunt, per quod in potestate habemus agere & non agere. Illud enim sic viderunt explicari posse, vt nihil omnino cum hac libertate pugnaret: velut Augustinum secutus Fulgentius, qui commemoratis Prophetiæ verbis, adiungit: Non est itaque in homine via eius, quam habet ex Deo; neque viri est, vt corrigat viam suam, quam habet ex seipso. Et rursū, Viam ergo suam non habet in se, nec viam suam corrigit, nisi cum reuerentiæ cordis donum gratiæ spiritualis acceperit. Si enim hoc per se ipse posset, cur optaret iustus: Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas iustificationes tuas! vbi audis, Vtinam, inquit Augustinus, vocem optantis agnosce, & agnita voce optantis, deponē superbiam præsumptis. Quis enim se dicat optare quod sic habet in potestate arbitrij, vt nullo indigens adiumento id possit efficere? Itaque veteres illi ad gratiæ cōmendationem referunt Propheticum testimonium, quod hodie quidam noui Manichæi ad liberi arbitrij euetionem proferre haud verentur. Tanquam non hoc etiam per eundem Prophetam præceptum sit: Bonas facite vias vestras, & studia vestra, & habitabo vobiscum in loco isto. Et per Salomonem in Proverbis: Dirige semitam pedibus tuis; & omnes viæ tuę stabilientur: ne declines ad dexterā neque ad sinistram. Certè

Isaia 52.

Cap. 18.

Ibidem 36.

Cone. 23. in
3. psalm. 118.

Epist. 95.

Cap. 10.

Cap. 20. lib. de
gratia Iesu
Christi.
Augustinus in
Psalm. 118.
Cone. 5.

Hierem. 7.

Proverb. 4.

nihil absurdius à Caluino, aut aptius ad significandum liberum arbitrium lapidè potius esse quam viuam motiuamq. sui naturam dici potuit, quam quod hisce verbis non dubitauit exprimere: Quis, inquit, voluntatis humanæ infirmitatem dicit subsidio roborari, quo ad boni electionem efficaciter aspiret, cum transformari renouarique totum oporteat? Planissimè videlicet hoc, & iis verbis, & subiuncta de lapide similitudine significans, humanam voluntatem non adiuuari per gratiam, ut ipsa bonum efficaciter velit atque operetur: sed omni agendi vi atque efficacia destitutam, nihil aliud quam diuinæ operationis impressionem suscipere, nec commoueri quidem seipsam accepta gratia, sed duntaxat commoueri: tanquam si globum in altum iacias, aut lapidi quiddam insculpas. Scilicet ista sunt diuinis literis consentanea, quibus per gratiam sanari, viuificari, excitari, adiuuari, & roborari dicitur humanus animus, ut viuificatus operetur, sanatus ambulet, excitatus euigilet, torporemque vitiorum excutiat, adiutus procedat, roboratus pugnet ac vincat, victor denique cum perseverantia laude muneretur. Verum euenit hoc istis, quod olim Pelagianis: ut quoniam gratiam cum libero arbitrio non abs re difficilis visa conciliatio est, cum sit eorum tamen suauissima coniunctio: assertione gratiam liberum arbitrium destrui videretur. Hoc interest sanè, quòd illi ut liberum tenerent arbitrium, gratiam oppugnabant: isti ut gratiam patrocineretur, liberum arbitrium persequuntur. Igitur liberum hominis arbitrium, & cum tenetur mortifera peccati seruitute captiuum, natiuam obtinet libertatem (propter quam ex natura hominum imago Dei nequit expungi, etiam si terrenorum affectuum labe deformari potest) & tum proinde retinet eandem libertatem, cum solutis peccati vinculis, operante in nobis Christo, sine quo facere nihil possumus, iustitiam seruire cœperimus.

Vide August.
ca. 8. lib. 4. con-
tra Iulian. &
epist. 47. ubi
difficultatam
dicit quæstio-
nem de volun-
tate & gratia.

Quid D. Bernardus de amissa libertate disseruerit.

SEd hoc iam loco, diuum Bernardum audiamus. Soporret. Is enim perspicue, quam amiserimus peccando libertatem, quamque integram retinuerimus, in eo libro docet, quæ de libero arbitrio scripsit. Cum enim triplicem faciat libertatem, vnam arbitrij à necessitate, aliam consilij à peccati seruitute, tertiam quam dicit complaciti à miseria: postremas quidem duas periisse dicit, primam verò integram & inconcussam in homine remansisse. Etenim per quam cæteras amisit, hanc amittere non potuisse, ac propterea eandem in homine etiam vitis sædissimè deformato, imaginem Dei, in qua semel factus est, perseverauisse. Quam quidem libertatum distinctionem, haud inuitum recipere se Caluinus demonstrat; sed addit illic necessitatem cum coactione perperam confundi, quasi videlicet in ea distinctione nihil esset necessitas, nisi coactio: liberumque à necessitate, nihil aliud quam voluntarium atque spontaneum. Quo quidem modo non negat liberam esse hominis à necessitate voluntatem. Quis enim id vel communi præditus sensu neget? sed ait tantulam rem, tam superbo vocabulo non debuisset insigniri, ut propterea homo liberi arbitrij esse diceretur, quia tamen hominis corrupti voluntas à coactione sit libera; non tamen, inquit, à necessitate, quam à coactione distingui conueniat. Ac Bernardus ipse quidem interdum, sicut & Petrus Lombardus, liberum arbitrium constituisse videri possit in eo solo quòd sit à coactione solutum. Verum neque id satis esse constat: & Caluino facillè concedimus, cum liberum à necessitate dicitur arbitrium, non debere necessitatem cum coactione confundi. Tamen si enim coactio necessitas rectè vocetur, est tamen agnoscenda necessi-

Lib. 2. cap. 21

tas sine coactione. Sed vt Calvinus hoc bene animaduertit, ita in eo satis oculatus non fuit, vt ipsas necessitates, quæ à coactione liberæ sunt, distingueret. In eam quippe solam necessitatem quam naturæ vitio & concupiscentia fieri sungebat intentus: naturalem illam necessitatem quam pecudes patiuntur, seu qua aguntur atque incitantur, omisit. Ideoque liberum arbitrium, si à coactione liberum esse finiretur, facile id, quod ad rem ipsam attinet, concessit: nomen solum repudiandum iudicauit. Sin diceretur à necessitate liberum, id verò nullum esse in corrupta hominum natura, pro definito habuit. Sublata enim, inquit, post lapsum primi hominis eligendi libertate, sola voluntas relicta est, quæ sub peccati tyrânide captiua vique ad eò tenetur, vt nõ nisi ad malum feratur. Sicille. Sed quoniam hoc loco de Bernardo sermo nobis est, demonstrandum ipsius quoque verbis erit, eum liberi arbitrij non modò à seruitute peccati, nec solùm à coactionis violentia, verùm etiam à naturali quadam necessitate, in qua ipsum inest spontaneum, agnouisse libertatem. Itaque scribens in Cantica Canticorum: Arbitrij, inquit, libertas, est planè diuinum quiddam præfulgens in anima, tanquam gemma in auro. Ex hac nempe inest illi inter bonum quidem & malum, nec non inter vitam & mortem, sed & nihilominus inter lucem & tenebras, & cognitio iudicij, & optio eligendi, & si quæ sunt alia quæ similiter circa animi habitum sese è regione respicere videantur. Nihilominus inter ipsa censorius quidam is animæ oculus diiudicat & discernit, sicut arbiter in discernendo, ita in eligendo liber, vnde liberum nominatur arbitrium, quod liceat versari in his pro arbitrio voluntatis. Inde homo ad promerendum potis; vbi autem non est libertas, nec meritum. Propterea quæ sunt carentia ratione animalia, nihil merentur: quia sicut deliberatione, ita & libertate carent;

rent; sensu aguntur, feruntur impetu, rapiuntur appetitu. Hactenus Bernardus, ostendens perspicuè cuiusmodi ea necessitas sit, à qua propriè humanum arbitrium liberum esse censeatur. Quanquam id ipsum poruit ex ipsa libertatum diuisione colligi. Nam cum violentia ad miseriam pertineat, miserumque sit cogi, etiam si ad bonum quisque cogendus sit; aliam oportuit in diuisione concipi necessitatem, quam eam quæ sit coactionis, si recta & legitima membrorum distinctio est, qua statuitur alia à necessitate, alia à miseria libertas. Quanam ergo illa est necessitas, à coactionis necessitate distincta? An fatalis? Sed eam sola hominum infidelium stulta persuasione constitutam Christianus non agnoscit. An fixum fortè atque efficax consilij diuini decretum, quo posito, necesse sit quod voluerit euenire? Sed Wicelitarum ista hæresis fuit; omnia propterea necessitate absoluta euenire contententium: cum clarissimè doceat S. Thomas tantum abesse vt efficaci Dei voluntate contingentia libertasque tollantur, vt propterea quædam contingenter & liberè fiant quòd ea sic Deus euenire voluerit: nimirum efficacia suæ constitutionis non solùm euentum rei præstans, verùm etiam eueniendi modum. Fictitiæ proinde sunt illæ necessitates, nec plus omninò quàm chimæra, libero metuendæ arbitrio. Quare restat vt naturalis intelligatur in diuisione proposita, necessitas: per quam, vt Bernardus ait, bruta animantia sensu aguntur, feruntur impetu, rapiuntur appetitu. Sed & Calvinus si seipsum audiat, hanc cogetur necessitatem intelligere. Siquidem propositam libertatem diuisionem liberè se recipere profiteretur: tantum queritur, in ea necessitatem perperam cum coactione confundi. Si confundunt alij perperam; tu ergo Caluine distingue, dicitoque nobis in ea diuisione quam probas, cuiusmodi necessitatem intelligas. Si necessitatem

peccādi, ipsam oportuit in seruitute peccati, ideoque in altero diuisionis membro comprehensam; sin fatalem, nec ei quæ nulla est, ipsæ pecudes subijciuntur. Nisi ergo nescio quam fingas inauditam necessitatem, cōsequi videtur vt naturalem agnoscere debeas, à qua hominum rationalis voluntas libera statuatur. Porro licet Bernardus interdum hoc interpretari videatur esse liberum, quod voluntarium: tamen cū aliunde mens eius agnosci queat, æquum erit vt intelligamus dici ab eo voluntarium, quod ita voluntas per electionem liberam suscipit, vt in potestate sit omittere. Nam & hoc passim intelligimus voluntariè factum, quod cū potuerit non fieri, tamen facere libuerit. Cū autem ait Bernardus, libertatem primam quæ est à necessitate, integram in homine lapsō remansisse, minime in eo, doctrinæ illi aduersari putandus est, qua liberum arbitriū docuere veteres attenuatum esse peccato & debilitatum. Integrum enim in sua natura remansit, hoc est, si spectes eam libertatis rationem quæ sita est in libera electione, cū plura proponūtur. Hæc quippe libertas vti conspicitur in bonis deligendis, ita æquè omninò constat in eligendis malis. neque hic quicquā interest, bonæ an mala eligantur. Cæterum attenuatum debilitatumque & saucium propterea verissimè dicitur, quòd rectè operari & conuenientem naturæ humanæ functionem (quæ in sancta conuersatione consistit maximè) nisi cælestis medici gratia percuratum, exercere non possit. Cecidit enim (ait Bernardus) sola voluntate homo in foueam peccati, sed non ex voluntate suppetit ei etiam posse resurgere, cū iam etsi velit, non possit non peccare. Quid ergo perit liberum arbitrium, quoniam nō potest non peccare? nequaquam, ait, sed perdidit liberum cōsiliū, per quod prius habebat posse non peccare. Manet ergo, inquit, liberum arbitrium post peccatum; etsi miserum,

Sern. 81. su-
per Cantica,
& alibi.

serum, tamen integrum: & quod se per sese homo non sufficit à peccato excutere sine miseria, non liberi arbitrij signat destructionem, sed duarum reliquarum libertatum priuationem. Hactenus Bernardus. qui quod de consilij dicit libertate, sumpsit (opinor) ex eo capite Ecclesiastici, in quo scriptum est: Factum à Deo hominem, relictum esse in manu consilij sui.

CAPVT X.

Virum per lapsum id homo perdidit, quòd initio relictus fuisse dicitur in manu consilij sui.

QUEM locum edisserens auctor librorum Hypognosticon, qui inter Augustini monumenta numerantur, sic explanat, vt gratiam significari putet primæ integritatis atque sanitatis: qua præditus homo, *Lib. 3. Hypog.* facillimè quæcunque bona veller, posset operari, vt, inquit, liberū arbitrium cum possibilitatis bono, quo valeret implere quod voluisset, factum intelligas. Audi quid dicat Scriptura sancta, in Ecclesiastico: Deus ab *Ecclesiast. 15.* initio fecit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui: adiecit mandata & præcepta: Si volueris mandata seruare, conseruabunt te, & fidem facere beneplacitam in perpetuum. Apposui tibi ignē & aquam: ad quod volueris, porrige manū tuam. Ante hominem est vita & mors, bonum & malum: & quòd voluerit, dabitur illi. Quid est autem, Et reliquit illum in manu consilij sui? nisi, dimisit eum in possibilitate liberi arbitrij sui? In manu enim, possibilitas liberi arbitrij intelligitur. Ipsa est prima gratia, qua primus homo stare potuisset, si seruare mandata Domini voluisset. Hac ergo, inquit, per inobedientiam desolatus homo, iudicio iusto factus est serpenti, id est, diabolo, cui maluit obedire quàm Deo, captiuus. & ideo scriptum est: A quo enim quis superatus, huic & seruus additus est. quod confirmat Apostolus iam baptizatis, dicens:

Cum essetis serui peccati, liberi fuistis iustitiæ: videlicet alieni eratis à iustitia. Per se ergo homo lapsum facere potuit, quia voluit: sed non sicut per se lapsus est, continuè à lapsu per se, id est, per propriam voluntatem consurgere valuit, nisi manu Dei misericordissima, quando eius placuit pietati, fuisset erectus. propter quod scriptum est: Alleuat Dominus omnes qui corruunt, & erigit elisos. Hæc ille. In manu consilij igitur, id est (hoc quidem interprete) in magnis viribus magnaque sanitate liberi arbitrij, ab initio homo relictus, iam id perdidit, veneno peccati factus infirmus, nec relinquendus in posterum in manu consilij sui, nisi à sua fuerit infirmitate liberatus. Quid enim in manu consilij relinquant eum, quem nisi gratiæ manus indefinenter fulciat atque sustentet, labi necesse sit? Veruntamen ipse Augustinus Ecclesiastici locum ad hominem quoque lapsum referre non dubitavit cap. 2. & 16. lib. de gratia & libero arbitrio: commemoratis quippe verbis quæ suprâ recitauimus, Ecce, inquit, apertissimè videmus expressum liberum humanæ voluntatis arbitrium. Quæ quidem eius interpretatio, planè ab ipso contextu requiri non iniuria cuiquam videbitur, vbi legi debere constat, non, Apposui tibi, tanquam Domini sit ad primum parentem nostrum introducta fermocinatio: sed, Apposui tibi; vt ad lectorem ipsum, & omninò nostrum quemlibet, Sapientis adhortatio dirigatur. Nec verò improbable est hoc ipsum, auctorem libri Ecclesiastici ex Deuteronomij cap. trigesimo desumpsisse, vbi scriptum est ad similem omninò modum: Considera quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum: & è contrariò, mortem & malum. Et rursum: Testes inuoco hodie cælum & terram, quòd proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam. Quomodo & Iosue vltimo legitur dictum populo,

Optio

Optio vobis datur: eligite hodie quod placet, cui seruire potissimè debeatis. Quibus sanè verbis omnibus illa est comprehensa libertas naturalis, quæ definita est ab Origene 3. Periarcon, & aliis probatissimis auctoribus, facultas eligendi quodlibet è pluribus. Quocirca & illud Ecclesiastici, de relictò homine in sui consilij manu, rectissime interpretabimur, etiam ad hominem lapsum pertinere. Relictus enim & ipse est in manu seu potestate consilij sui: qui nimirum posset inuito secum consilio, pluribus propositis, quod vellet eligere, ac respicere quod liberet. Non, quòd gratiæ Dei gubernatione destitutus, ad ea quæ salutaria sunt amplectenda, sibi sufficeret; sed quòd non ad vnum aliquid, pecorù more, esset determinatus & affixus, vsque adeo vt ea, ipsa quæ gratiæ beneficio adiutus sequeretur, haud minus libera sui consilij electione susciperet, atque si ad ea præstanda, satis magnæ ex natura vires suppeterent.

CAPVT XI.

Liberam interdum voluntatem dici, quia sit à difficultatibus quæ intentionem eius remouentur, expedita.

TAM ET SI autem liberum arbitrium, per communem generis humani ruinam vires amiserit, seu robur ad bene sancteque viuendum: non propterea tamen nullum esse censendum est, sed tanquam spoliatum ac vulneratum à latronibus, ideoque languens & infirmum & semiuivum, sicut Evangelica parabola nobis insinuat, remansisse. Vnde ille scriptor librorum Hypognosticon: Per peccatum, inquit, liberum arbitrium hominis perdidit possibilitatis bonum, non nomen ac rationem. Et rursum, Ipsum liberum arbitrium hominibus certa esse fide credimus & prædicamus indubitanter. Sed cur dicatur liberum arbitrium, paululum est, ait, differendum. Arbitrium ab arbitrando,

trando, inquit, rationali consideratione, vel discernendo quid eligat quidve recuset, nomen accepisse puto, vel ideo liberum arbitrium dictum est, quod in sua positum sit potestate, habens agendi quod velit possibilitatem, quod est vitalis & rationalis animæ motus: sed huiusmodi, inquit, ut antè dixi, fuit in homine protoplasto, cum ante peccatum maneret illæsus. Duplicem (mihi quidem) indicasse videtur libertatis rationem; alteram eius quam naturalē diximus, in ratione sitam ut radice atque principio, quo quid eligendum quidve respuendum sit, diiudicatur. Vnde liberum arbitrium breuissimè dicitur, facultas eligendi. Alteram in voluntatis ea constitutione, qua ipsa ab omni difficultate & impedimèto libera atque expedita, facere queat nullo negotio, nulloque resistente, quod velit. Quod, sicuti verissimè ille dixit, primo homini cum crearetur attributum, peccato periiit. Illud verò alterum in natura remansit. Quo & illa Boëtij conferunt quæ libro quinto de consolatione philosophiæ scripta reliquit, prosa secunda, vbi duos illos miscet libertatis modos, propterea quòd reuera naturalis ea libertas quæ in ratione ut sui radice quadam sita est, per alteram bene disposita & affecta reddatur. Quibus, inquit, inest ratio, ipsis etiam inest volendi nolendique libertas. Hoc cum de naturali dixisset libertate, mox declinat ad aliam quæ prioris perfectio est. Sed hanc, inquit, non in omnibus æqualem esse cōstituo. Nam supernis diuinisque substantiis, & perspicax iudicium, & incorrupta volūtas, & efficax opratorum præsto est potestas. Humanas verò animas liberiores quidem esse necesse est, cum in mentis diuinæ speculatione se conseruant: minus verò, cum dilabuntur ad corpora, minusque etiam cum humanis artibus colligantur. Extrema verò est seruitus, cum vitiis deditæ, rationis propriæ possessione ceciderint. Sic ille, hanc etiam gratiæ sanantis atque liberatissimæ

cum

cum libertate naturali concordia rationem insinuans, qua fit ut quod per insitam rationem naturaliter est liberum, per vitia quidem tanquam compeditum vincumque reddatur ad bonum, per gratiam verò liberetur, ut etiam quæ sunt virtutis, expedite operetur: Itaque manens, inquit Prosper, liberum arbitrium, quod utriusque cum ipso homine Deus condidit, à vanitatibus & cupiditatibus suis, in quas neglecta Dei lege defluxit; non à seipso, sed à Creatore mutatur. Ut quicquid in eo in melius reficitur, nec sine illo sit, quod sanatur, nec nisi ab illo sit, qui medetur. cuius sumus noua creatura, nouumque figmentum, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus ut in illis ambulemus. Et alio loco: Sic rumpit Deus, inquit, vincula capriui, sic vestit nuditatem spoliati, sic sanat vulnera fauciati, ut quod in ipso agit, etiam per ipsum geratur. Ac postea, nec quia spiritu Dei agitur homo, ideo se putet liberum arbitrium non habere: quod nec tunc perdidit quidem, quando diabolo voluntate se dedit: à quo iudicium voluntatis deprauatum est, non ablatum. Quod ergo non interfectum est, inquit, per vulnerantem, non tollitur per medentem. vulnus sanatur, non natura remouetur. Sed quod in natura periiit, non restituitur nisi ab auctore naturæ. Hæc Prosper.

CAPVT XII.

Peccandi necessitatē eam quam non natura, sed natura vitium aliquatenus facit, cum libertate naturali pulchrè consistere.

SED sicuti gratiam qua liberamur, cum libertate naturali pulchrè coherere consistereque supra docuimus, quantum instituti ratio postulabat: ita modò peccandi quædam necessitatem, nihil eidem aduersari (quod breuiter duntaxat attigimus) fusiùs paulo doceamus. Quod igitur peccandi necessitatem (qualem nimirum diuinæ Patrumque sanctorum literæ nobis expresse-

Lib. 1. de vocationis gentium, cap. 8.

expresserunt) ad peccati seruitutem pertinere monstrauimus, non id verendum (quod insulse Caluinus vitari non posse putauit) ne hanc naturalem nobis eripiat libertatem, quæ esse dicitur à necessitate. Est enim libertas hæc, quemadmodum antea significauimus, à necessitate naturæ: qualem animantia bruta patiuntur, quæ tametsi ad pastum, suæque naturæ conuenientes operationes, neque coacta impelluntur, neque absoluta necessitate rapiuntur: tamen naturæ suæ quodam feruntur motu, ad vnum quiddam affixo determinatoque. Ab huiusmodi ergo necessitate, cui actiones vitæ omnes, natura ipsa reddat obnoxias, liberum est hominum genus, propter singularem excellentiam rationis: quæ dum in varias sese partes considerando circumfert, voluntatē huc atque illuc, libero mouet imperio. Neque enim fieri potest, vt nō cum ratione liberum cohareat arbitrium, per quod nostrarum actionum domini siue (vt D. Basilius Cyrillusque loquuntur) nostri iuris sumus: propter quod anima nostra libera est, inquit D. Ambrosius, & diffusis cogitationibus atque consiliis, huc illuc vagatur, & considerando spectat omnia. Alio quoque in loco: Non enim seruisi, inquit, ad obediendum constringimur necessitate, sed voluntate arbitra, siue ad virtutem propendemus, siue ad culpam inclinamus: & ideo nos aut liber affectus ad errorem trahit, aut voluntas reuocat, ratione secuta. Et rursum: Qui, inquit, voluntatis suæ arbiter est, iudex consilij, qui coërcet corporeæ appetitiam passionis, qui ea quæ agit, bene agit, habens suorum actuum potestatem, is profecto liber est. Tametsi negandum non sit, & ipsam humanam voluntatem in quibusdam motibus suis, bona quadam naturæ constrictione sic teneri, vt ad vnum quippiam delata reflecti reuocarique nō possit, velut in eo quoddam beatam vitam appetit, miseram verò refugit atque reformidat. Hunc enim & inter varia

vicia,

vicia, quibus deprauata iacebat natura mortalium, vsque adeo sibi insitum retinuit beatitudinis appetitum, vt non modò misera nolit esse, sed nec prorsus velle possit. Quo in genere motuum, quidam arbitrij libertatem versari voluerunt. Quod is sanè per errorem excidit, vt liberum arbitrium nominari censerent ex ea libertate quæ est à coactione. Quod si recipiendum est, iam & brutæ animantes libero donandæ erunt arbitrio: quod spontaneos sæpè minimeque coactos habent motus. Non ergo vbicunque voluntas est, in eo liberam esse voluntatem necesse est; nec quicquid volumus, id liberè velle dicendi sumus: verèque ex aliqua parte dixit Pelagius, voluntatis arbitrio ac deliberatione priuari, quicquid naturali necessitate constringitur. Quamuis enim hoc propter quandam sermonis generalitatem dicat Augustinus non nullam habere questionem, verum tamen est, cum eodem illa referuntur, vt intelligatur in eo motu non esse libertatem, in quo optima naturæ constrictione teneamur. In iis autem motibus atque actionibus exercendis liberi sumus, quæ à voluntate sic proficiscuntur, vt ab eadem possint non produci, aliud quiddam proponente rationis iudicio. Quæ quidem in eligendo agendoque libertas, vt in illis est qui ita sunt boni vt prauè nihil agere queant (est enim ipsius Dei in efficiendis moderandisque rebus summa libertas. Est & in Angelis permagna, quorum sic est tamen in iustitia fixa & constabilita voluntas, vt nisi quod rectum sit, nihil expectere possint) ita omnino & in iis esse potest, quorum est in malis tam deplorata permissio, vt ad iustitiæ sanitatem nequeant reuocari. Vt enim Angeli sancti necessario quidem boni amore tenentur, sed in variis tamen beatè illius vitæ officiis & operibus liberam habent electionem: cum aut his opitulantur, præ illis aut hoc nō illo modo, istoque & tempore & loco non

alio,

Lib. de natura
et gratia, c. 46.

Alfonsus de
Castro, lib. 7.
contra hereticos
tit. de gratia.

Lib. 1. Instit.
cap. 3. pag. 5.

Lib. de vera
virginitate
Vide Gregor.
Nazianzenum
lib. de lib. arbit.

Lib. 1. de la-
tib. & de vita
beata, cap. 1.

Lib. post. de la-
tib. & de vita
beata.

alio, subueniunt: aut cum ex innumeris diuinarum laudum modis, huc præ illo, sicuti volunt, amplectuntur: sic dæmones summo quidem amore mali obfirmatam in vitiis gerunt voluntatem, sed cum plura variaque proponuntur mala, ex his vnum aliquod libera possunt electione luscipere. Non enim necessario Satan Prophetam Iob percussit vlcere pessimo: non illum armentis, non liberis, aliqua constrictus necessitate spoliauit. Itaque & si per inobedientiam primam ita peccati vinculis implicata cupiditatisque dominatu oppressa sit natura humana, vt crimen vitare suapte virtute non possit, nullum tamẽ sic committit, vt non id vitare potuerit. An non potuere Romani quos colebant Deos non colere; quos non raro mutarunt? An vlla cum gente sic bella gesserunt, sic vllos populos attriuerunt, vt sibi non possent à gladiis, si vellent temperare? Peccandi quidem necessitate victus est, qui infidelis permanet: At non cædes, non sacrilegia, non stupra, aut vllum singulare peccatum, aliqua ductus necessitate designat: Non potest, inquam; ingenito solius nature vigore peccati euadere seruitutem, sed mutare illam potest: vt qui veneri turpiter antea palamq; seruiebat, iam id nolit, studiosèque flagitia manifesta declinet, quod amet vir bonus haberi: vt alius gulam ingluiemq; reprimat, quod avaritiæ potius obsecundet: alius iram ad tẽpus cohibeat, vt exquisitis postea suppliciiis odium conceptum exsatiat. Nam gentiles (inquit Augustinus) cum in agone decertant, ab omnibus continent. Hæc enim cupiditas vana ac per hoc praua, vincit in eis & frænatas alias prauas cupiditates, propter quod dicti sunt continetes. Atque idem aliàs. Veteres, inquit, primi Romani, quamuis vt alię gentes, excepta vna populi Hebræorum, deos falsos colerent, & non Deo victimas, sed dæmoniis immolarẽt: tamen laudis auditi, pecuniæ liberales erant: gloriã ingentem, diuitias

Lib. 4. contra
Iulianum. c. 3.
& lib. 21. de
unitate Dei,
cap. 16.

Lib. 5. de ciuit.
Dei, cap. 12.

diuitias honestas volebant; hanc ardentissimè dilexerunt; propter hanc viuere voluerunt; pro hac & mori non dubitauerunt; cæteras cupiditates, huius vnus ingenti cupiditate, presserunt. Neque enim vnus anima (vt ait D. Chrysostomus) multis sufficere potest cupiditatibus: sed ab alia, alia opprimitur, & diuisa fit imbecillior, cum alia dominetur, & totum ad se animum trahat. Sic Chrysostomus. Vim proinde cupiditatis & impetũ nec improbus ad hoc aut illud perpetrandum necessariò sequitur: cum ipsa sæpenumero cupiditas, aut ab alia cupiditate, aut ab ipso certè humano metu, superetur; multiplexque consideratio à conceptis animo sceleribus humanam crebrò voluntatem abducatur. Sed etsi erit aliquando vis cupiditatis tanta, vt neque coërceatur metu, neque ab alia vehementiore prematur cupiditate, quin possessam voluntatem in scelus abripiat; tamen quod vitari humana virtute non potest, diuina auxiliante poterit: qua fit vt in Dei præceptis ambulemus, & quod bonum est, etiam liberè faciamus; hoc est, secundum modum & naturam liberam quæ nobis insita est facultatis: quam Deus non destruit in ea operando; sed sanat tanquam si faciat medicus vt videat qui obiecto humoris impedimento nihil videbat prius. non enim visum reddit; sed quod visionem impediēbat, abstergit. Ad similitudinem prorsus modum, absterfa vitiosa cupiditate, quæ liberam suapte natura premebat voluntatem, cælestis ille medicus efficit, vt quæ diuina lege præcipiuntur, secundum insitum nobis à natura libertatis modum, exequamur. Id quod esse hic satis arbitramur ad libertatis naturalis tuendam rationem: si videlicet sic malum quod piã fiat infirmitate aut malitia humana, vt liberè possit id non committi, gratia opitulante diuina, quemadmodum sic fit quodcunque bonum auxiliante Deo, vt id possit non fieri libero languente arbitrio. Neque

Homil. 1. in
cap. 1. Iohannis

enim sic est in literis sacris hæc peccati seruitus aut necessitas constituta, vt simpliciter peccatum vitari non possit: sed vt peccati vinculis liber esse, & cupiditatem vera virtute vincere nemo queat, nisi fuerit mediatoris ope liberatus. Verissimè sanè D. Hieronymus ait, Liberi arbitrij nos condidit Deus, nec ad virtutem nec ad vitia necessitate trahimur: alioqui vbi necessitas, nec corona est. Hoc enim (inquit Augustinus) quis non agnoscat? quis non toto corde suscipiat? quis aliter conditam humanam neget esse naturam? sed in re- & è faciendo ideo nullum est vinculum necessitatis, quia libertas est charitatis. Quod autem ex vitiiis naturæ, non autem ex conditione naturæ, sit quædam peccandi necessitas, audiat homo, atque vt eadem necessitas non sit, discat. Deo dicere, De necessitatibus meis erue me: quia & in eiusmodi oratione certamen est aduersus tentatorem, de ipsa contra nos necessitate pugnantem. Ac per hoc, inquit, opitulante gratia per Iesum Christum, & mala necessitas remouebitur, & plena libertas tribuetur. Quis igitur peccat, ait, in eo quod caueri non potest? peccatur autem; ergo caueri potest; sed opitulante illo cui dicitur, Ne nos inducas in tentationem. Quanquam & illud pertinet ad cauendum peccatum, si veraciter dicitur, Dimitte nobis debita nostra. Duobus enim modis etiam in corpore cauetur morbi malum: & vt non accidat, & si acciderit, citò sanetur: vt non accidat, cauemus dicendo: Ne nos inducas in tentationem. vt citò sanetur, cauemus cum dicimus, Dimitte nobis debita nostra. Siue ergo immineat, siue insit, caueri tamen potest. Dicit etiam Augustinus in eo libro quem scripsit de perfectione iustitiæ, hominem sola voluntate sua venisse in necessitatem eam quam sola hominis voluntas superare non possit. Et peccatum est, inquit, cum vel non est charitas quæ esse debet, vel minor est quam esse debet, siue hoc

volun-

voluntate vitari possit, siue non possit. Quia si potest, præsens voluntas hoc facit: si autem non potest, præterita voluntas hoc fecit: & tamen vitari potest, non quando voluntas superba laudatur, sed quando humilis adiuuatur. Sic ille. Necessitates ergo distinguendæ sunt. Alia est enim naturæ necessitas, quam facit Deus: alia cupiditatis, quam malè suadendo sibilus antiqui serpentis induxit. Illa in quibus est operationibus & motibus, in iisdem liberum voluntatis motum esse non sinit. Hæc etiam vbi trahit atque impellit, tamen libertatem voluntatis naturalem non excludit. Cupiditates enim nostræ, quando validè sunt, & quando iis seruimus, necessitates vocantur. ac tum necessitates istæ (vt Augustinus ait) finiuntur, quando vincuntur illæ cupiditates. Quod igitur cupiditate fit, id libero arbitrio fieri quis neget? Cur autem libero fit arbitrio, nisi quia certo iudicio rationis possit idem non fieri? Si autem vt non fiat, valentior alia cupiditas in causâ est, si vel cohibet metus, vel reuocat pudor, vel amici potentis flectunt preces, liberi arbitrij vsus est, in ipsâ seruitute peccati. Sin amore iustitiæ cupiditati repugnatur, & infusæ charitatis robor, peruersi amoris impetus frangit, liberi arbitrij vsus est à peccati seruitute liberati. Illic igitur libera voluntate non ceditur ad perpetrandum opus, sed intus tamen adhuc cupiditatis innexa vinculis, voluntas praua tenetur: hic verò non libera modò, sed etiam liberata voluntate, & abstinetur ab opere, & euerso cupiditatis imperio, ampliùs peccato non seruitur. Illic tentationi vel interiore assensu & amore peccati succumbitur: hic verò gratia liberantis, ne in tentationem inducatur, id est, ne vel concupiscendo cedat, sed iustitiæ delectatione vincat, infirma voluntas adiuuatur. Liberum igitur arbitrium, etsi, dum adhuc in vitio captiuo motu versatur, non sit liberum, id est, nulla difficultate obnitente impeditum,

Lib. 2. contra Iovinianum. In epist. ad Damianum, 10. 3.

Lib. de natura & grat. 6. 65.

Ratiocinat. 14. § 15.

In Psalm. 30. & epist. 70.

feu valens expeditumque ad faciendum bonum: tamen ad id hætenus liberum est, quia sanante & illuminante gratia, quod ratio diuinæ legis contemplatione faciendum proposuerit, exequi liberè possit. Quod quidem lege Dei præscriptum bonum etsi præstare ac peragere nullo modo possit; suppetere tamen alia permulta, in quibus vel suscipiendis vel respuendis, naturæ se rationalis sæpè iam nominata libertas ostenderet: tam multa videlicet ad hanc vitam temporariam siue conferuandam & producendam, siue ornadam seculi more, pertinètia. ipsa quoque peccata tam varia tamque pro variis hominum affectionibus occasionibus que multiplicia, vt numero comprehendi nullo possint. Vnde scripta sunt illa in libris Hypognosticon: Esse fatemur liberum arbitrium omnibus, habens quidem iudicium rationis; non per quod sit idoneum quæ ad Deum pertinent sine Deo aut inchoare aut certè peragere; sed tantum in operibus vitæ præsentis tam bonis quam etiã malis. Bonis dico quæ de bono naturæ oriuntur, id est, velle laborare in agro, velle manducare & bibere, velle habere amicum, velle sibi indumentâ parare, fabricare velle domum, vxorè velle ducere, pecora nutrire, artes addiscere rerum variarum, velle quicquid bonum ad præsentem vitam pertinet: quæ omnia non sine gubernaculo diuino subsistunt; imò ex ipso & per ipsum sunt vel esse cœperunt. Malis verò dico, vt est velle idolum colere, velle homicidium, velle adulterium facere, res alienas velle diripere, Deum viuentem in sæcula blasphemare. Sic ille. Vnde perspicitur quale sit illud Cassiani in Collationibus, cum ait: Nec Deus talem fecisse credendus est hominem, qui nec velit inquam nec possit bonum. Alioquin nec liberum ei permisit arbitrium, si ei tantummodo malum & velle & posse; bonum verò nec velle nec posse concessit. Quo quidem in loco bis omninò falli videtur. Primum, quia liberi usus arbitrij non modò inter bonum & malum,

lum, verum etiã inter duo mala consistit, vt non magis consequens sit, non esse liberum arbitrium in homine, quia bonum facere non possit, quam in Deo non esse, qui malè facere non potest. Deinde quis inquam dixit Catholicus, homini non nisi malum velle & posse, competere? profus & modò cum infirmum & læsum est hominis arbitrium, potest & velle bonum & facere. Sed illo adiuuante potest, qui dicit: Sine me nihil potestis facere. & Faciam vt in præceptis meis ambuletis. Sed contra Cassianum collatorem copiosè & eruditè describitur à diuo Prospero Episcopo Regensii.

Cap. 17.

CAPVT XIII.

Quanta vis sit innata præsertim & inueterata cupiditatis ad animum infelicis seruitute premendum.

HÆC eò dicta sunt, ne aut prætextu gratiæ quolibet beramur defendendæ, liberum destruat arbitrium; aut studio propugnandæ libertatis naturalis sic effluamus, vt gratiæ Dei facere videamur iniuriã, quæ de implicamētis necessitatū nostrarum expediti, beata libertate donamur. Quod ille beneficium cōsecutum se esse recognouit, qui dixit: Quia respexisti humilitatem meã, saluasti de necessitatibus animã meam: nec cōclusisti me in manibus inimici. Ac reuera (quoniam huc nostra reuocari debet oratio) quis edisserat pro rei magnitudine, quantæ sint necessitates vincendarum cupiditatum, & annosæ consuetudinis malæ? vides quàm malè facias, quàm detestabiliter, quàm infelicitè; & facis tamè. Fecisti heri, facturus es hodie, cras quoque fiet idem. Vnde raperis? quis te captiuum trahit? nullane hæc necessitas est infelicissimæ seruitutis, quam lex membrorum imponit? Nullumne iugum quod ille se perpeti verbis eiusmodi confessus est?

Psalm. 36.

Quidiam.

Odi, nec possum cupiens non esse, quod odi:

Heu, quàm quod studeas ponere, ferre graue est!

obnoxia, iam tenetur. Hoc ipsum & Propheta dixit: Si potest, inquit, Æthiops mutare pellem suā, aut pardus varietates suas, sic vos poteritis benefacere. cum didiceritis malum. Sapiens ipse quoque cum erga impios diuinæ benignitatis ostenderet patientiam, Dabas, inquit, locum pœnitentiæ, non ignorans quoniam nequam est natio eorum, & naturalis malitia ipsorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio eorum in perpetuum. Vnde & illud esse arbitror, quod scriptum in Euangelio est, Facilius esse camelum intrare per foramen acus, quàm diuitem in regnum cælorum. Amor enim mundi, vt tenacissimis vinculis animum detinet in viâ veteris errore; ita repugnat atque oblectatur, quoad potest, contraria præcipienti ac suadenti Deo. Quoniam enim modo non inhæreat instar visci tenacis, aut magis expelli quàm natura queat quod ab ipso ortu insit? Alienati sunt, inquit, peccatores à vulua, errauerunt ab utero; locuti sunt falsa. Quanam ratione suis expediantur vinculis, qui seruitutem propriam sic ament, vt verbum salutis, quo liberari possent, tanquam occlusis auribus non admittant? Furor, inquit, illis in similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ & obthuratæ aures suas. Quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapiēter. Aspidem enim ferunt, ne incantatoris carmine educatur è latebris, alteram quidem aurem premere in terram, cauda verò alteram oppilare. Denique prudētia carnis (quemadmodum ait Apostolus) semper est inimica Deo; neque illi subiecta esse aliquo pacto potest. Cuius tamen voluntati natura omnis promptissimè cedit, sui que conditoris mox agnoscit imperium. Itaque neque lex, quamlibet sancta & iusta ac bona, neque vlla doctrina, quantumuis clara & illustri, idoneis que ad persuadendum verbis proposita, satis esse cuiquam potest ad animum cupiditatis seruitute

*Hieron. 13.**Sapient. c. 12.**Psalm. 57.*

seruitute liberandum. Multo que magis id se effecturam Philosophia frustra proficitur, vt nec fibræ quidem supersint stirpium malarum, id est, ægritudinum animi seu vitiosarum cupiditatum. Sed quod erat legi impossibile, inquit Apostolus, quæ infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. Hic est qui educit victos in fortitudine, similiter & eos qui exasperant, qui habitant in sepulchris: qui conterit portas areas & vestes ferreos confringit. Hic solus est, qui grauatam animam iugo peccati, liberare de suis necessitatibus potest. quam his solutâ illud sequitur, vt nec inimici manibus (quemadmodum in Psalmo scriptum est) concludatur. Omnes enim morientes si bene morimur, ex eius elabimur manibus. Qui verò in suis iniquitatibus malè moriuntur, eius conclusi manibus vnâ cum eo in fine damnantur. Cuius sub tyrannide pars agitur alia miserandæ seruitutis.

*Cicero in fine lib. 3. Tuscul.**Psalm. 106.**Psalm. 30.*

LIBRI PRIMI FINIS.

D S DE

up on dety justitiam et omnia peccata deponit

DE
CHRISTIANA
LIBERTATE
LIBER SECVNDVS.

PROOEMIUM.



EST inter cætera humanæ conditionis mala etiam hoc ludibrium, vt ad nomina expauescat, res ipsas amet ac sequatur. Quod ne pluribus prosequamur exemplis, vtetur eo quod nostri instituti propriū est. Diaboli nomen quis non execratur? quis interrogatus, dicat ei se velle seruire? captiuitatis eius vincula & tetros carceres quis non reformidet? Nec pauci tamē sunt, qui hæc nomina cum fugiant atque oderint, rebus implicati vltro teneantur. Hoc eo fit, quod in re ipsa quanta pernitias insit, quantumque horrendæ infelicitatis, non penitus introspiciant. Quod vt facere possint, hoc secundolibello adiumentum aliquod doctrinæ salutaris conferre propositum est. Præsertim cum hoc iam explicandæ materiæ, quam ingressi sumus, luculentior ac distinctior quidam ordo percipere videatur.

CAPVT I.

Quanam ratione acciderit, vt homo incurreret sub diaboli tyrannide seruitutem.



QVONIAM igitur diabolo contra Domini præceptum suggestenti, cessit homo ad peccatum perpetrandum, cum esset sapientissimo fortissimoque facilimū repugnare: idcirco incurrit hanc quoque suo merito seruitutem, vt ab eo qui vicerat,

cerat, captius teneretur ac possideretur: eundemque vt naturæ gradu potioem habebat, ita principem habere, imò tyrannum sæuissimum pati cogeretur: qui perditus, quos possēt perderet, atque in suppliciis se gauderet habere consortē. Ex quo illa sunt apud Isaiā: Quia hæc dicit Dominus Deus; In Ægyptum descendit populus meus in principio, vt colonus esset ibi: & Assur absque vlla causa calumniatus est eum. Et nunc quid mihi est? hæc dicit Dominus, quoniam ablatas est populus meus gratis, dominatores eius iniquè agūt, dicit Dominus, & iugiter tota die nomen meum blasphematur. Quis enim Assur ille est, nisi diabolus seculi princeps? qui primus apostasiam molitus, & contumaci superbia aduersus proprium elatus cōditorem, homines pati non potuit beatam in Paradiso vitam agere, colereque tranquillissimis animis iustitiam, & officia sequi atque oblectamenta virtutum. Itaque inuidiæ morbo concepto, dolis hominem aggressus, quasi ambitione sciebat corruisse, eadem instillata subuertit: subuersum autem addictumque sibi, per contumeliam & impotentem superbiam, toto in genere velut calcibus protriuit. Non enim hominis ex ambitione profecta præuaricatio, institutum semel opere creationis ordinem (quo superiore esse diximus naturam angelicam) potuit perturbare: meritoque iam prostratus homuncio, grauem ad eō patitur illius dominationem, cui, relicto vero Domino, spontè se vendidit. Etenim seruitus hæc nō institutio, sed iudicium est Dei: quo fraus versipellis inimici facta est homini malè credulo, iustissima pœna peccati. Et gratis quidem abactum in seruitutē est genus humanum, id est, immeritò, & sine causa, ex parte tyrāni sæuietis. Quid enim in diabolū homo peccauerat, vt ab illo indignis ad eō modis pessundaretur? aut quam ille affectus fuisset iniuria, si is quem ceperat, ei negaretur? vnde per

Insent. 129.

per mediatorem ereptum est diabolo, inquit Prosper, iniquitate sua victo, non quod habebat proprium, sed quod rapuerat alienum: atque auferendo quæ de magna eius domo perierant, non furtum Christus fecit, sed furtum recepit. Diuus etiam Irenæus libro quinto, Captiuus, inquit, ductus est iuste qui hominem iniuste captiuum duxerat. At hominis ex parte, posteaquam diabolo consensisset, non defuit quamobrem hanc tam diram vilemque iure pateretur seruitutem. Quam ob causam dixisse opinor Augustinum, & illud appellum fuisse æquitatis examine, ut nec ipsius diaboli potestati negaretur homo, quem sibi malè suadèdo subiecerat. Iniquum enim erat, inquit, ut ei quem ceperat, non dominaretur. Nimirum quia meritis eius malis, quibus Deo sese subtraxerat, cõgrua sub iusto iudice minimè redderetur pœna, nisi diabolo, cui consenserat, traderetur. Idcirco & beatus Ambrosius de diabolo & angelis eius verba faciens, Isti, inquit, principes interdum gratis persequuntur, interdum non gratis. Gratis persequuntur apud quem nihil suum inueniunt, & eum subiugare contendunt. Non gratis persequuntur eum qui se eorum dederit potestati, & in possessionem seculi totus intrauerit. In suos enim iure sibi dominatum vendicant, atque ab his mercedè iniquitatis efflagitant. Sic Ambrosius in Psalm. 118. Quadam itaque iustitia Dei in potestatem diaboli traditum est genus humanum, peccatõ primi hominis in omnes nascentes originaliter transeunte, parentumque primorum debito vniuersos obligante posteros.

CAPVT II.

Quales in homines diabolus suæ dominationis potestatem exercent.

QUÆ quidem traditio in libro Geneseos significata esse videtur: vbi cum serpenti dictum esset, Terram māducabis, homini dictum est, Terra es, & in terram

*Lib. 3. de lib. arb. cap. 10.**Serm. 11. in Psalm. 118. ad versic. Princes pas persequuti sunt megrati.*

terram ibis. Nam quod dicitur, Terra es, totum hominem ostèdit in deterius commutatum esse. Quemadmodum & illud alio loco scriptum: Non permanebit spiritus meus in hominibus in æternum, quoniam caro sunt. Hoc enim illud est, ex quo dediti vitis homines ac spretis fastiditisque cælestibus bonis, terrena sapientes, carnales appellari consueverunt. Tales igitur homines, id est, terreni ex prima natiuitate, atque ad hæc caduca fluxaque incuruati, nondum regeneratione cælestes effecti, terræ quoque nomine significantur. Velut cum dicitur Apostolis: Vos estis sal terræ. & apud Hieremiam Prophetam: Omnes qui te derelinquunt, confundentur; recedentes à te, in terra scribebuntur: quoniam dereliquerunt venam aquarum viuèrium. Quid enim est, In terra scribebuntur; nisi, numerabuntur inter homines terrenos ac mortuos spiritu, à cælesti. vita prorsus alienos? quales, opinor, significabat Dominus, accusatores adulteræ cum digito scribebat in terra. In his igitur pabulum inuenit diabolus, quo sese oblectet. qui quoniam terrena vitiorum immunditie pascitur, gaudetque mortales in ea volutari, Spiritus immundus appellatur. valde ut metuendum esse appareat quod dicitur serpenti, Terram māducabis omnibus diebus vitæ tuæ: cum his verbis, homines terrenis voluptatibus inhiantes, ideoque terræ aptissimè comparati, feræ illi atque immani belluæ traditi significantur. De qua etiam scriptum est in libro Iob sub nomine Behemot, quòd scænum ut bos comedit: nimirum, quia omnis caro scænum, & omnis gloria eius quasi flos scæni: exaruit scænum, & cecidit flos, verbum autem Domini manet in æternum. Ille est Behemot de quo dicitur apertius in eadem Prophetia: Non est super terram potestas quæ comparetur ei, qui factus est ut nullum timeret. Omne sublime videt: ipse est rex super omnes filios superbiæ. De hoc ipso & illud scriptum

*Cyprian. serm. de oratione Domine 4.**Hieron. 17.**Ion. 8.**Hieron. lib. 2. contra Pelag.**Prosper lib. de premiss. & practict. cap. 3.**Iob 40.**Isaia 40.**Iob 41.*

Abc. 1.

scriptum esse arbitror, sub typo Regis Chaldaeorum: Horribilis & terribilis est, leuioreis pardis equi eius, & velocioreis lupis vespertinis. Omnes ad prædam veniunt, facies eorum ventus vrens, & congregabit quasi arenam captiuitatem, & ipse de Regibus triumphabit, & tyranni ridiculi eius erunt. Et quibusdam interpositis; Domine, in iudicium posuisti eum, & fortem vt corriperes, fundasti eum: & facies homines quasi pisces maris, & quasi reptile non habens principem. Totum in hamo subleuauit, traxitque illud in fagina sua, & congregauit in rete suum. super hoc lætabitur & exultabit: propterea immolabit fagenam suam, & sacrificabit reti suo. Quia in ipsis incrassata est pars eius, & cibus eius electus. Propter hoc ergo expãdit fagenam suam, & semper interficere gentes non cessat.

CAPVT III.

Quanta quamq; late patens sub diabolo seruitus peccatorum.

NVNC mihi ex his seruitutis captiuitatisque huius magnitudinem considera. Quid durius quam ei seruire, qui incredibili feritate deuoret sibi seruietes, nec cædis vllum faciat finem? Quid in felicius quam ab illo tali teneri captiuum, cum præsertim nulla ratione ex eius potētissimis manibus extorquere queas? Quid funestius quam ab illo tam tetto principe pro eius sæuissima libidine regi, & huc atque illuc per varios cupiditatum estus, ad ipsamque postremò sempiternam mortem rapi? Ipse enim est qui operatur & efficax est, suamque omnem energiam explicat in filiiis diffidentia. Ipse in eis irarum stimulis excitatis, in diuiduos amicorum scindit affectus: ipse libidinum flammis accensis, in flagitia fæda præcipitat: ipse adolete avaritiæ cupiditates, vt quo plus rapuerint, requirant amplius: Ipse suggerit & ministrat fomenta luxuriæ: ipse cruentas in cædes odia exasperat, & immodicæ

studia

studia ambitionis inflammat. Quid autem non ab illis extorqueat, qui aut homines mortuos, aut cæli sidera pro diis colant; aut fædis animalculis, serpentibus, talpis, vespertilionibus, aut humanis morbis, vel vitis, aut lignis denique & lapidibus, diuinam inesse credant maiestatem? ideoque hoc in primis studiosissimeque semper agit, vt excludat fidei lucem; & tanquam errorum obiecta mole, salutis aditum intercludat. Quod vbi perfecit, non magnum est si in libidinum infandarum gurgitem demergat: si superstitio-num malis artibus illaqueet: si superbiæ elatione præcipitet: si inuidiæ exagitet stimulis: si conculcet per avaritiam, si consumat per ingluuiem, si frangat per impatientiam, si deiciat per desperationem, si denique tanquam immissa cohorte omnium vitiorum, pessundet ac perdat genus humanum. his regnum eius munitur vitis, ambitur flagitiis: turres eius, sunt crimina: sunt arma quarumcunque molimina turpitudinum. huius Regis telonarij, sunt pauperum oppressores: Tribuni, seductores: Præfecti, iudiciorum atque equitatis peruersores. In his regnat, quos inquinat: atque in his quos polluit, dominatur: totaque potestatis eius virtus, in mortem damnationemque eorum qui sub eo principe militant, elaborat. At non illi, inquis, defuere fortes, non temperantes, non contemptores opum & pompæ secularis. Sic nimirum versutissimus fallit falsa virtutis imagine: & tanquam libertatis concedit aliquid, vt grauioris vincula seruitutis iniiciat. Catonem videlicet habuit grauem & constantem, vt sui faceret peremptorem. contemptores opum philosophos, vt vanos redderet ac superbos. Catilinam algoris, vigiliarum, & inediæ supra quam cuiquam credibile est, patientem: vt eum faceret patriæ parricidam. Quid tanta Lucretiæ cura castitatis profuit, nisi vt dum tueretur castitate, exueret humanitatem? seipsam enim aut stupri

impa-

Dnid. in Fastu.

impaties interfecit; aut, sicuti dictum est à Poëta, Succubuit fame, victa puella meru. Quid Cæsari industria singularis & admirabilis illa (quæadmodum ab Oratore laudata est) misericordia contulit, nisi vt dominandi libidinem, qua atrocissimè corda mortalium vastantur, accèderet? Laudabat quotidie virtutem Pythagoras, & vitia luxuriæ contemnebat, casusque civitatum hac peste perditurū, enumerabat. cumque tanquam virtutum genitricem, frugalitatem omnibus ingereret; consecutus assiduitate disputationum erat, vt matronæ auratas vestes cæteraque dignitatis suæ ornamenta, velut instrumenta luxuriæ, deponerent. Sed si quæris, cui tanta seruiret cura virtutis, Deo an diabolo; id ex eo intelliges, quod omnia illa quæ dicta sunt instrumenta luxuriæ, delata in Iunonis ædem, ipsi deæ cōsecrari iuberet. Ipseque postremò Pythagoras hunc de admiratione sui fructum reportauit, vt ex eius demortui domo, templum facerent, ipsumque pro Deo colerent. Denique aliquos eorum, inquit Augustinus, per quos amplius decipere affectat, finit habere nonnulla velut opera bona, in quibus laudatur per quasque gentes, præcipueque in gente Romana, qui præclarè gloriosissimeque vixerunt. At temporaria saltem felicitate (dixerit quispiam) cultores beabat suos. Primum se ille dare mentiebatur quod in potestate non habebat; vt ea falsa pollicitatione quamplurimos comprehenderet. Deinde si quid Deo sinente largiebatur, esca erat in hamo posita, vt totum hominem commodius prædaretur. Dabat aliquid; sed vsurariorum more, quo plus reciperet. Dabat enim pecuniam, sed vt raperet animam; præmia ostentabat quibus non ad virtutem excitaret, sed ad vitia prouocaret. Insidiosus subinde officiis cōsulere visus, ne hostis reipublicæ noxius putaretur, sed potius tanquam Deus quispiam crederetur esse placandus. Quid? quod falsis etiam miraculis

visisque

visisque prodigiosis sacrificia sibi cōciliauit? Obscena spectacula, ludosque theatrales excitauit? & inter honores interim suos perpetuam gerens nocendi voluntatem. Nec enim si placetur, nec si rogetur, desinit nocere velle. Id, inquit Augustinus, malevolentia eius proprium est. Sed angustum illius ac rarum eiusmodi cenles imperium fuisse? Imò verò hoc per omnes gentes nationesque potrexerat; omnem conditionem & sexum, omnemque ætatem comprehenderat. trahebat & infantes ad mortem, quorū nec vnus diei vita erat super terram. ambulare per ætatem nondum poterant, & hac tenebatur seruitute compediti. Reges & Imperatores, ridiculi eius erant. Illi philosophorū acumen, illi sacerdotum religio, illi militaris virtus, illi publica & priuata seruibant. Roma ipsa terrarum domina, tantum abest vt effugeret seruitutē, vt eam nulla grauius ciuitas pateretur. Hic vigeabant maximè terrenæ sapientiæ vanitates; hic dæmonum cultus varijs; hic sacrilegorū multiplex celebrabatur impietas, vbi diligentissima superstitione collectū habebatur quicquid vsquam fuerat vanis erroribus institutum. Et si autem hominibus multis (inquit Leo sanctissimus) inerat amor veri; incertarum tamen opinionum varietas, fallentium dæmonum decipiebatur astutia: & falsi nominis scientia, in diuersas cōpugnantesque sententias humana ignorantia trahebatur. Hoc ludibrio, inquit, captiue hominū mentes, superbiētī diabolo seruibant.

CAPVT IIII.

Quam variè genus hominum ludificarint dæmones, atque etiam pænis irrogatis seruire sibi cōegerint.

SED hanc sub dæmonibus eorumque principe seruitutem, in varijs ac propè infinitis falsorum deorum cultibus, in superstitionibus sacrilegis, in omni genere flagitiorum & criminum, in cruciatibus etiam

E

nisi

*Serm. 3. de
Natiuit. Do-
nati.*

nisi hæc fierent quæ illis collibuisse subeundis : quis breui queat explicare sermone? Spiritus enim insincer-
 i & vagi, inquit Cyprianus, posteaquam terrenis vitiis immer-
 si sunt, & à vigore cælesti terreno contagio rec-
 cesserunt, non desinunt perditis perdere : & deprauati
 errorem prauitatis infundere. Hos & Poëtæ dæmonas
 nominant, & Socrates se instrui & Regi ad arbitrium
 dæmonis prædicabat. Ac de Socrate quidem quod ait,
 complures alij scriptû testatûque reliquerunt. O phi-
 losophum igitur tantopere prædicandum, qui de sua
 etiam sibi infelicissima seruitute, non veretur applau-
 dere. An non diis bonis inferiores esse dæmones, ipsi
 quoque philosophi Platonici censuerunt? nõnne &
 perturbationibus vitiisque variis putarunt obnoxios,
 iisque similiter vt homines agitari? Quàm igitur in-
 sapientia vel amentia potiùs, per aliquam religionem
 dæmonibus subijcitur, cum per veram religionem ab
 ea vitiositate qua similes eis sumus, liberemur? Nec
 dubitauit tamen Apuleius Madaurensis de Deo So-
 cratis librum scribere; vbi differit & exponit ex quo
 genere numinum, numen sibi Socrates habebat ad-
 iunctum, & amicitia quadam cõciliatum. A quo per-
 hibetur solitus admoneri, vt desisteret ab agèdo, quan-
 do id quod agere volebat, prosperè non fuerat euen-
 turum. In eo autem libro, dicit apertissimè, copiosissi-
 meque asserit, non illum Deum fuisse, sed dæmonem.
 Non intelligens se Socratem, cum eum laudare vult,
 quod numen eiusmodi à quo regeretur ac instituere-
 tur, amicitia sibi haberet adiunctum, seruum fuisse mi-
 ferrimum demonstrare. Ad eundem modum sophista
 quoque Libanius, Iulianum apostatam commendare
 volens impensius, O dæmonum, ait, alumne, dæmo-
 numque discipule, & dæmonû obseruator. Nimirum
 hoc de Iuliano dixit laudans, quod de eodè Christiani
 vituperantes & detestantes asseriebant, cum vellent
 Iulia-

*Tractatu 4. de
 idolorum vani-
 tate.*

*Aug. lib 8. de
 ciuit. cap. 14.
 15. 16 17. 18.
 Vide Plato-
 nem in Dia-
 logo de Amo-
 re, vbi docet
 dæmones me-
 dios esse inter
 Deos & mor-
 tales. Et transf-
 mittere ad deos
 res hominum,
 Et ad homines
 res deorum.*

*Lib. 7. tripart.
 hist. cap. 2.*

Iulianum diaboli seruum infelicissimû declarare. Sed
 redeo ad Cyprianum, qui nec Socratè quidem (quem
 non dubitarunt doctissimi quique gentiliùm, in omni
 sermone appellare sapientem) ludificationes miseran-
 dæ seruitutis effugere potuisse, verbis aliquot perstrin-
 gendum existimauit. De ipsis ergo dæmonibus cum
 pergit verba facere, Hi spiritus, inquit, sub statuis atq.
 imaginibus consecratis delitescunt. Hi afflatu suo va-
 tum pectora inspirant; extorum fibras animant; auium
 volatus gubernant; sortes regunt; oracula efficiunt; fal-
 sa veris semper inuoluunt. nam & falluntur & fallunt;
 vitam turbant, somnos inquietant, irrepentes etiam
 corporibus, occulta mentis terrent, membra distor-
 quent, valetudinem frangunt, morbos laceffunt: vt ad
 cultum sui cogant, vt nidore altarium & regis peco-
 rum faginati, remissis quæ constrinxerant, curasse vi-
 deantur. hæc est de illis medela, cum ipsorum cessat
 iniuria. Nec aliud his studium est, quàm vt à Deo ho-
 mines auocent, & ad superstitionem sui, ab intellectu
 veræ religionis auertat: & cum sint ipsi pœnales, quæ-
 rere sibi ad pœnam comites, quos sui criminis fecerunt
 errore participes. Hæc Cyprianus de dæmonibus:
 Quorum ingenium & maleuolentiæ plena perueritas,
 ex his hominibus colligi potest, qui gaudent miseriis
 alienis, & risus sibi, & ludicra spectacula exhibent, vel
 exhiberi volunt, euerfionibus & erroribus aliorum. Sic
 enim isti doloribus ac miseriis damnatorum pascun-
 tur: ac pro ista maleuolentia sua, bonorum liberatione
 torquentur. Quorum de principe, Methodius apud
 Epiphanium, sic versu dixit:

*Errore cæcus, ignorantiaq; dux,
 Vita lacrymis gaudens, simul suspiriis
 Ad improbas persuadet hic iniurias
 Consanguineas armemus, vt contra manus
 Fratres.*

*Vide in hæres.
 Origeni.*

Cùm enim illi non sufficeret (ait S. Chryostomus) mortalem iam factum esse hominem, maiorem tragediam à nefando mortis genere parabat, persuadens misero illi ut fratricida fieret. Festinabat enim, anxieque mortis sententiam in opus ipsum progressam videre cupiebat: nunquam malis nostris pro voto exsaturatus ille hostis. Non aliter quam si quis hostem & inimicum suum, quem in vinculis existentem, mortis iam accepisse sententiam cognouerit, ita cupidè enecatam iri gestiat, ut tantum temporis quousque urbem egrediatur, ferre non sustinens, malit statim in ipsa urbe iugulatum videre. Sic ille dæmonum, maximeque eorum principis nequitiam & odium in nos insatiabile declarauit. Ab his igitur mali homines decipiuntur, cruciantur, vincuntur, damnantur: & his seruiunt, quanquam vltimi ipsi serui sint, in hoc rerum vniuersarum ordine, iustissimo summi moderatoris iudicio constituti. Porro quantum eorum tyrannis valuerit in peccati & infidelitatis seruos, quamque libera in eos rabie grassati sint, suæ ut cogere obsequi voluntati: cum alia permulta, tum vnum illud egregiè declarat, quòd de Tito Latino auctores grauissimi memoriæ prodiderunt. Cùm enim plebeiis ludis quidam paterfamilias, per circum Flaminius, priusquam pompa induceretur, seruum suum verberibus multatum, sub furca ad supplicium egisset; Latino mulctam ex plebe Iuppiter in quiete præcepit, ut Consulibus diceret, sibi hoc eo tempore minimè placuisse: numinibus, opinor, ex ludis hilaritatem querentibus, quam non oportuerit tristi eiusmodi spectaculo perturbari. quæ res nisi attenda sedulaque ludorum instauratione esset expiata, secururum non mediocri urbis periculum simul denunciari iussit. Cùm ergo ille qui somno commotus erat, iussa facere non esset ausus, hanc silentij retulit pœnam, ut cuestigio filius eius subita vi morbi

correctus

Valer. Max.
lib. 1. cap. 7.
de Somniis.
Et Aug. lib.
4. de ciuitate
Dei, cap. 26.

correctus interiret. Ipse quoque per quietem ab eodem interrogatus Deo, satis sine magnâ imperij neglecti pœnam pependisset, cum ne sic quidem ut imperata faceret, moueretur: graui debilitate corporis, & acri morbo solutus est. Tum verò ex amicorum sententia, rem detulit ad Senatum, eò lectica perlatus. Atque inde ordine totius sui casus exposito, magna cum omnium admiratione, recuperata firmitate membrorum, pedibus domum sanus abcessit. Tanto miraculo stupefactus senatus, quadruplicata pecunia ludos censuit instaurandos esse. Hic igitur quis non videat, qui modò sanum sapit, subditos homines malignis dæmonibus, vi compulsos esse talibus exhibere diis, quæ recto poterant consilio turpia iudicari? In illis certè ludis, poetica numinum carmina frequentabantur. In illis, corruptorem pudicitiae Iouem, turpissimi histriones cantabant, agebant, placabant. quos ludos instaurari Senatus noluisset, nisi hanc sibi diabolus turpissimam seruitutem exhiberi, graui incusso metu voluisset. Complura sunt eiusmodi, ex quibus liceat agnoscere, quantum non modò vafricie seduxerit, verum etiam seueritate cæcis hominibus imperarit princeps tenebrarum: hoc agens etiam instrictis tanquam diuina virtute suppliciis, ut è tenebricosis errorum carceribus, eximere se nequaquam possent. Eò namque pertinet, quòd Apollo, sui nominis vindex acerrimus, Carthagine à Romanis oppressa, cum aurea veste nudaretur, id egerit, ut sacri legæ manus inter fragmenta eius abscissæ inueniretur. Item quòd Brennus Gallorum dux, Apollinis templum Delphis ingressus, quasi Dei voluntate in seipsum manus verterit: quòd Milesia Ceres, Mileto ab Alexandro capta, milites qui templum spoliaturi irruerant, flamma obiecta priuarit oculis. Quæ qui non diaboli ad stabiliendum impietatis imperium, sed Dei facta virtute crediderunt, mirati sunt Dionysij Syracusani

Valerius Max.
lib. 1. cap. 2. de
neglecta religione.

cusani in violandis deorum simulachris, impunitam insolentiam: qua detracto Ioui Olympio, magni ponderis aureo amiculo, laneoque pallio iniecto, irridentis dixerit, Æstate graue esse aureum amiculum, hieme frigidum: laneum autem ad vtrumque anni tempus apuū: qua rursus Epidauri Æsculapio barbam auream demi iussit, quod affirmaret non conuenire patrem Apollinem imberbem, ipsum verò barbatum conspici: qua item pateras & coronas & mentas aureas atque argenteas, è fanis deorum sustulit. veruntamen et si debita ipse supplicia non exsoluerit, dedecore tamen filij, mortuum putant pœnas dedisse, quas viuus effugerat. Sed tantum exemplorum nostro huic Instituto sufficiat.

CAPVT V.

Quod necessitate quadam, sed voluntaria, homines sub diabolo captiui & serui remaneant.

IN FELICISSIMAM hanc sub mūdi principe seruitutem beatus Apostolus suis aliquando verbis expressit, Christianisque subinde (quoniam digna res erat) in memoriam reuocauit: Vos, inquit, cum essetis mortui delictis & peccatis vestris, in quibus aliquando ambulastis secundum seculū mundi huius, secundum principē potestatis aëris huius, spiritus qui nunc operatur in filios diffidentiae: in quibus & nos omnes aliquando conuersati sumus, in desideriis carnis nostrae: facientes voluntatem carnis & cogitationum. vehemēter autem ista Manichæi hæretici de ipso Deo dici contendebant, effrenemque linguam exerentes, ea Deo tribuebant, quæ solius sunt diaboli. At quam obrem, inquis, diabolum principē huius sæculi dixit? Eo quod (ait Chrysostomus) omnis ferè humana natura seipsam illi tradidit, omnesque illi spontè ac voluntariè seruiunt. Vnde ait Apostolus: Qui nunc operatur agitque in filiis diffidentiae, siue (vt aliorum habet

inter-

interpretatio) in filiis contumacibus & immorigeris Deoque incredulis: qui videlicet obstinatione mala voluntatis, Euangelio credere & obedire recusant. Ideoque repudiātes principem & auctorem libertatis Christum, tyranni iugo sese vtrò ac lubētes subiiciūt. Quid igitur mirandum est, si (quod alibi dixit) captiui ab illo teneantur ad ipsius voluntatem? Quia iugum illud diaboli grauissimum, non vt sua volūate subierunt, ita etiam excutere sua volūate possunt. Consensu quippe nostro obligamur, sed Dei misericordia solius absoluiamur, vt enim cernimus in constituendis mundi huius regnis, electione quidem libera vnum fieri Regem: sed posteaquam is effectus sit & confirmatus, eius asperum & graue etiam, ferendum esse subiectis populis imperium: ad similem modum in hominis potestate initio quidē fuit, vt solius Dei sanctissima lege, ac leui suauisque eius imperio regeretur. At simulatque in diaboli potestatem vtrò se tradidit, in necessitatem conuersa voluntas est. Necessitatem sanè, qua semetipsum vi sua expedire atque illius è vinculis proripere præ imbecillitate non posset: sed esset, quemadmodum est apud Prophetam: Sicut orix illaqueatus, siue inclusa quæpiam fera, in quam delasatam cursu, & irretitam cassibus, irruunt venatores & canes. Esset idem nihilominus indignatione Domini plenus & increpatione dei sui: hoc est, peccatis & vitiis, ob quæ dignus esset increpatione & ira Dei. Non enim erat eiusmodi necessitas vt seruiret inuitus, nisi forasse nonnullis in rebus, quæ possint non corruptissimæ menti, ingrata & improbada videri. nam alioqui homine vitiatò, & diaboli vinculis alligato, quid pronius ad illi seruiendum? quid promptius ad obsequendum? quid profusius & studiosius ad honorandum? Et ardens quidē atque indefessum seruiendi studium, quod etiam cibi potusque necessarij curam & cogitationem

z. Timoth. 2.

Isaie 51.

Ad Ephesios
cap. 2.In Epist. ad
Ephes. serm. 4.Vide Chrysostomum &
D. Cyrillum.

Isaie 44.

tionem excluderet, in idolorum cultoribus Isaïas expressit, cum cæcam illorum vefaniam, & cor ignorantia tenebris obrutum, pluribus verbis prosequitur: Faber ferrarius, inquit, lima operatus est; in prunis & malleis formauit illud, & operatus est in brachio fortitudinis suæ. Esuriet & deficiet, non bibit aquam & lassellet. Ac rursum: In multitudine viæ laborasti, neque tamen dixisti, Quiescam. Tanto videlicet ardore animi ad sacrilegos falsorum deorum cultus rapiebantur. Laudatum id quoque est in gæte Romana, quod ij qui primi fuere, tantamque rempublicam posteris virtute pepererunt, domi quidem parci essent, atque in amicos fideles; in supplicationibus verò deorū magnifici. Quin & Marcus Atilius Regulus, imperator populi, à Carthaginensibus vt rediret dimissus, peractis in Senatu quæ voluit, ad acerrimos inimicos suos, cum nemo cogeret, redire non dubitauit: ne suos deos, per quos iurauerat, offenderet. Cum autem suos deos ita vererentur, vt, ne in illos peccarent, grauissimis sese vitæ periculis exponerent; quid aliud quàm diabolo hosti suo capitali promptè libenterque seruibant? Omnes enim dij gentium dæmonia, Dominus cælos fecit. Denique his regentibus atque dominantibus, & ingenij viribus & corporis laboribus, & omni studio curaque sectabantur ea, quorum adeptione non locupletiores, sed egentiores; non beatiores, sed miseriores euadebant. Neque aut laborum magnitudinem fructus, aut merita præmium, sed supplicium sequebatur: & tamen vanitati alacriter seruibatur; si quispiam hoc reprehenderet, damnabatur. Cuiusmodi hominibus infelicitè, tamen libenter, imò verò tanto infeliciùs quanto libentiùs, vanitati, vanitatisque principi diabolo seruiantibus, dictum est à Propheta: Quare appenditis argentum vestrum non in panibus, & laborè vestrum non in saturitate? Et Christo quidem (ait

Isaie 55.

Chry-

Chrysofomus) innumera bona promittenti, neque attendit quisquam: illi verò nihil tale promittenti, sed in gehennam demittenti, omnes sese subijciunt, vltro ne se substernunt perquam acerbæ tyrannidi inexorabilis & intolerandi dæmonis: qui quidem cum satis intellegat igni se addictū æterno, perrinaci studio contendit quam plurimos habere, qui eadem secum censura damnentur. Hunc itaque Cyprianus tanquam in medium cum feris suis profilientem, Christoque insultantem, hoc modo fingit: Ego pro istis quos mecum vides, nec alapas accepi, nec flagella sustinui, nec crucem pertuli, nec sanguinem fudi, nec familiam meam pretio passionis & crucis redemi, sed nec regnū cæleste illis promitto, nec ad Paradisum restituta immortalitate denuò reuoco: & munera mihi quàm preiosa, quàm grandia, quàm nimio & longo tempore quæsita, sumptuosissimis apparatibus comparant, rebus suis vel obligatis in muneris apparatione vel venditis! Ac nisi editio honesta successerit, cõuitiis ac sibilis ei ieiuntur, & furore populari nonnunquam penè lapidantur. Tales tuos munerarios Christe demonstra, illos diuites, illos copiosis opibus affluentes. An in Ecclesia, præsidente & spectante te, eiusmodi munus edant, oppignoratis vel distractis rebus suis, imò ad cælestes thesauros mutata in melius possessione translatis? In istis muneribus hominum terrenis atque caducis nemo pascitur, nemo vestitur, nemo potus & cibi solatio sustinetur: cuncta inter furorem edentis & spectantis errorem, prodiga & stulta voluptatum frustrantium vanitate depereunt. Illic in pauperibus tuis tu vestiris & pascris: tu æternam vitam operantibus polliceris, & vix meis pereuntibus adæquantur qui à te diuinis mercedibus & præmiis cælestibus honorantur. Sic ille apud Cyprianum. Hęc igitur est infelicissima seruitus, qua fit vt tyranno & hosti animarum suarum, lubetes

In cap. 1. Epist. solæ ad Episcopos.

Basil. in c. 1. cõ. Isaie.

Serm. de elemosyna.

*Homil. 5. in
post. ad Ti-
moth.*

obsequantur & seruiant peccatores. Non enim (inquit Chrysostronus) necessitate aut vi, sed suadendo ac blandiendo effecit, vt illi gratas habeant eiusmodi seruitutes. Nam si quidē vi, non amore teneretur, quamprimum ab ea seruitute resiliirēt. Quocirca illis iucunda esse videretur ea res quæ amarissima est; & amara iustitia, quæ dulcissima est, si intimo sensu hauriatur. Ideo ergo lubentes obtemperant ac seruiunt non modo profundēdis rebus suis, verumetiam duris & asperis quibusque perferendis: vsque ad id quoque quod est in hac impia seruitute supremum, vt illi diuinos honores deferant sacrificiis offerēdis. Quæ enim gentes immolant (ait Apostolus) demonibus immolant, & non Deo. Atque hoc ipsa Christiana religio patefecit, deos gentium esse immundissimos dæmones, qui sub defunctorum occasionibus animarū, vel creaturarum specie mundanarum, deos esse credi cupiebāt: & quasi diuinis honoribus iisdemque scelestis ac turpibus rebus superba impuritate lætabātur. Quorum ex immanissimo & impiissimo dominatu, tum homo liber efficitur, cum credit, atq. ex fide illi se submittit, qui præbuit ad exsurgendū tantæ humilitatis exemplū, quanta illi superbia ceciderunt. Quamquam & hæretici & scismatici, qui se in Christum credere, ei que seruire verbo profitentur, te autem vera diabolo seruiunt, nouæ studio religionis, non paulo sæpè quàm nos, & in exequendis suis diligentiores, & in propugnandis vigilantiores, & in iis perpetiendis quæ illorum gratia cogantur pati, fortiores esse alacrioresque videantur. Quorum legūtur prodigiosa ieiunia, patrimoniorum profusiones, vigiliarum que labores: nempe vt diabolo duci suo, & erroris secessionis que auctori seruiant, qui pro ipsis nihil est passus, hæc vtrò ac sedulò faciunt; quæ Christi amore non facerent, qui pro ipsis est mortuus. **Quin** & sæpenumero rectè credentium per aliquas

quas cupiditates corda sibi patefacta & permissa exagitat. Quemadmodū enim auis (ait Chrysostronus) etsi nō toto corpore, sed vno tantūm pede capta teneatur, in potestate eius est qui laqueum tetēdit: ita & nos cum vitæ & fidei peruersitate capi valeamus, si vitam solum obtrauerimus, in ius diaboli labimur. Nimirum nesciebat hoc Chrysostronus, quod postea Calvinus confidentissimè docuit, vinci nunquam vel opprimi à diabolo fideles posse, nec eorum in animas permitti Satanae regnū. sed impios duntaxat & incredulos, illi gubernandos tradi. Quasi non Dauidem Regem prostrauerit ac vicerit, cum eius impulsu numerauit ille populum, iramque Dei in se suosque hoc scelere prouocauit. Cum ergo hoc eueniret, vt & fideles aliquos subiugū mittat, quæ tum illius frequenter vis imperij? quæ promptitudo simul ei seruiendi cura que cōspicitur? Documento est vnus omnibus proditor Iudas: Accepta enim buccella exiuit continuò, & tanquam furore correptus exiit de domo, cursum ad opus diaboli properans: morboque auaritiæ victus, & malignitatis patrem iam in corde circumferens, nec quò noctū quidem ruit considerat. Tenebrosa enim quædam nox impiæ cupiditatis in profundum inferni eum demergebat. Ideoque vel quasi ceruus (vt est in Prouerbijs) ad sagittam properabat, vel quasi canis ad vincula, aut ad victimam pecus, nesciens se in animæ suæ perniciem concito gressu ferri.

*Homilia 6. in
post. ad Ti-
moth.*

*Lib. 1. Infit.
cap. 14. §. 18.*

Cap. 74

CAPVT VI.

Quanta vi diabolus in malum agat & impellat intrinsecus eos quorum corda possederit.

MAGNAS prorsus, ait Cyrillus, ad imperandum vires, cogere videtur ad opus etiam nolentes, Timet, credo, ne morando penitentia locus detur: & quasi à temu-

*Lib. 9. in Ioan.
cap. 19.*

temulentia mentem suam rectius cogitans, homo eripiat. hac de causa festinat ac impellit. Nam etiam Iudam cum post panem omnino separauerit, tum moram, tum benedictionis virtutem timens, ne scintillam in animo eius accederit, ac inde illuminauerit, & ad meliora retraxerit, magna precipite egit celeritate. Quod autem hæc consuetudo diaboli sit, vel de figuris cognoscimus. Subiecit Iudæos sibi Ægyptiorum Tyrannus, quos luto atque lateribus amarissime vexabat: quibus nec tempus quidem orandi Deum præbebat. Præfectis quoque iussit, ut grauiora illis opera indies afferrent, ne sermonibus vanis dare operam possent. Appellabat autem (inquit Cyrillus) vanos sermones, eos qui de libertate haberentur, & ad meliora inflammarent: quibusque seruiendi conditionem deplorarent, & à Deo poscerent meliora: quibus omnibus non nihil eis ad futurum putabat. Ægyptiorum tyrannus Pharaon, diabolus esse intelligitur: qui respirare non sinit irretitos, ut semel victi iugo eius semper deprimantur.

Atque ut tum Pharaon atrocissimus ille tyrannus flagello ad colligendas paleas compellebat Hebræos; sic etiam nunc diabolus ad leues mundi huius inanesque instar palearum delectationes, flagellis cupiditatum multos incendit. Virgam gestat, cuius Isaias meminisse, qua cædens extorquet, ut suam vnus voluntatem expleant. Et nosse vis quasnam illa virga plagas inferat? Putruerunt (ait quidam) & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ. Malitiosa planè hæc virga cicatrices perniciosi ac tetri odoris ingerit eis qui vel cæsi sunt. Et hoc inferior istorum quam illorum Israëlitarum conditio est, quod malis illi suis indolerent, ac de libertate cogitarent: isti verò qui diabolo seruiunt, mortiferaque eius virga reguntur, mortuis perfimiles (quoniam reuera animo mortui sunt) sublato malorum sensu, nihil commouentur. Insidet iis diabolus

Vide Chrysostomum, homilia 40. in Mat.

diabolus verberans, stimulans, mordens, calcitrans, nec quicquam horum sentiunt: sed iacent exanimati, donec gratia fiat, ut clament ad Dominum, qui de omnibus necessitatibus liberet eos. Quanam ratione se illi propriant è vinculis seruitutis, qui nec seruire se quidem putent, nec libertatis desiderio aut cura teneantur? Sedentes in tenebris & umbra mortis, vinciti in mendicitate & ferro: humiliatum est in laboribus cor eorum, nec fuit qui adiuuaret. Tamen autem egestate summa laborant, tamen omnem escam abominata est anima eorum: & appropinquauerunt vsque ad portas mortis. In tanto igitur stupore, infirmitate, egestate seruientium atque captiuorum; quid mirum si fortis armatus (quemadmodum est in Evangelio) custodiat atrium suum, in eoque vasa captiua cum pace possideat? Nascimur vniuersi (inquit Bernardus) primum quidem viæ ciuitatis habitaculi profus ignari. Deinde imbecilles & ignaui; ut si nota nobis esset via vitæ, propria tamen præpediremur ac detineremur inertia. Postremò captiui sub pessimo crudelissimoque Tyranno: ut licet prudentes essemus atque robusti, ipsa tamen miseræ conditionis opprimeremur seruitute. Quanta igitur pace firmitateque imperij existimandum est detineri ignaros, & ignauos, omniq. imbecillitate laborantes? Donec sanè fortior superueniat qui alliget fortem, compressaque nocendi potestate, vasa eius vniuersa diripiat. hunc se miseris mortalibus fortiozem, Filius Dei præbuit, factus ipse mortalis. Quia enim pueri communicauerunt carni & sanguini, ut Hebræis scribit Apostolus, idcirco & ipse similiter particeps factus eorundem, ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, hoc est, diabolus: & liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti. Hoc autem dixit, quia qui mortem timet,

Chrysostomus in cap. 2. post. ad Corinth. homil. 6.

Psalm. 106.

Serm. 1. de purificatione.

Hebr. 2.

met, seruus est, & omnia patitur ne moriatur: aut quia serui omnes erant mortis, quæ nondum soluta, dominabatur & regnabat.

CAPVT VII.

Quomodo intelligendum sit, diabolum cordibus hominum substantialiter non illabi.

ET SI autem dictum est magnam esse diaboli vim atque energiam in corda eorum quos suo tener subiugatos imperio: non est tamen existimandū quod substantialiter illabi hominum animis possit. Quæ de re vetus est quæstio, mota ex Gennadij quodam (vt librū ille suum inscripsit) Ecclesiastico dogmate, quod his expressum est verbis: Dæmones per energicā operationem non credimus substantialiter illabi animæ, sed applicatione & oppressione vniri. Illabi autē menti, illi soli possibile est qui creauit: qui natura subsistens incorporeus, capabilis est facturæ suæ. Hoc igitur ideo verè est à Gennadio constitutum, quod solus Deus infinitus est & incircumscriptus, adeoque totus vbique vt & ipsis hominū animis insit per suam substantiam intimus, conseruans eos ac vegetans, secretissimeque atque efficacissime in iis quod voluerit inoperans. Id quod Gennadium significasse arbitror cum dicit: Qui natura subsistens incorporeus, capabilis est facturæ suæ. Incorporeum enim pro incircumscripto atque infinito posuit: quod alioqui & dæmones, & angeli sancti, ipsæque hominum mentes incorporeæ sint. Itaque dæmones non illabuntur substantialiter in hominum animas, intirè videlicet inoperando per penetrantem in eas sui substantiam: sed cum & ipsi finita sint circumscripraque natura, per applicationē atque oppressionem vniuntur. Quo etiam fit vt voluntatis humanæ motum non habeant in potestate, sed is solus de quo scriptum est: Cor hominis

in manu Dei; ad quodcunque voluerit, vertet illud. Vnde nec ipsum consentum efficiunt voluntatis, sed petunt, vehementerque ad id incitant: admotis tam intus quam foris illecebris, quæ sint ad inflammadum impellendumque quam accomodatissimæ: tanta plane humanæ mentis seruata libertate, vt verissime dicat Augustinus, nulla alia re mentem hominis fieri seruam libidinis, nisi propria voluntate. Hinc & venerabilis Beda, in illud Actorum scribens, vbi Petrus ait Ananiæ: Cur tentauit seu impleuit (vt Bedæ habebat lectio) satanas cor tuum? Notandum, ait, quod mentem hominis iuxta substantiam, nihil implere possit nisi creatrix Trinitas: quia tantummodo secundum operationem & voluntatis instinctum, anima de his quæ sunt creata, impletur. Implet verè satanas cor alicuius, non quidem ingrediens in eum & in sensum eius, neque introiens aditum cordis (siquidem potestas hæc solius Dei est) sed callida & fraudulenta deceptione animam in affectum malitiæ trahens; per cogitationes & incentiua vitiorum, quibus plenus est. Impleuit ergo satanas cor Ananiæ, non intrando, sed malitiæ suæ virus inferendo. Hactenus Beda.

CAPVT VIII.

Non sic hominum genus sub diaboli tyrannidem ac potestatem decidisse, vt sub Dei esse potestate & prouidentia desineret.

FALLERETVR verò permultum, qui sic opinaretur hominem lapsum, hostis sui diaboli subiisse principatum: vt sub vnus Dei potestate supremoque esse dominatu ac prouidentia desineret. non enim potuit creatura non intra sui conditoris (cuius sunt omnia) ditiones commorari, sine quo etsi potuit prauitatem suscipere (sicuti ex sese non ex illo deficiens suscipit) non potuit tamen vel in sua prauitate consistere, seu qualemcūque traducere vitam, vsque aded vetum illud

Atheniensium 17.

illud est de omnibus, quod Apostolus olim Atheniensibus dixit, vnum illis ac solum verum Deum prædicās: In ipso viuimus, mouemur & sumus. cuius etiam iusta & omnipotens prouidentia, sic indefinenter vniuersa diiudicat, vt nemo hunc in mundum veniat, nemo ex hoc mundo discedat, nisi ortu atque discessu eo quem rerum arbiter secundum altissimam scientiam suam sapientiamque decernit. Sicuti scriptum est in libro Iob: Quis ignorat quòd omnia hæc manus Domini fecerit, in cuius manu anima omnis viuentis, & spiritus vniuersę carnis hominis? Manifestarunt etiam diuinorum eloquiorum auctoritates multę, & continuata omnium seculorum experimenta docuerunt, iustam Dei misericordiã, misericordemque iustitiam, nec alendis vnquam hominum corporibus, nec docendis iuuandisque eorum mèribus defuisse. Semper enim pluit super bonos & malos, semperque solem suum oriri fecit iustis pariter & iniustis; semper vitales auras præbuit, & diei noctisque vicissitudines indefinenter ministravit; vbertatem agris, multiplicationem seminibus, fœcunditatem generãdis hominibus, semper impendit. Et si quando quicquam horum denegauerit, tum id egit benignis correptionibus, vt auersionem desidiãque malè vtentium castigaret: quo sic miserationes eius quærerent in aduersis, cuius iustitiã in secundis non timebant. Denique etsi hominem desertorem sui passus est ingredi vias suas, quæ diabolo duce & impulsore feruntur ad mortem: non sic eum tamen à suorum gubernaculorum lege dimisit, vt non & prauum eius cor, pleno, sicut veller, imperio gubernaret: vel terrendo prohibens, vel quòd libuisset pro altitudine suorum iudiciorum inflectens: nec operando tamen malitiam (quod nonnulli hac etiam ætate blasphemis nimium literis conantur adstruere) sed eam humano corde conceptam, variis mirisque

modis

modis ordinando. Sic enim cum homines bonis tam multis vtantur malè, ipse per inuictam potentiam atque incomprehensibilem sapientiam, malis omnibus vtitur bene: siue cum irrogandis suppliciis notam facit iram atque potentiam suam, siue cum exercet atque ostendit misericordiam. Nam Pharaonis quidem obduratissima voluntate ad hoc vsus est, vt suę magnitudinem virtutis orbi demonstraret; maledicentia Semei, vt Dauidis peccata purgaret; Philistæorum & Chaldæorum aliarumque gentium malitia, vt Israëlitarum peccata puniret: postremò & ipsius diaboli malevolentia vsus est, vt illustis omnibus beati Iob fortissima patientia redderetur. Et quis varios atque multiplices particulatim edisserat vsus, quos non nisi bonos ex omnibus malis elicit summi potentia conditoris? Sicut diuisiones aquarum, sic cor Regis, etiam pessimi, in manu Dei. Nec ipsius quidem mundi principis plus odium & inuidia potest in subditos, quam ille permiserit. Cuius virtute solius fit quod scriptum est de Behemoth, hoc est, diabolo. Ecce spes eius frustrabitur eum, & videntibus cunctis præcipitabitur. Regit igitur & malos Deus. Propterea enim illi tanquam Regi regum Dominoque dominantium, curuatur omne genu, cælestium, terrestrium, & infernorum. Sed beatus ille qui dicere potest, Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuę, ibi me collocauit. Deduxit me super semitam iustitię, propter nomen suum. Nam etsi ambulauero in medio vmbre mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es. seruiunt illi quidè omnia ad nutum potētissimę voluntatis. Quis enim, ait, resistere potest vultui meo? Sed non omnes seruiunt illi, pię obediētia seruitutis, cum seruire duobus dominis nemo possit. Aliud igitur est Dei regnū, quo corporea & incorporea cuncta reguntur, quo attingit à fine vsque ad finem fortiter, ac disponit omnia

Iob 40.

Iob 41.

F

sua-

Prosper lib. 2.
de uocatione
gentium, c. 22.Prosper lib. 2.
de uocat. gent.
cap. 10.

suauiter: aliud quo suos ipse seruos, non obstantibus hostium circumfusis cuneis, ad beatam felicitatem perducit. Ex hoc, piorum Rex Christus peculiariter agnoscitur: ex illo, Rex omnium sæculorum & hominum pariter ac dæmonum, Deus vnus prædicatur. Quónam igitur modo sub Dei esse potestate homo desisset simulatque diaboli cæpit esse, quando nec ipse diabolus ex vnus summi moderatoris potestate fuerit vnquã exemptus? Non enim hominem (inquit Augustinus) à lege suæ potestatis amisit, quãdo in diaboli potestate esse permisit: quia nec ipse diabolus à potestate Omnipotentis alienus est, vt neque à bonitate. Namque ipsi maligni angeli, vnde qualicumque subsisteret vitã, nisi per eum qui viuificat omnia? Ridiculè proinde Iulianus hæreticus obijciebat in senis vncijs possideri hominem à Deo & diabolo: aut certè Deum penitus sua possessione exturbatum esse, si cæperint homines nati, in diaboli esse cõtinuò potestate. Non enim attendebat sic esse homines sub diaboli potestate priusquam redimantur à Christo, vt tamè Dei potestati non solùm hi, sed nec ipse quidem diabolus subtrahatur. Cùm igitur diabolo homines ad impiam & superbam sui conditoris desertionem cõsensissent, arque ab ipso veri luminis & sapientiæ fonte auersi, in ignorantia vitiorumque tenebris cæci versarentur, factus est ille princeps tenebrarũ, & caput super omnes filios superbix; atque aded huius seculi deus (quem admodum Apostolus dixisse videtur) excæcans mentes infidelium, captiuosque etiam illos detinens quorum nec vnus diei vita est super terram. Infiatũ enim à diabolo peccati vulnus, quicquid cum eo nascitur, id omne sub illo esse cogit: tanquam à suo frutice fructum iure decerpat. Non quòd ab eo sit natura humana, quæ non nisi ex Deo esse potest: sed quòd ab eo proflexerit vitium, quod ex Deo esse non potest. Non

enim

enim propter seipsam quæ tota laudabilis est, sed propter damnabile vitium, quo deprauata est, natura humana damnatur. Quæ autem causa est propter quam iure damnatur, ea ipsa est propter quam meritò damnatissimo diabolo subiugatur. Quia & diabolus spiritus immundus est; & bona quidem res, qua parte spiritus; mala verò qua parte reperitur immundus: quoniam spiritus est naturã, immundus vitio; vt mirãdum sic libuisse Caluino dicere, ipsum naturã prauum, ma- Lib. 1. Infil. cap. 14. §. 1. §. lignum, ac malitiosum esse. Quomodo enim naturã malus, quã condidit atque etiamnum conseruat Deus? Non itaque tenet homines. siue maioris siue infantilis ætatis, propterea quòd homines sunt: sed propterea quòd immundi sunt. quocirca quisquis miratur diabolo subijci Dei creaturã, is iam mirari desinat. Subditur enim creatura Dei, creaturã Dei: minor, maiori: quia homo, angelo: nec tamen propter naturam sed propter vitium, quia immundus immũdo, hic est fructus eius, ex antiqua immunditiæ stirpe, quam plantauit in homine. Maiores quidem pœnas quanto est immundior ipse passurus, veruntamen & quibus in illa damnatione tolerabilius erit, huic sunt subditi velut principi auctoriq̃ peccati.

CAPVT IX.

Rectène Petrus Abelardus censuerit diabolum carcerarium duntaxat ministrum fuisse.

DIFFICILE autem iam quantum arbitror non fuerit perspicere, quid de illa sit Petri Abelardi assertionem iudicandum; qua statuebat nullum diabolo in homines fuisse dominium aut ius seu potestatem, nisi fortè vt carcerario, Deo permittente. Quamquam enim scriptum sit in Euangelio, propterea nobis cum Luc. 5. aduersario nostro citò transigendũ esse, tantisper dum in via sumus; ne nos aduersarius tradat iudici, & index

Cyprian. lib. 2. epist. 2.
 faceret, Imperatorem vocari. Quoniam reuera domi-
 nandi cupiditate bella inferre finitimis, & rudes ad re-
 sistendum populos perdomare, viriumque accessione,
 dum proxima quæque victoria instrumentum sequen-
 tis est, longè lateque populis subactis, Imperij fines
 proferre (quod primum à Nino Assyriorum Rege fie-
 ri cæptum esse Iustinus tradit) quid ergo hoc ipsum;
 quod tamen Regnum, quod Imperium, quod Monar-
 chiam etiam vocant, aliud reipsa sine iustitia quàm
 grande latrocinium nominandum est? Si quis autem
 hoc loco dicat quoniam Deo per suam iustitiam ordi-
 nante, homo peccator diabolo tanquam suo principi
 subditus sit, ideo integrum non fore vt ei resistat, man-
 datisque repugnet: respondebitur hoc ei quod diuus
 Augustinus Iuliano Pelagiano, similem in modum ar-
 gumentanti respõdit. Iam porro, inquit, illa qualis est
 argumentatio tua? Si res, inquis, quæ decenter ordina-
 ta est, ad Deum pertinet; & res quæ ad Deum pertinet,
 bona est; bonum itaque est subditum esse diabolo: quo-
 niam qui institutus est à Deo, per hoc ordo seruatur;
 sequiturque, inquis, vt malum sit rebellare diabolo,
 quoniam per resultationem institutus à Deo ordo tur-
 batur. Posses dicere Deo resistere agricolas, eiusque
 ordinem perturbare purgando agros à spinis & tribu-
 lis, quæ ille peccatoribus nasci iussit in pœnam. Quid?
 quod ista tua ratione dici potest, si res quæ decenter
 ordinata est, ad Deum pertinet; & res quæ ad Deum
 pertinet, bona est; bonum est malos esse in gehenna,
 quoniam institutus per hoc ordo seruatur? quod verò
 tu addis, sequique vt malum sit rebellare diabolo, quo-
 niam per resultationem, institutus à Deo ordo turba-
 tur; cur hoc dicis? quis enim rebellat diabolo, nisi ab
 eius potestate per Mediatoris sanguinem liberatus?
 Melius ergo fuerat hostem non habere quàm vincere.
 Sed quia peccati merito humana uatura subdita est
 hosti,

hosti, prius homo vt aduersus eum pugnare possit, ab
 eius eruitur potestate; deinde si vita est in hac carne
 prolixior, certàs adiuuatur vt superet, postremò victor
 beatificatur vt regnet, dicturus in fine, Vbi est mors
 victoria tua? vbi est mors stimulus tuus? Sic Augusti-
 nus: Cæterum si & illud quempiam moueat, diabolo
 pretium redemptionis offerri debuisse, quo homi-
 nes captiuos dimitteret, si quo in illos Imperatorio
 tanquam in deuictos iure vteretur; dicendum erit so-
 lum fuisse Deum qui ius habuerit puniendi peccatores,
 ideoque illi pretium offerri debuisse propter ipsius iu-
 stitiam, quæ exigebat sufficientem pœnam ad peccati
 condonationem. At diabolus, qui mala planeque ty-
 rannica & superba voluntate, iusti iudicis sententiã
 est executus, dignus fuit qui affligendi homines po-
 testate excideret: tum præsertim cum innocentè Chri-
 stum vnà cum nocentibus, sæuitiæ suæ odio excæcatus
 improuidusque peremit.

CAPVT X.

*Confutatur eorum deliramentum, qui demones aliquas ne-
 gantes esse substantias, affirmant non aliam quàm peccati
 agnoscendam esse seruitutem.*

POSTREMO loco admonendum fuit, esse hæc ætate
 nonnullos qui solam agnoscat peccati seruitutem.
 Quæcunque enim dicantur de spiritibus malignis seu
 dæmonibus, ea non sine tropo fictionis personarum dici
 censent: reuera autem non aliud significari quàm ma-
 los affectus, turbidosque aut malitiosos animi motus,
 quibus homines agitentur, ac velut à dominis quibus-
 dam furiosum exercitibus imperiũ, in miseram capti-
 uitatem redigantur. Nugantur ergo hi de malignis spi-
 ritibus, quomodo Sadducæos olim nugatos esse tradi-
 tum est, per Angelos nihil designari aliud quàm vel
 motus quos Deus hominibus inspiraret, vel ea quæ edit

virtutis suæ specimina. Cui deliramēto tot reclamant sacrarum literarū voces; vt mirū sit, tam crassam ignorantiam in illo populo ferri potuisse. Quid enim erunt alioqui tot millia & legiones angelorū? Quibus dum gaudium tribuitur, dum narrantur fideles manibus sustinere, eorum animas in quietem deportare, videre faciem Patris, Christum habere caput; clarissimè procul dubiò significātur esse quidam spiritus per se ipsos existentes, Quod item Stephanus & Paulus dicunt, legem esse latam in manu Angelorum quod Christus pronunciat electos post resurrectionem sanctis Angelis futuros similes; quod Paulus Timotheum coram Christo & electis ipsius Angelis contestatur, vt præcepta sua custodiat; num quod sic dicitur, ad qualitates vllas, aut expertes substantiæ res aliquas, detorqueri potest? Quid rursus id sibi vult, quod in ea quæ ad Hebræos est Epistola, legitur, Christum excellentiorem Angelis effectum, nec ipsorum sed hominū naturam assumpsisse, esseque illos Christi respectu nil aliud quàm administratorios spiritus, in ministeriū missos propter eos qui hereditatem capiunt (alutis; quorsum, inquam, hæc spectat comparatio, nisi vt Angelos substantias esse veras, & hypostases personasque aliquas, pro certo teneatur? Eodemque pertinet quòd sanctis Patribus sub humanis formis toties apparuisse, & in iis locuti, cōgressi, hospitio excepti esse, deduxisse quoque, ac præsidio fuisse, aliaque eiusmodi præstitisse leguntur. Itaque D. Augustinus in Psalmum scribēs 103. ad versiculum, *Qui facis Angelos tuos spiritus: Quamquam*, inquit, nō videamus apparitionē Angelorum; abscondita est enim ab oculis nostris, & est in quadam Repub. magna Imperatoris Dei; tamen esse Angelos nouimus ex fide, & multis apparuisse scriptum legimus, & tenemus, nec inde dubitare fas nobis est. Hæc ille. Sic & de ipsīs dæmonibus quàm absurdè insul-

seque

seque delirent hodie quidam, apertis Scripturarum testimonii euincitur. Nam & potestatem habere dicuntur in hoc aëre caliginoso, & in eum inferni rudentibus detracti esse, posteaquā ab origine sua degenerassent, suumque domicilium & principatum reliquissent. Vocantur etiam immundi spiritus, & angeli apostate, qui & pererrare dicuntur per loca arida donec vltiam requiem inueniant. Iterumque circuire leonum in morem rugientes, quærentesque quos deuorent. Quid? quòd diabolus princeps huius mūdi nominatur? quòd fortis armatus dicitur, custodiens atrium suum? quòd venire cum ira magna? quòd in Christum inuadens, nihil in eo inuenire? quòd ab eo eiectus esse foras? quòd conteri sub pedibus Sanctorum? quòd aliquos tenere captiuos ad suam ipsius voluntatem? Sed & vbi filij Dei cum filiis diaboli, tam à Christo, quàm à Ioāne conferuntur, nōne esset inepta comparatio, si nomen diaboli nihil quàm malas inspirationes designaret? Quomodo autem ipse peccare, quomodo esse homicida ab initio diceretur, si nihil aliud eo nomine quàm peccatum ipsum, animæque perturbatio cogitanda est? Quonam etiam pacto Michaëlem archangelū inducit Iudas cum diabolo depugnantem? Quomodo legitur in historia Iob comparuisse Satanā cum sanctis Angelis coram Deo? Quid est quòd & credere dæmones scribuntur, & contremiscere? quid etiam quòd tormenta deprecatur? Fili David, inquiunt, quid venisti ante tempus torquere nos? Et quo denique modo, in eos vt peccatores ac reos sic diuinum exercebitur iudicium, vt dicatur: *Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus est diabolo, & angelis eius? Inepta, falsa, deceptoria & illusoria hæc forent omnia, si nulli essent dæmones, nullusque eorum princeps diabolus, sub quo peccatorum deploranda seruitus ageretur. Sed contra hos phantasticos agere pro-*

F 5

lixius

lixius neque est operapretium, & est fanaticum hoc illorum commentum, iis quæ suprà explicata sunt, satis superque confutatum.

CAPVT XI.

Variam malorū spirituum appellationem, satis insinuare quam abhorrendum sit ab ea que sub illis agatur seruitute.

IPSA quidem maligni spiritus varia appellatio satis admonet quid in eorum dominatione formidare debeamus: siue cum Satan, siue cum Diabolus, siue etiam cum Dæmon appellatur. Satan enim Hæbræis idem est quod hostis, inimicus, aduersarius. Vnde libri primi Regum capite sexto legitur: Et non est Satan, id est, aduersarius siue occurfus hostilis. Et capite vigesimo nono, Duces Achis de Dauide loquuntur: Reuertatur ad locum suum, ne sit nobis in prælio Lessatan, id est, aduersarius. Petrus quoque quoniam salutari nobis Christi proposito aduersabatur, audit ab eo: Vade retro me Satana. Satan ergo per antonomasiam malus spiritus dicitur, vt expectetur ab eo nihil nisi quod sit hostile, & animæ salutis contrarium atque inimicum; etiam si temporaliter prodesse se velle simulet, eò vsque etiam vt assumpta corporis similitudine inter homines oberret, seruiatque ad tēpus seruitutem, sordida obeundo munia, verrendo domum, expurgando stabula, ligna, aquam comportando: quem admodū refert Olaus Magnus in Septentrionalibus regionibus euenire. Diabolus autē dicitur Græca voce: apud quos διαβάλλω significat insidiosè capio, fallo, implico verbis: quo sensu artes illius fraudesque multiplices intelligi possunt. Sic diabolus ac sycophantam se præstitit cum diceret: Non moriemini, sed eritis similes diis, scientes bonum & malum. Vnde à Christo dicitur pater mendacij, quòd, vt fallat, falsa excogitet. Tametsi alij passim diabolū, criminatorem

& ca.

& calumniatorem aut delatorem & accusatorem interpretentur. Dæmon vox media est, & quæ vtramque in partem capi potest, bonis que & malis communiter tribui. Dæmones enim dicuntur sapientes siue sagaces: vnde Aristotelem δαίμωνιον dixit antiquitas. Sacra tamen literæ nomen hoc in malam partem accipiunt haud minùs quàm Satanae & Diaboli. vt intelligeremus in aduersariis hisce nostris tria inesse propter quæ omni studio cauendi sint: voluntatem inimicam, fallendi perdendique studium, atque ad dolos excogitandos industriã singularem; cum qua & velocitas visq. summa coniuncta est. Quò pertinet quod D. Hieronymus scribit tradere Hæbræos, quomodo in Euangelio princeps dæmonum dicitur esse Beelzebub, hoc est, dominus muscarum; ita Reseph dæmonis esse nomen, qui principatum teneat inter alios, & propter nimiam velocitatem atque in diuersa discursum, auis & volatile nuncupetur: ipsumque esse qui in Paradiso sub figura serpentis mulieri sit locutus: & ex maledictione qua à Deo condemnatus est, accepisse nomen. Siquidem Reseph, reptans ventre interpretatur. Leuiatam autem & Behemot, quæ nomina sunt robustissimarum beluarum, admirabilem illius potentiam ac vires insinuant. Draco verò & Leo, cum viribus, etiam malitiam insidiasque coniungunt. Et his quidem de interpretatione ipsa nominum breuiter adiungendis, quòd ad rerum tractatarum intelligentiam conducerent, secundi huius Libri ita finem faciendum esse putauimus.

LIBRI SECVNDI FINIS.

DE

*Notetur locum
1. Mach. c. 1.
Factum: est hoc
in insidiis san-
ctificationis, &
in diaboli ma-
lora in Israël.
Item Ioan. 6.
Vni ex vobis
diabolus est.*

*In cap. 3.
Abaco.*

DE CHRISTIANA LIBERTATE

LIBER TERTIVS.

PROOEMIUM.



QUOD accidit iis qui longa posteritatis serie, à progenitoribus suis seruitutis iugum trahunt, vt cum suæ conditionis pondere grauiter premantur, facilius tamen eam molestiam sentiant, pressique & afflicti gemant, quàm cur eà conditione viuât, reddere sibi possint rationem; id ipsum euênit hominum generi, vt quamuis grauem molestiam que sibi experiretur esse vitæ sortem, tamen sub eius falce lamentari & queri posset, veram autem sui status rationem perspectam nō haberet. Non enim intelligebat seruitutis se iugum à primis suis progenitoribus trahere: vnde fieret vt propriæ corruptionis improbo duroque dominio succumbere cogeretur.

CAPVT I.

Quandam seruitutem & captiuitatem esse sub regno corruptionis & mortis.



NAM cum vtraque sui parte homo venerit in seruitutem, nec possit liberum habere corpus, animo cui gubernacula competebant, indignissimæ seruituti mâcipato: tertia quoque seruitus agnoscenda est corruptionis & mortis. De qua in epistola ad Romanos loquitur Apostolus, cum ait: Vanitati creatura subiecta est non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe. Quia & ipsa crea-

Rom. 8.

tura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Quid autem est, Vanitati subiecta est; nisi, corruptibilis facta est, sui corruptione sensim euanesceus, nihiloque propinquans? Hæc est vanitas de qua scriptum est in Psalmis, Homo vanitati similis factus est, dies eius sicut vmbra prætereunt. Quam & Poëta fugiendi verbo eleganter expressit cum ait:

*Optima quaque dies miseris mortalibus aui
Prima fugit, subeunt morbi, tristisq; senectus,
Et labor & dura rapit inclementia mortis.*

*De to Virgilij
carmine vide
Senecam epi-
stola 109.*

Quod ipsum non ignobilis alius versificator paulo explicatius reliquit, illam etiam notans in hominum genere carnis infirmitatem, mentis infirmitati congruentem: qua fit vt ab ipsis quoque vincatur pecoribus, quorum pulli quamuis sint paruuli, tamen etiam minutissimi & currunt & matres agnoscunt, nec sugendis vberibus cura & ope admoentur aliena, sed ea ipsi in maternis corporibus loco abdito posita mirabili facilitate nouerunt: cum homini nato tanquam si seruilibus vinculis constrictus teneretur, nec ad incessum pedes idonei, nec manus saltem ad scalpèdum habiles sint: & nisi ope nutrientis ad motis labris papillæ vberis ingerantur, nec vbi sit sentiat, & iuxta se iacentibus mammis magis possit esuriens flere quàm fugere. Ab his igitur miseræ captiuitatis & vanitatis iniitiis, labentem hominis vitam, sui que ad interitum properantem, ille Poëta his descripsit versibus:

Ouidius.

*Editus in lucem iacuit sine viribus infans,
Mox quadrupes rituq; tulit sua membra ferarum,
Paulatimq; tremens, & nondum poplite firmo
Constitit, adiutus aliquo conamine neruis:
Inde valens veloxq; fuit, spatiumq; iuuenta
Transit, & emeritis mediij quoque temporis annis
Labitur occidua per iter decliue senectæ,
Subruit hæc aui demoliturq; prioris
Robora.*

Lib. 1. Met.

Hæc

Hæc igitur humanæ post peccatum vitæ conditio: hic status aded instabilis, vt pulueri, vt rori matutino, vt flori iam nascenti moxque marcescenti, vt vmbrae fumoque vanitas eius merito comparetur. Cuius consideratione vanitatis beatus Iacobus reprehēdebat eos, qui suæ seruitutis & captiuitatis obliui, tanquam liberi ac securi, superba exultatione dicebant: Hodie aut crastino die ibimus in illam ciuitatem, & agemus illic quidem annū, & mercabimur, & lucrum faciemus.

Vide August.
in Psalm. 143.

Qui ignoratis, inquit, quid erit in crastino. quæ est enim vita vestra? vapor est ad modicum apparens, ac deinceps exterminabitur. Cùm enim sub iusto Iudice Deo, mortis rei simus, ac quasi vinculis insolubilibus constricti, mortalitatis carcere teneamur: nō est in arbitrio nostro sita vitæ longitudo, sed ab illius supremi Iudicis nutu tota dependet. vsque aded vt nec de ipsa mortis immaturitate iusta sit ratio conquerendi, cùm semel (vt ait D. Prosper) in naturam nostram per peccatum ingressa mortalitas, obnoxium sibi omnem vitæ nostræ fecerit diem. Iam mihi considera necessitates corporis, appetentiam cibi, digestionum putorem, posteritatis reparandæ verecundiam: vt feritur soboles, vt editur, vt nutritur: & vide in his quanta vanitas habeatur, quantaque corruptio, cui creatura animæ nobilis tamen non volens subiecta est. Mortalitas enim & corruptibilitas carnis, inquit Augustinus, compedes sunt quibus ligati sumus. Et vis nosse istarum compedum granitatem? Hanc per Salomonem deplorabat Sapientia his verbis: Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimat terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Declarare hoc ipsum & gentiliū philosophia volebat, cùm corpus hoc, animæ carcerem esse diceret: & eum quidem cæcum ac tenebrososum, in quo miserabiliter, contraque præstantiā originis suæ, premeretur. Id quod idem ille Poëta secutus:

Ignis

*Ignis est, inquit, ollis vigor & celestis origo
Seminiibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terreniq; hebetant artus moribundaq; membra.*

*Virg. lib. 6.
Æneid.*

Eodēque nonnulli retulerūt quod est in Psalm. is, Educ de carcere animam meam; non quia carcer est quod fecit Deus, sed quia pœnale est atque mortale. Corruptela enim carnis & pressuræ atque angustia, carcer nobis sunt. Ad hanc igitur vanitatis corruptionisque seruitutem pertinet iugum graue (de quo Ecclesiasticus) super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium. Corpus enim, vt Apostolus ait, mortuum est propter peccatū: id est, moriendi necessitate constrictum mortique destinatum. ad quā variis doloribus ærumnisque trahentibus, ac innumeris prope morborum vrgentibus flagris, ab aliis quidem celerius, ab aliis tardius, sed tamen ab omnibus inuitabiliter peruenitur. Propter ipsum quoque hominem, & reliqua creatura vanitati seruire cœpit. Posteaquam enim mortale corpus adeptus est, & corruptionibus obnoxium, terra quoque maledicto subiecta est, spinas proferens ac tribulos. quin nec ipsum cælum hanc seruitutem effugit, cùm scriptum sit: A principio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli. Ipsi peribunt, tu vero permanes. Et alibi rursum: Aspice in cælum sursum, atque in terrā deorsum: quoniā cælū sicut fumus euanesceat, & terra ceu vestimentum vetustate consumetur. Habitatores vero illius, quemadmodum vtraque illa peribunt. Propter te, inquit Ambrosius, mundus ipse seruitutē tolerat corruptionis. Sol occasum suum recognoscit, luna defectum, errorem stellarum lumina, dum totius corporis nostri expectatur redemptio. Vana igitur sunt omnia quæ mundi sunt, eoque subiecta seruituti, quod fluxa & caduca statum suum tenere non possunt. Quoniam autem modo ad ipsos quoque

*Vide Aug. in
Psalm. 142.*

Ecl. 40.

Rom. 8.

*Chrysost. in
8. ad Rom.*

Psalm. 107.

Isaie 24.

*Lib. 1. de Iacob & vita
beata, cap. 6.*

Angelos

Angelos sanctos, quorum ministeria salutis deseruiunt electorum, Origenes atque eum secutus Ambrosius hanc vanitatis seruitutem pertinere docuerint, eorum in literis videre licebit. Cæterum quæto maior erat nobilitas eius naturæ, quæ ratione prædita est, tanto profectò grauius in sui corruptione pondus seruitutis admisit. Quippe creata ad immortalem beatamque vitam, nõ in summo metu, angore & consternatione, ictum duræ mortis expectat. Cuius nisi quoddã esset in homines imperiũ, ac nisi sub ea homines acerbam propterea seruitutem paterentur, non sic loqueretur Apostolus vt diceret, Regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen, etiam in eos qui non peccauerunt in similitudinẽ præuaricationis Adæ. Nam his quidem verbis quid aliud quàm mortem introduxit, tyrannico velut domiãtu sauientem in quoslibet, & æquo (vt ille ait) pede pulsantem. Regum turres pauperumque tabernas? Non enim parcit illa cuiquam, sed omnes in puluerem cineremque resoluit. Omnibus, ait quidam, obscuras inijcit illa manus. Et rursum:

Ouidius.

Tendimus huc omnes, metam properamus ad vnam;

Omnia sub leges mors vocat atra suas.

Et alius, Mors spernit altam gloriam. Inuoluit humile pariter accellum caput, Æquatque summis infima: atque armata in omnes aculeis peccati ad æternã damnationem irãsmittit. Huius triste iugum suos in humeros admisit homo, quando filius Belial esse cœpit: id est, per superbiam imitator eius qui dicitur Belial, siue absq. iugo, quoddã de collo suo Dei abiecerit seruitutẽ.

CAPVT II.

*In hac corruptionis seruitute, peccato inobedientiæ
pœnam congruentem retributam esse.*

QUIA enim Dei contemptum imperium est, qui hominẽ creauerat, qui sua illum ornauerat imagine, eoque ipso cæteris animantibus præposuerat, qui

Paradisi

Paradisi præterea in loco amœnissimo collocarat, rerumque illic omnium copiam salutisque præstiterat, qui præceptis nec multis nec magnis aut difficilibus onerauerat; sed vnum dederat de non attingẽdo quopiam ligno, facili mũ obseruatu; quo supra eam creaturam, cui libera seruitus expediret, se esse dominum commonefaceret. Quia reiectum, inquam, illius est suauissimum iugum, si tamen iugum erat, ac non felix potiũs iucundaque libertas; idcirco mox iusta damnatio consecuta est; & eiusmodi quidem, vt is qui obtemperando futurus fuerat etiam carne spiritalis (qui videlicet nec alimẽtis egeret, nec dissolui morte posset) non obediendo fieret etiam mente carnalis. & quia supra modũ sibi per arrogantiam placuerat, desereretur ab illo, sibi que donaretur: nec, sicut affectabat, in sua esset omni modo potestate, sed à seipso quoque dissentiens, sub illo cui peccando consensit, pro libertate quam concupierat, duram ageret miseramque seruitutem: mortuus spiritu volens, & corpore mortuus inuitus: desertor æternæ vitæ; & æterna, nisi gratia liberaret, morte damnatus. Duplicem enim incurrit lapsu mortem. Prima altera, altera secũda vocatur. Et illa quidem animam nolẽtem reluctantemque pellicẽ corpore: hæc inuitam & euadere cupientem, retinet in corpore vinculis sempiternis. Vnde satis apparet, vtramque mortem hoc afferre mali, vt quod nolit anima, vehementerq. recuset, id tamen suo de corpore patiat. Itaque in hac corruptionis mortis que iusta seruitute, quid est in pœnam inobedientiæ homini retributum, nisi ipsa inobedientiæ molestia? Etenim quia noluit homo in præcepto Dei, quod facili mẽ potuit; hinc quoque perspicitur, eum in pœna sua non posse quod velit. Et quis hic enumeret quàm multa quæ non potest velit, dum ei, hoc est, voluntati eius, neque animus ipse, neque caro, animo inferior, obtemperet?

G

Ipso

*Origen. lib. 7.
in Epistol. ad
Romanos
Ambros. lib.
epistol. episto-
la 21. & 22.*

*Ad Liviã de
morte Drusi.*

*Boëtius lib. 2.
de consol. phi-
losoph. met. 7.*

*Prosper sent.
170. ex c. 3.
lib. 21. de ciuitate
Dei.*

Ipso namque inuito, & animus plerumque turbatur, & caro dolet ac veterascit & moritur, & quidquid aliud patimur, quod non pateremur inuiti, si voluntati natura omni modo atque ex omnibus partibus obediret. Sic omninò per iustitiam dominantis Dei, cui subditi feruire nolimus, caro nostra quæ subdita nobis fuerat, iam non feruendo molesta est: quamuis nos, Deo non feruendo, nobis, non illi, molesti esse potuerimus. Corpus carnis nostræ, inquit Augustinus, ornamentum nobis fuit. Peccauimus, & compedes inde accepimus; vt vinculis mortalitatis omnis humanarum actionum cursus præpediretur. O mortalium igitur fragilis & cædua natura! Nisi enim nos Christi fides extollar ad cælum, & æternitas animæ promittatur, cum bestiis & iumentis, corporum vna conditio est: Idem occubitus iusto & impio, mundo & immundo, sacrificanti & sacrificare contemnenti. Ob hoc, opinor, demonstrato sibi Lazari monumento, lacrymatus est Christus: tantam videlicet generis humani deiectionem, ex illius honoris culmine, pressius considerans.

CAPVT III.

Quanto errore à nonnullis existimatum sit, hanc corruptionis & mortis seruitutem, hominibus, vt bestiis, esse naturalem.

Nec defuère tamen, qui hanc corruptionis lugendam seruitutem, nobis, vt brutis animantibus, esse naturalem affirmarent. Error tolerabilis, si esset à philosopho quopiam gentili profectus, qui primam conditi hominis dignitatē, & ruinam eiusdem ignoraret: nunc verò Pelagianorum, sub nomine Christiano, detestanda hæresis fuit: qua id creditum est, naturam esse hominis instituti, quod diuinis ex literis constat pœnam esse damnati. Quin gentiles ipsi philosophi, tam hoc naturæ hominum sine dubio nobilissimæ non conuenire viderunt, vt ex iis quidam non dubita-

rint

rint dicere, hominem non vt à matre natura, sed vt à nouerca, editum in vitam: corpore videlicet nudo & fragili & infirmo, animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines: in quo tamen inesset tanquam obrutus quidam diuinus ignis, ingenij & mentis. Theophrastus certè moriens, accusasse naturam dicitur, quòd ceruis & cornicibus vitam diurnam, quorum id nihil interesset; hominibus, quorum maximè interesset, tam exiguam vitam dedisset, quorum si ætas potuisset esse longinquior, futurum fuisse, vt omnibus perfectis artibus, omni doctrinâ hominum vita erudiretur. Querebatur igitur se tum cum illa videre cœpisset, exstingui. Alij fuère gentium philosophi, qui ob aliqua scelerata in vita superiore suscepta, pœnarum luendarum nos causa dicerent esse natos: & animos, corruptioni obnoxios corporibus, tanquam viuos cum mortuis, alligatos esse. eo videlicet supplicij genere, quo Hetrusci prædones captos afficere consueuerant. Qui, vt est à Valerio Maximo scriptum, viuorum corpora cadaueribus aduersa aduersis alligata atque constricta, ita vt singulæ membrorum partes singulis essent accommodatæ, tabescere simul patiebantur; amari vitæ pariter ac inortis tortores. Manichæos verò hæc impulit cõsideratio, vt incõmutabilem quandã, & Deo cœternam introducerent mali naturam, in qua vitiorum omnium maliq̃e totius caput & origo existeret. huiusque rametræ naturæ permixtionem cum rebus bonis bello quodam factam, deliris quibusdam imaginibus congingebant. Enumerabãt enim & ipsi mala generis nostri, eaque addebãt quæ non omnes quidem paruulos, sed tamen plurimos cernimus perpeti; multa & varia, vsque ad dæmonum etiam horrendos incursums: atque hunc in modum concludebant: Cùm sit iustus & omnipotens Deus, quã fit vt mala hæc, eius imago patia-

Cicero 3. de Republica.

Cicero lib. 3. Tuscul. quæst.

Lib. 9. cap. 2.

Aug. contra Iul. lib. 4. c. 12. & lib. 6. c. 9.

In sent. Pro-
peri, sent. 75.

Ecclesiast. 9.

Ioannis 11.

100 DE CHRISTIANA LIBERTATE
 tur in paruulis, nisi quia vera est, quam nos asserimus, duarū naturarum, boni maliq̄ue permixtio? hos omnes Catholica veritas errare conuincit, confitens originale peccatum: per quod hominum genus, dæmonum ludibrium effectum est, & laboriosæ miseræ destinata propago mortalium. Non enim ita esset, si humana natura in eo statu in quo primū condita est, perstitisset. Deus namque, vt sacra testantur eloquia, mortem nō fecit: sed deceptor hominis, causa mortis, est diabolus. Cui posteaquam ille acquieuit, euēnit quod ait Apostolus: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt. Semel autem admissio peccato, quo nisi præeunte, mors nunquam fuerat ingressura, factum est, vt illud etiam verè diceretur: Vita & mors à Domino Deo. nimirum vt hanc intelligatur Deus, non vt primus auctor, sed vt peccati iustissimus vltor, intulisse: istoq̄ue modo veritas appareat vtriusque sententiæ, & illius qua dictum est, Deus mortem non fecit: & huius qua dicitur, Vita & mors à Deo sunt. Quod verò quidam aiunt, fieri non potuisse vt terrenū corpus non naturaliter solueretur, & quod pugnantibus elemētorum qualitatibus constaret, non aliquando deficiens atque languescens, interitum pati cogeretur; id totum hallucinatione humana, non firmitatiocinatione concluditur. Si enim Deus, inquit Augustinus, Israëlitarum vestimentis & calceamentis præstitit, vt per tot annos non sint obtrita: quid mirum si obedienti homini eiusdem potentia præstaretur, vt animale ac mortale habens corpus, in eo quendam obtineret statum, quo sine defectu esset annosus; eo tempore quo Deus veller, à mortalitate ad immortalitatem sine media morte venturus? Verūm ridebant hæc increduli, satisq̄ue ineptum censebant, hominem asseri corruptibili fuisse natura prognatum, & ta-

& tamen, nisi peccaret, non fuisse moriturum, ita volente Deo. Quibus respondens Cyrillus, Platoni, inquit, licet dicere quasi ex Dei persona ad Solem, Lunam, cæterasque stellas (etenim sensibiles quoque nominat Deos) Quoniam orti estis, immortales vos quidem esse & indissolubiles non potestis; neutiquam tamen dissoluemini, nec vos vlla mortis fata periment, propter consilium nostrum: quod maius est vinculum ad perpetuitatem, quam illa quibus quando nascebamini, compacti estis. Quapropter, ipso quoque suffragante Platone, tamen si non orta modò sint hominum corpora (quod etiam sunt Angeli, qui propterea quòd ex nihilo sunt, etiam in nihilum abire possunt) verum etiam composita & coagmentata è pluribus, & iis quidem quæ inter sese pugnare videatur necesse esse: tamen & his omnipotens conditor tam facile præstare perpetuitatē stabilemq̄. vitæ suæ statum potest, quàm ipsis incorporeis spiritibus: qui ob id ipsum quòd orti sunt, etiam esse desinerent, nisi Dei voluntate seruariantur. Neque verò id violentum aut contra naturam futurum fuisse existimari debet. Rerum quippe natura, sui nutum sequitur conditoris. qui vtrique & omnibus modis, quod sibi placet, arcanis quibusdam efficacis, attingi posse declarat: quia quod ipse consulerit, hoc & singulis creaturis natura est, quemadmodum ait D. Cyrillus eodē libro tertio cōtra Iulianum. Quocirca, quod ad ipsam quidē attinet pugnam discordiamq̄ue qualitatū, nullam ibi futuram fuisse reor, in optimè constitutis hominum corporibus: in quibus præsertim ante peccatum inobedienciæ, nullum esse potuit malum. atqui sine malo, nulla accidere pugna potest. Etenim quādo pugnatur, aut bonum pugnat & malum, aut malum & malum; aut si duo inter se bona pugnant, in ipsa profectò pugna, magnum inest malum, quod in corpore quando contingit, vt

Lib. 3. contra Iulianum. Plato in Tim.

Refert hæc eadē ex Platone. Aug. lib. 22. de ciuit. Dei. cap. 26.

Rom. 5.

Ecclesiast. 11.

August. lib. 5. contra Iul. c. 7.

Lib. 1. de peccatorum meritis & remissione, cap. 3.

August. lib. 5. cōtra Iulianum, cap. 54.

ex quibus conitat, id est, humidum & siccum, calidum & frigidum, pacem secum concordiamque non te-
neant, morbi agrotationesque nascuntur. Et quis au-
deat dicere aliquid eorum non esse bonum, cum om-
nis creatura Dei bona sit, & benedicant in Hymno
trium puerorum frigus & ætas Doninum? quæ sunt
inter se quidem contraria, seruant tamen pro rerum
incolumitate concordiam. Possunt enim & contraria
non inuicem aduersari, sed ex alterutro temperari, &
bonam valetudinem reddere. Idcirco Plato in eo dia-
logo quem de Amore scripsit, inter cætera quæ disserit
ex persona Eriximachi medici dicit oportere ea quæ
inimicissima sunt in corpore, quoad eius fieri potest,
amica facere, & vt se mutuo ament, id est, vt concor-
dent, efficere. esse autem inimicissima ea quæ maximè
sunt contraria, frigidum calido, amarum dulci, siccum
humido, & omnia alia eiusmodi. His, inquit, cum
amorem & concordiam inducere nosset progenitor
noster Æsculapius, nostram artem constituuit. Est igitur,
quemadmodum ille disputat, humani corporis
sanitas bonaque temperies ex amore seu concordia
contrariorum exorta. Cum verò in nostro corpore dis-
crepant, seque inuicem oppugnant; valetudo turbatur:
& hoc totum sic, vt ipsa mors de peccati ipsius propa-
gatione descendat. Neque enim & hæc quisquam di-
xerit, inquit Augustinus, si nemo peccasset, nos in illa
beatitudine Paradisi fuisse passuros. Corpus igitur hu-
manum, non propter fragilitatem terrenam, quia de
pulvere terræ concretum & compactum sit; sed pro-
pter peccatum, quemadmodum beatus Apostolus asse-
ruit, mortuum est. Quo loco vigilanissimè non ait,
mortale, sed mortuum. Priusquam enim mutaretur in
illam incorruptionem, quæ in sanctorum resurrectione
promittitur, poterat esse mortale, quamuis non mo-
riturum. Sicuti hoc nostrum esse potest, vt sic dicamus,

agro-

ægotabile; tamen non ægotaturum. Cuius enim ca-
ro est quæ non ægotare possit, etiamsi aliquo casu
priusquam ægotaret occumbat? sic & illud corpus
iam erat mortale: quam mortalitatem fuerat assumptura
mutatio in æternam incorruptionem, si in homine iu-
stitia siue obedientia permaneret. Cæterum hoc ipsum
quod mortale fuit, quia mori potuit, non est mortuum
effectum, id est, tale vt iam ex sui in deterius mutatio-
ne & quadam veluti morbida & mortifera qualitate
necessariò moreretur, nisi propter peccatum. Primo-
rum itaque hominum in Paradiso corpora, licet ani-
malia fuerunt, nondum spiritualia, non tamen mortua
fuerunt, id est, quæ necesse esset emori, quod eo primùm
die factum est, quo lignum vitæ tetigerunt. Quan-
do enim peccauit Adam non obtemperans Deo, tum
eius corpus gratiâ perdidit, quæ fiebat vt animæ omni
ex parte obediret. Tum etiam morbo quodam ex re-
pentina & pestifera corruptione concepto, factum est
in illis, vt ea in qua creati sunt stabilitate ætatis amissa,
per mutabilitates ætatum irent in mortem. Quamuis
igitur annos postea vixerint multos; eo tamen die mo-
ri cœperunt, quo mortis legem qua in senium vetera-
scent, acceperunt. Non enim stat vel temporis pun-
cto, sed sine intermissione labitur, quicquid immuta-
tione continua sensim currit in finem, non perficien-
tem, sed consumentem. Sic nimirum impletum est
quod dixerat Deus: Quæcunque die comederitis,
morte moriemini. Sicut enim in ipsis nostris corpori-
bus quædam pro suo modo sanitas dicitur; quæ si per-
turbata sic fuerit, vt letalis morbus iam viscera de-
pascatur, quo inspecto, mortem imminere medici pro-
nunciant; mortale quidem corpus etiam tum dicitur,
sed aliter quam cum esset sanum, quamuis quandoque
sine dubio morituum: ita illi homines animalia qui-
dem corpora gerentes, sed non moritura nisi peccassent,

G 4

mor

Confule Aug.
lib. de natura
& gratia,
cap. 34.

Aug. lib. 9 de
Genesi ad lite-
ram, cap. 10.
& lib. 11.
cap. 32.

Aug. lib. 1 de
peccatoris me-
ritis & remis-
sione, cap. 4
& 5.

mox ubi præceptum transgressi sunt, eorum membris veluti quæpiam læthalis ægritudo mors ipsa concepta est; mutauitque illam qualitatem qua corpori sic dominabantur, vt non dicerent, Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. Quid enim aliud non dicam nati, sed omninò concepti, nisi ægritudinè quandã inchoauimus, qua sumus sine dubio morituri? Neque enim tam necesse est, inquit Augustinus, eum ipso morbo mori, qui hydropicus, aut disentericus, vel elephãtiosus factus fuerit, quàm eum qui hoc corpus habere cœperit, in quo omnes homines sunt naturã filij iræ. Rem eandẽ præclarè D. Ambrosius expressit, de vidua illa differens, cuius vnicus filius efferebatur mortuus; totumq̃ hoc ad genus humanum transferens, in quo quisque nostrum, inquit, mortali corpore circumseptus, tanquã loculo inclusus, quatuor materialibus ad sepulchrũ rapitur elementis. Hæc enim illi erant quatuor acerbi funeris portitores, qui corpus humanum letali fluxu naturæ materialis vrgebant. Quid enim aliud nisi quodam in feretro, hoc est, supremi funeris instrumento, iacemus exanimis, cum vel ignis immodicæ cupiditatis exestuat, vel frigidus humor exundat, vel pigra quadam corporis habitudine vigor hebetatur animorum, vel concreta nosster spiritus labe, puræ lucis vacuus alit mentem? Hi sunt, inquit, nostri funeris portitores. hoc tristissimum funus, nõ natura nobis, sed peccati pœna facit. Quippe hominj lapsõ dictum est, Terra es, & in terram ibis. Quæ cum Iudicis sit sententiã, damnantis peccatorem; nullo modo futuram existimandum est fuisse talem humani corporis dispositionem, nisi hanc inobedientiæ meritum accersisset. Quod quidem meritum ita mortis subeundæ necessitas subsequuta est, vt licet productior fieri vita vsu ligni vitæ potuisset, nunquam tamen mortem vitiatuõ homo & damnatus euaderet.

CAPVT IIII.

Primos homines ex constitutione corporum mori quidem potuisse; at non necesse fuisse vt morte dissoluerentur, vt post peccatum necesse est.

QVAMQVAM non desunt graues auctores, qui humanum corpus in seipso non putent esse per inobedientiam immutatum, & tanquam veneno peccati infectum atque corruptum: sed cum sui simile permaneret, eundemque temperamenti statum constanter retineret, tantummodo beneficio gratuito conditoris, quo mors antea propulsabatur, hoc est, vsu ligni vitæ, peccati merito fuisse spoliatum. At præter ea quæ superiore capite ex D. Ambrosio & Augustino protulimus, Cõcilium Arausicanum aduersus Pelagij pestilentissimam doctrinam celebratum, disertis verbis pronunciat (id quod etiam est multo post Concilij Tridentini decretis confirmatum) per vnus hominis inobedientiam seu primæ præuaricationis offensam; totum hominem secundum corpus & animam, in deterius commutatum esse. Nempe vt sicut anima prauæ concupiscentiæ infecta morbo, peccatum sua solius virtute non potest effugere: ita letali quodam languore corpus affectum, mortem euadere haud queat; nisi fortè diuinæ virtutis miraculo, & in eiusmodi corpore, vita perpetua conseruetur. quomodo præstitum est Moyse, vt per quadraginta dierum spatium, sine omni alimentorum vsu viueret incolumis: & nunc fortasse Enoch & Helia præstatur, vt per tam longam ætatem nulla senectute marcescant. Primis verò hominibus ea corporum temperatio fuit, vt ex ipsa, ciborum accidentibus subsidiis, maximeque ligni vitæ gratuito beneficio, viuere perpetuò possent. Quæadmodum qui sano corpore nunc sunt firmaque valetudine, subministratis temperanter cum alimētorum tum & quietis

Canon. 1. Concilij Arausicani 2.

Sessione 5.

& exercitationum adiumentis, naturaliter multo diutius viuunt quàm afflicta & deiecta morbo corpora. quanquam & hæc in vita longissima conseruari diuinitus posse minimè dubitemus. Talis ergo primis hominibus quodammodo ad vitæ perpetuitatem constitutio corporum firmitasque fuit, qualem nonnullis esse conspicimus ad vitæ longeuitatem: vt, quod diuus ait Augustinus, illius immortalitatem status, de ligno vitæ extitisse, non de conditione naturæ, nonnulli haud improbabilius intelligendum sic putent, vt significare voluerit non de sola naturæ constitutione hominibus illis fuisse futurum vt nunquam morerentur si vellent: sed ad naturæ quamois integerrimam & optimam constitutionem, ligni vitæ supernaturalis præsidium, statis temporibus adiungi debuisset: ne virium vlla debilitas sensim in humanam corpus irreperet, quod viuifico illo remoto ligno, progressu temporum euenisset. Ideoque habebat Adam (inquit Augustinus) quantum existimo, & de lignorum fructibus refectioem contra defectioem; & de ligno vitæ stabilitatem contra vetustatem. Veruntamen extra controuersiam illud est, quia terreno rerum genere cõcreta fuere hominũ illorũ corpora, dissolui morte, sinemque admittere potuisse, quod nisi ita fuisset, nec perpetrato inobedienciæ peccato, corporis mortem incurrissent: haud magis quàm dæmones, quorum insolubilem naturam ad interitum pertrahere peccati perniciis non potuit. Vnde error apparet Iuliani cuiusdam Halicarnassæi, de quo scriptũ est apud Suidam prolixius: qui sicut animæ, ita & corpori tributam existimauit naturalem immortalitatem, per quam dissolubile non esset in ea ex quibus esset coagmentatum: sed diuina lege violata, mulctatum esse hominem morte corporis, quæ sit dissociatio ab hac vita, quæ ipsis corporis sensibus percipitur. Si enim vt animorum, ita & corporum

Lib. 1. cap. 3.
de peccatorum
meritis & re-
missionibus.

porum fuisset immortalitas naturalis, nullis profectò corporeis alimētis ad vitæ conseruationem eguissent. Rectius proinde Gregorius Nazianzenus in oratione quam de virtute seu dignitate ac præstantia edidit: Corpus, inquit, omni ex parte compositum est: quod autem compositum sit, id nemo indissolubile esse dixerit, at quod dissolui potest, corrumpi etiam idem potest. Ad hunc modum & Carneades nullum esse corpus immortale colligebat, quòd nullum esset indiuiduum, nullum quod dirimi distrahi que non posset. Idemque omnia corpora commutabilia & mortalia concludebat esse oportere: quod ea ex quibus constarent, hanc mutabilitatis legem paterentur. vt si omnis cera commutabilis esset, nihil esset cereum quòd commutari non posset, item nihil argenteum, nihil aureum, si commutabilis esset natura argenti & auri. Itaque immortalem quidem creatũ dicere hominem liceat hæctenus, quod potuerit non mori si Dei præceptis obtemperaret. Imò verò sic esse dicendũ sentiendumque, vehementer apud Epiphanium Methodius contendit. Ab immortali enim Deo, simulacrum eius in quo sui excudisset imaginem, non nisi immortale & incorruptibile fieri debuisset. Diuus quoque Chrysostomus dicit, hominem priusquam cecidit, nondum mortale corpus habuisse: cùm verò peccasset Adamus, confestim corpus illius mortale & passibile factũ esse, plurimoque naturales defectus recepisse: quin & graue euasisse, & instar infrenis equi. Sanctus etiam Hieronymus Cypriano presbytero scribens, dicit nos de immortalibus factos esse mortales. Et S. Leo serm. 2. de Natiuit. dicit hominem immortalitatis dote nudatum, duram mortis subiisse sententiã. At interim mortalem fuisse hominem, ob id ipsum quòd mori dissoluique potuerit, non quia necesse fuerit; ipsa fateri ratio euentusque cogunt. Atque vt non fuerint primo

Cicero lib. 3. de
natura deorũ.

Vide Epiphanium in hæresi
Origenu lib. 2.
aduersus hæreses.
Homil. 11. in
Epist. ad Rom.
Homil. 12. in
epist. ad Rom.

rum hominū corpora immortalia, quomodo aut Deus aut Angelus suapte natura est immortalis: tamen propter corporis firmissimā constitutionem, apuissimamq. omnium temperationem qualitatum, ex qua idoneus esset ad vitæ perpetuitatem, dici id quoque posse arbitrator, immortales naturā fuisse homines primos, naturaliterque semper viuere accedente ligni vitæ vsu, potuisse: sicuti (quod & antè memorauimus) quidam & modò naturā longæui dicuntur esse (qui tamen viuere diu sine alimento extrinsecus adueniente nō possunt) quod in ipso corporis habitu & temperamento naturali, longè præ multis aliis vitæ cōtineant causam. Qui autem humanū corpus tale perstitisse opinātur, quale conditū fuit, solamque perpetuæ vitæ causam, lignum vitæ fuisse futuram; ij nec sic quidem natura sua censent immortalē fuisse hominem, hoc est, potuisse non mori: sed beneficio duntaxat supernaturali. quomodo & nunc arbitrantur nos immortales futuros esse, si eodem vitæ ligno vesci in potestate haberemus. videlicet quoniam Adamo iam post ruinam iacenti vitiatōque dicitur, Ne fortè mittat manum suam & comedat, & viuat in æternum. quod melius ironiçōs dictum accipitur (quemadmodum & illud, Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est) propter illam futuræ immortalitatis persuasionem, quam & lege Dei violata, ex falsa pollicitatione serpētis, superbo animo conceptam retinebat. Non enim victurus erat in æternum, (sicuti quibusdā non improbabiler visum est) etiam si ligno nobilissimæ virtutis vti contigisset: tum propter animi deprauationem, cuius antea integritas statusque tranquillus, ac plenū simul in corpus imperiū, visque illa viuificatrix illæsa, ad illius temporis immortalitatem mirificè conferebant: tum propter humani corporis

Cyrillus lib. 3. contra Iulianum apostatam. Et Prosper c. 21. contra collationem.

B. Bonauentura in 2. sententiar. dist. 19. quæst. 2. ar. 2. de immortalitate primi hominis ex parte corporis. Ex ambiguo verbo Græco, inquit Augustinus in Psal. 89. fit plerunq. in Scripturis, ut vel seculum pro æterno, vel æternum pro seculo ponat Latinus interpret. Idem reperiet & in Psal. 92.

poris in deterius ortam ex peccato mutationem, de qua partim hoc capite, partim superiore ex diuina Scriptura veterumque literis satis dictum arbitror. Nam sicuti homini sano salubris cibus vitam prorogat, non autem illi quem letalis ægritudo corripuit: ita prorsus ante peccatum lignum illud viuificum, perpetuam vitam effecisset in corpore firmo & integro, quam modò nō efficeret in corpore mortis huius, & iam comparato cum iumentorum insipientium corporibus. neque enim ad instaurationem vitiatī corporis, lignum illud homini, diuino beneficio tributum fuit, sed ad integri conseruationem. hoc interim nihil aliis præiudicantes dicimus, qui sentiunt ex ligno vitæ fuisse victurum in æternum, si eius ei post lapsum vsus concessus fuisset. Non enim nos latet quid ea de re scriptum reperiat apud Epiphanium libro 2. contra hæreses hæres 64. quæ est Origenis Adamantij. Cū enim hīc de carnis resurrectione disserit à sancto Methodio aduersus Origenem & Proculum, qui illam ea tempestate negabant; Qui omninò decernit, inquit, carnem hanc non esse immortalitatis susceptoriam, reuera dementiæ per morbum maledicus est. cur enim post tunicarum pellicearum constructionem Adam eijcitur, prohibitus edere de ligno vitæ, ac viuere, si omninò impossibile erat hominem in æternum viuere cum corpore? Impedimentum enim contingit, velut possit ipse non mori, si de ligno gustet. Ac commemoratis ex Genesi verbis, quibus id significari videatur, concludit: Igitur potuisset viuere corpus in æternum, & immortale esse, nisi prohibitus fuisset gustare vitam. Et hæc quidem sancti Methodij, ad ipsius institutum apprimè pertinens, fuit opinio.

Quónam modo D Ambrosius mortem dixerit naturalem, nec pro pœna, sed pro remedio datam.

Lib de fide Resurrect cap 6. & libro 7. in Lucam c. 42. cap 3. & ad Roman. 6.

Ephes. 2. Coloss. 2. Matih. 8.

Cap. 6. lib de fide resurrect.

Aposol. 9. Cicero libro 2. quæst. Tuscul.

Lib. 1. met. 1.

DIVVS quidem Ambrosius cum triplicem esse mortẽ factis è litteris se accepisse doceret; vnam qua morimur peccato, Deo viuimus, quæ semper est bona: de qua morte loquebatur Collossensibus Apopostolus, cum diceret: Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Aliam qua disiuncta à vitæ suæ fonte atque principio, hoc est, Deo, anima mortua iacet in peccato; de qua scriptum est: Cum essetis mortui in delictis & in præputio carnis vestræ. & illud, Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Ac rursus: Sine mortuos sepelire mortuos suos. Aliàsque non rarò mentio fit mortis huius, quæ semper in vitio est. Tertiã quæ vitæ est notissimã huius excessus, qua nexu corporis anima liberatur. Quo vsque ad eò vitiosa non est, vt eam Deus ipse, qui vitium suscipere nullum potuit, pro nostra salute subire non sit dedignatus. Hanc igitur ille postremi generis mortem, naturalem esse dixit: nec pro pœna, sed pro remedio datam. Verùm naturalem dixit, siue quia naturæ coniunctissimarum partium dissolutionem ac dissociationem affert: siue quia vti modò affecta sunt hominum corpora, ex insitiis quibusdam naturæ principijs necessariò exoritur. Non enim voluntatis imperio subiecta res est: quæ & cum nolumus, vehementissimeque refugimus, accurrit: & cum eam votis aduocamus, refugit. quemadmodum scriptum est: Quærent homines mortẽ, & non inuenient. Luget etiam in Fabulis affixus Caucaaso Prometheus:

Amore mortis terminum inquiens mali,

Sed longè, inquit, à leto, numine aspellor Louis.

Vnde legitur & illud apud Boëtium:

Mors hominum felix, quæ se nec dulcibus annis

Inferit: & mæstis sæpè vocata venit.

Eheu quàm surda miseris auertitur aure,

Et stentes oculos claudere sana negat!

Itaque mors, inquit Ambrosius, in natura non fuit, sed conuersa in naturam est. quo fit vt eius subeundæ necessitas nascendo contrahatur. Cumque sit inimica naturæ, sic tamen cum ipsius exortu naturæ cohæret, vt verissimè dictum sit:

Nascendo morimur, siniquè, ab origine pendet.

Quocirca nihil etiam ab vlt Scripturarũ sanctarum alienum facit is qui mortem dixerit naturalem: cum ipsa quoque malitia quæ ex origine contrahitur, sit in libro Sapientiæ appellata naturalis: & à Paulo dictum fit, Eramus naturã filij iræ, sicut & cæteri. Quónam autem modo naturã, nisi quia (diuo quidem Augustino interprete) vitium pro natura inoleuit? Cum enim malum omne cõtra naturam esse dicitur, ad talem naturam referendum est qualis ab initio condita est sine vitio. Ipsa enim verè ac propriè natura hominis dicitur. Porrò autem pro remedio mortem esse, non pro pœna, dicit Ambrosius: quòd cum cæteris vitæ huius incommodis affligamur tanùm & premamur, non etiam periculis & afflictionibus liberemur; mors malis & ærumnis vitæ huius eximat, peccandi que faciat finem. Vna, inquit, est mors spiritalis, alia est naturalis, tertia pœnalis. Non enim pro pœna, sed pro remedio dedit mortem. Denique Adæ peccanti præscriptum aliud est pro pœna, aliud pro remedio. Pro pœna dicitur, Quoniam audisti vocem vxoris tuæ, & manducasti de ligno de quo præceperam tibi ne manducares, maledicta terra in operibus tuis; spinas & tribulos germinabit tibi: Cum sudore vultus tui manducabis panem tuum, donec reuertaris in terrã de qua assumptus es. Habes pœnarum ferias: quia aduersus spinas seculi

Cap 9. de fide resurrect.

Cap. 12.

Ephes. 2.

Tractatu 4. in Ioannem.

Lib. 1. Retract. cap. 10.

seculi huius, & felicitudines mundi, voluptatesque diuitiarum, quæ verbum excludunt, pœnam includunt, mors pro remedio data est, quasi finis malorum. Non enim dixit: Quoniam audisti vocem mulieris, reuertaris in terram. hæc enim esset pœnalis sententia, quemadmodum est illa: Maledicta terra, spinas & tribulos germinabit tibi. Sed dixit, Manducabis panem in sudore, donec reuertaris in terram. Vides mortem magis metam esse pœnarum nostrarum, qua cursus vitæ huius inciditur? Hæc D. Ambrosius; quibus & apud Ciceronem inueniuntur illa persimilia, mortem ab diis immortalibus non esse supplicij causa constitutam, sed aut necessitatem naturæ, aut laborum ac miseriarum quietem esse. Itaque eam sapientes nunquam inuitos, fortes etiam sæpè libenter appetiuisse: vincula verò ad pœnam sceleris inuenta esse. Ad damnationem igitur primæ præuaricationis, ita mors pertinet: vt tamen hinc boni multum existat: & malis quidè ac pereuntibus, vt grauiorem sibi peccando perniciem conciliare desistant. Pœna enim (quemadmodum alio in loco D. Ambrosius scriptum reliquit) corrigit & emendat errantem: sin talis est qui emendari non queat, auferitur è medio, ne grauiora committat. mortuus enim, iam nescit peccare. Ideoque Ecclesiastes ait: Et laudauit ego mortuos magis quam viuentes. Et nonnulli philosophi disputauerunt obesse improbis absolutiorem, prodesse mortem. quibus hæc apud Boëtium ex persona Philosophiæ consonant: Si nequitia miseros facit, inferior sit necesse est diuturnior nequam: quos infelicissimos esse iudicarem, si non eorum malitiam, mors saltè extrema finiret. Bonis verò, & iis qui salui fiunt, hoc boni morte prouenit, quòd peccati periculis subtrahatur, & constituatur in non peccati securitate; destructoq. vitiosæ vetustatis domicilio, in nouos postea homines, beata resurrectione transformentur.

Quemad-

Quemadmodum enim (ait apud Epiphanium sanctus Methodius) vbi in aedificiis templorum pulchrorum ficus enata est, & in longitudinè ac magnitudinem alta, & in omnes cõpositiones lapidum per multum samentosas radices diffusa, nõ prius à nascendo quiescit, quàm tota auellatur, dissolutis lapidibus in locis in quibus enata est. Possunt enim rursus in suos locos adaptari lapides, ficu sublata. Eodè modo etiã Deus optimus artifex, templum suum hominè, qui instar siluestris ficus, peccatum produxit, breuibus mortis ictibus dissoluit: Occidens (velut scriptum est) & viuificans, quòd rursus earundè partium caro, post exsiccatum & mortuum peccatum, instar renouati templi immortalis & illæsa excitetur, peccato perfectè ac funditus perditò. Viuente enim adhuc corpore antequam moriatur, necesse est simul viuere peccatum, intus in nobis radices suas abscondens, etiã forinsecus per castigationum atque admonitionum sectiones fuerit refrenatum. Alioqui post illuminationem, non contingeret nos iniusta facere, vtpotè peccato penitus sinceriter à nobis ablato. Hæc Methodius. Neque profectò beatus Apostolus dixisse aliunde putandus est, Mihi viuere Christus est, & mori lucrum: nisi quia id sibi maximo in lucro deputabat, iam post hanc vitam secularibus laqueis non teneri, iam fieri peccatis nullis carnisque vitis obnoxium, iam securo frui iustitia, euerso funditus atque fabricitus reuulso peccato. Poruit hoc sanè tantus Apostolus iustissima cõsideratione præsentis ac futuræ vitæ dicere, cum & à gentili homine, qui neque de huius periculis, neque de illius felicitate, sat rectè iudicabat, legamus esse dictum: etiam si quis illi deus largiretur, vt ex grate senili quam grandæuus agebat, repuerasceret, iterumque vagiret in cunis, valde recusaturn esse. nolle enim quasi decurso spatio, à calce ad carceres reuocari. Cupiebat igitur illè, si veraciter loquebatur, se mori: &

H idè

Cyprian. serm. de mortalitate.

Orat. 4. in Launum Catilam.

Sermone 18. in Psal. 118.

Eccles. 4.

Lib. 4. de Consol. Philosoph. præf. 4.

Apud Ciceronem in fine libri de senectute.

ideo quidē, vt careret huius vitæ molestiis. Quid enim habet hæc, inquit, vita commodi? quid non potius laboris? vnde fuisse quidam feruntur populi qui ortus hominum lugerent, obitusque celebrarent, nec id insulsè: eos enim qui in hoc vitæ salum venissent, morēbant: qui verò ex huius mundi procellis & fluctibus emerissent, non iniusto gaudio prosequēdos arbitrabantur. Ex quo illud est Euripidis in Cresponte:

*Nam nos decebat cæteris celebrantes domum
Lugere, vbi esset aliquis in lucem edisus,
Humana varia vita reputantes mala.
At qui labores morte finisset graues, hunc
Omnes amicos laude & latiria exequi.*

Cap. 4.

Ecclesiasticus quoque Sapiens mortē quibusdam bonam esse non tacuit. O mors, inquit, bonum est iudicium tuū homini indigenti, & qui minoratur viribus; defecto ætate, & cui de omnibus cura est, & incredibile siue potius diffidenti, eo quòd spem non habeat fortunæ melioris. Certe ita calamitosi solatio mortem esse, exul ille Poëta declarauit suis versibus, quibus posteaquā ærumnas explicasset suas, concludens ait:

*Vna tamen spes est qua me solatur in istis;
Hæc fore morte mea non diuturna mala.*

Lib. 4. Trist.
Sleg. 5.

Cum autem dubium non sit, conferri bonis per mortem boni plurimum; vnde rectissimè de bono mortis nonnulli scripserunt: tamen hinc non nisi Dei prædicanda misericordia est, qua in tam bonos vsus, pœna peccati cōuertitur, inquit Augustinus. Sed aliqua iam indicia proferamus, ex quibus animaduertere liceat excidisse hominum genus ab illa primæ creationis libertate; idque faciamus ramen, quoniam libelli huius iam terminauimus modum, alio sumpto tractationis eius exordio.

115
DE
CHRISTIANA
LIBERTATE
LIBER QVARTVS.

PROOEMIUM.



ERVITVTIS veræ partibus explicatis tribus, non immeritò quidē putari potuit argumenti propositi atque suscepti expleta & absoluta esse tractatio. Verum tamen quia nimis diligentes esse non possumus in ea re tractanda, quam accuratissimè nosse debemus, cuiusque in cognitione veræ salutis libertatisque principia sita sunt: propterea nos operæ pretiū facturos arbitramur, si & hunc addiderimus libellum de iudiciis amissæ libertatis, vt quemadmodum si quis est qui celeberrimè quòdam ciuitatis præcæm dominationem & gloriam, subsecutamque deiectionem & seruitutem nō credit, id ei solet ex ruinarum signis, aliisque monimentis demonstrari; ita nos, productis in mediū quibusdā argumentis, de generis nostri ruina & seruitute doceamus.

CAPVT I.

Primi hominis perisse libertatem id argumento esse, quod bestias terrori nobis esse sentiamus.



AGNUM verò amissæ libertatis & primi honoris indicium est, quòd bestias formidare cogamur, earumque impetus & feritatem pertimescamus; neque pertimescamus tantum, sed etiam interdum vsque ad ipsius amissionem vitæ patiamur. Et eorum tamē genus sumus, qui-

bus in Genesi dictū est: Dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus quæ mouentur super terram. Nam illa sine dubio naturalis seruitus est, & iusta dominatio, cū pecora homini seruiunt, & homo pecoribus dominatur. quod ipsa quoque institutionis eius dignitas haud obcurè demonstrat. Sic enim homini dictum est, cū crearetur: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & habeat potestatem piscium maris, & volatiliū cæli, & omnium pecorum quæ sunt super terram. Quibus verbis insinuatū est propter imaginis similitudinisque diuinæ præstantiam, hoc est, propter rationem, in qua illa cernuntur, debere hominem dominari ei vitæ, quæ rationis est expertis. Vt autem homo hominem seruū haberet, non id naturæ prima conditio, sed vel iniquitas vel aduersitas fecit. Iniquitas quidem, iuxta id quod scriptum est; Maledictus Chanaan, erit seruus fratribus suis: Aduersitas verò, ut sancto Ioseph euēnit, ut venditus à fratribus suis, seruus alienigenæ redderetur. Primos itaque seruos, quibus nomen hoc Latina lingua tributum est, bella fecerunt. Qui enim ab homine superatus, iure belli potuit occidi, quia seruatus sit, seruus est appellatus. Inde & mancipia, quia manu capta sunt. Cū igitur res ita habeat, ut propter inditam hominibus excellentiam rationis, naturalis eis in bestias propriè cætera: quæ res quæ ratione carent, competat dominatus: quid est quod ab hoc naturali dominationis iure atque ordine sic excidimus, ut bestias non modò non subiectas ad nutum habeamus, verum etiam feras strepnumè & inimicas pariamur? nihil aliud in causa est, quàm superbæ culpa inobedienciæ: qua dum supra modum volumus esse liberi, & concessæ perdimus libertatis honorem, & vilissimam seruitutem, qua & brutas animantes sentiamus infestas, nobis accersimus. Sic enim

dum

dum plus volumus quàm velle iustum est, etiam quod minus est, solemus amittere. hoc iudicio homo superbus tanquam pullus Onagri liberum se natū putās, eo vsque deiectus est, ut conscientia mortalitatis timidus, à vilissimis quoque & abiectissimis bestiis vel etiā minutissimis animalculis, molestias atque interitum reformidet. Nam propter superbiam (ait Augustinus) instituit Deus creaturam istam minimam & abiectissimam, ut ipsa nos torqueret: ut cū superbus fuerit homo, se iactauerit aduersus Deum; & cū sit mortalis, mortalem terruerit, & cū homo sit, proximum hominem non agnouerit; cū se erexerit, publicibus subdatur. Idcirco sanè cū populum Pharaonis superbum domare potuerit Deus, immisisse vr̄sis, leonibus, serpentibus, nouisque & inusitatis ferarum generibus; ranas ille tamen & muscas immittere maluit: ut rebus hisce vilissimis superbia retunderetur. Sic & alios Gentium populos suis sedibus expulit, crabronibus in eos incitatis: sicut Moyses futurum prædixerat. Sic & Abderitas (vt est apud Iustinum historicum) ranarum muriumque multitudo, patriæ solum relinquere, nouasque sedes quærere coëgit. Perunt quosdam nec glirum morsus, quocumque se proriperent, effugere aliquando potuisse. Est & de Myntiis Ionix populis memoriæ proditum. Illos à culicū infinita multitudine, quam palus vicina genuerat, sic afflicto esse, ut vr̄berelicta patrij: que sedibus, Miletum commigrare cogentur. Quod ipsum Acarnensium etiam ciuitati, quæ iuxta Alia Pergamum splendide frequenterque habitabatur, euēnisse in Achaicis suis Pausanias prodidit. Herodem certè, sicuti & Sillam antea, constat à vermiculis consumptum (quem pedicularem fuisse morbum putant) expirasse propterea, quòd fastu elatus, Deo gloriam non dedisset. Alias verò Prophetæ cuiusdam inobediencia, leone vltore pū-

*Tractatu 1. in
Ioannem.*

*Dent. cap. 7.
lib. 15.*

*Vide Niral.
Leonicum de
varia historia.
lib. 2. cap. 75.*

H 3

nita

nita est. Iſ quoque populi, qui abductis in captiuitatem filiis Iſraël, Samariam poſſidebant; quia Dominum non timerent, à leonibus deuorati memorantur. Sed & prophanam puerorū irriſionem, qua ſanctum Prophetam Helizeum inſectabantur, prodeuntes viſi, dilaceratis eorum corporibus, vindicarunt. Alii denique aut luporum ferenda rapacitas, aut Serpens obliquo eſt dente timendus aper. Hunc igitur tam ſæuū beſtiarum patitur dominatum natura peccatrix, iuſto Dei iudicio; propter ſuperbam inobedientiam digniſſimæ pœna ſeruitutis affecta. Itaque beatus Chryſoſtomus de hoc ipſo iudicio diſſerens amiſſæ libertatis; Quod nūc terrori, inquit, nobis ſunt beſtiæ, & timeamus, & dominio exciderimus; neque ipſe contradico. verū hoc nō arguit, falſam Dei promiſſionem. Nam ab initio res ita non habebant: ſed timebant & tremebant beſtiæ, & ſuſpiciebant dominum, vbi autem per inobediētiam, libertatem & dignitatem noſtram amiſimus; etiam principatus noſter muſtulus eſt. Subiecta enim homini omnia animalia fuiſſe, accipe ex ſcriptura: Adduxit Dominus beſtias ad Adam, vt videret quā vocaret eas; & non reſiluit Adam, ſed tanquā dominus aliquis, ſeruis ſubditis nomina indidit. Ac paulo poſt, Eſt tamen & aliud, inquit, non minus aut etiam maniſteſtus argumentum, ſeras ab initio homini terribiles non fuiſſe. Et quodnam hoc? Colloquium ſerpentis cum muliere. Si enim terrori fuiſſent hominibus tum beſtiæ, non ita mulier viſo ſerpente manſiſſet, non accepiffet conſilium, non cum eo tanta fiducia ſermocinaretur: ſed ſtatim ad ipſum & expauiſſet & reſiluiſſet aſpectum. Nunc autem & diſputat, & non timet, Nondum enim erat timor iſte: ſed poſtquam peccatum ingreſſum eſt, ablata ſunt ea quæ honoris erant. Et quemadmodum inter ſeruos fieri ſolet, vt probatiores & honeſtiores conſeruis terrori ſint; qui

qui autem deliquerint, ſocios & ſeruos timeant: ſic & de homine factum eſt. nam ſalua illius in Deum fiducia, terribilis erat beſtis: vbi autem deliquit, timere cœpit & conſeruorum extremos. Hæc D. Chryſoſtomus: qui paulo poſt, conſequentibus verbis, oſtendit hanc nihilominus generis noſtri pœnam diuina miſeratione temperatam eſſe; vt nō hac in parte, toto priuſus principatu deiceremur. Siquidē ea duntaxat animalia à noſtra poteſtate alienata eſſe, quæ non multum ad vitæ vtilitatem conducebant, velut ea quæ nomine ſeruarum aut beluarum propriè designantur; & quæ ſunt ſerpentino genere comprehenſa; quæ verò vitæ huic commodo & adiumento eſſent, ea in natiua ſeruitute & ſubiectione ſua remanſiſſe, vt armenta bouum, vt equos ad cultus agrorum, vt ouium greges ad tegumenta corporum cibumque præbendum; vt canes ad ouilium domorumque cuſtodiam. In quibus quidem canibus, relucent euidentius veſtigia quædam; ac veluti reliquiæ manifeſtæ ſuperſunt, amiſſi in beſtias principatus. quandoquidem pro domino etiam in latrones inſilire nouerunt, & externorum acceſſus prohibere nocturnos, & mori pro dominis, aut cum eis commori. In vniuerſum autem genus id remanſit; vt domari industria & labore poſſint. Tameſi ſcribit Cæſar vros in Hercynia ſilua reſertos, qui aſſueſcere ad homines & māſueſieri, ne paruuli quidem excepi poſſent. Sed diui Iacobi falſa non poteſt eſſe ſentētia; qua dicit: Omnis natura beſtiarum, & volucrum, & ſerpentū, domantur & domita ſunt à natura humana; Videbatur nihil elephantis creatura habere robuſtius, nihil tam terribile vel procerum; nihil tam ferū quàm leones vel tigrides ſunt: & hæc tamen ſeruiunt homini, & naturam ſuam humana inſtitutione deponunt: obliuiſcuntur quod nata ſunt, induunt quod iubentur. Quid multa? docentur vt paruuli, ſeruiunt vt infirmi,

*Vide Ambr.
lib. 8. hæc emend.
ron. cap. 4.
Cōment. lib. 6.*

verberantur vt timidi, corriguntur vt subditi: in mores transeunt nostros, quoniam motus proprios perdiderunt. Cæterùm hæc ipsa naturali suæ relicta feritati, pleraque vel in solitudinibus, vel saltibus aut antris suis & latibulis, frequenterque & aliis quibuscunque locis, sic hominibus infesta sunt; vt inter diuina miracula numeretur, quòd sanctus Propheta Daniel, familiarorù ora leonum, cum esset in spelunca inclûsus, incolumis euaserit. sicuti & illud dignâ habuit admirationem, quòd Paulus viperam sub sarmentis delitescentem, cum excitata calore, manû eius inuasisset, illa sus excussit. Gentilium verò in historiis inter animantium miracula numeratur, quæ recêset Plinius. Velut Aspides ad mèsam cuiusdã quotidie venire solitam, cum sensisset ab vno catulorù suorum, hospitis filiû interceptum, in violati hospitijs pœnâ, necem intulisse catulo, nec postea præ pudore in tectû id reuersam. Item Patheram ob eductos è fouea catulos, retulisse homini gratiâ, & extra solitudines eductû, in publicâ viam restituisse. Cuius generis est, quòd & Cyrû à cane, & Romanæ vrbis conditores à lupa nutritos, cum essent expositi, celebratû est. Narrat etiam Plinius secûdus vt memorabile quiddam, Delphinum pueris natatu se exercentibus, ad littus accessisse frequenter, cumque ipsis pueris, tâquam si eiusdem generis foret, lusitallê. Sed hæc in tanta feritate naturarum, admirationem vt dixi habêt. Nam lege cõmuni humanæ seruitutis, ipsa quoque innocentia, sepe & inter feras, armis est defendenda: sæpe etiam frustra defensa, laceratur. quod vel in paruulis regeneratis, apparet esse verissimum.

CAPVT II.

Non modò nullum à bestiis metum, sed nec molestam quidem homini sub homine seruitutê fuisse futuram, nisi peccaretur.

QUID igitur iam mirum, si liber homo conditus, duram & acerbam sæpenumerò sub homine domi-

dominâte sustineat seruitutem, qui etiam hoc meruit, vt interdum nec luporum aut leonum possit effugere feritatem? Nam ante lapsum, nec illa fuisset (sicuti significatum est) homini dura & aspera sub homine conditio toleranda seruitutis. tamen non negauerim quosdam aliis & mentis robore præstantiores, & eam ob rem, superiores auctoritate fuisse futuros. neque enim & ante peccatum, inquit Augustinus, aliter fuisse decet credere mulierem, nisi vt ei vir dominaretur, & ad eum ipsa seruiendo conuerteretur. Idemque alio in loco, Non potest dubitari, naturali ordine viros potius feminis, quàm feminas viris principari. Quocirca & à Paulo scriptum est, Virum caput esse mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ. Filios verò quis dubitet suorum iussâ parentum, officij iure fuisse secutores, quos eis superiores ipsa natura dedisset? Hoc enim iustitiæ vis & ratio postulat, vt infirmior ratio seruiat superiori. Nec video quàm id verè considerateque dici poterit à Lactantio, Vbi non sunt vniuersi parës, æquitas non est, & excludit inæqualitas ipsa iustitiam; cuius vis omnis in eo est, vt similes faciat eos qui ad huius vitæ conditionem pari sorte venerunt. Fuisset tum igitur omnino dominiû quoddam vnus in alios, non pro suis vtilitatibus & cõmodis quod liberet imperantis, neque etiam leuandæ subiectorum miseriæ prouidentis oportuna remedia: sed planè dirigentis ad sapientiam ampliorem, vtentisque voluntariis & & lætis obtemperantium officijs: vt sicuti nulla fuisset superioribus aut dominandi libido, aut asperitas imperij; ita nec inferioribus, qui videlicet sapientiam minus prudentiaque pollerent, aut in obediendo mœror, aut in exequendo molestia vll' aue difficultas. Tamen enim in illo beato planeque aureo statu, nulla naturæ legis ignoratione laborassent, sed omnes à principio recti, sancti, sapientesque fuissent: has tamen tam præ-

Lib. 11. de
Genes. ad lit.
cap. 37.

Cap. 9. de imp.
& concup.

Ephes. 5.

Lib. 5. de Inst.
cap. 15.

claras animi dotes, vel pro ætatis suæ gradu, vel sexus conditione, fuisset vnusquisque diuina distributione sortitus. vt quemadmodum viri pueris sapientia præstarent, haberentque illi quod hi audiendo perceptum, vtiliter exequerentur: ita mulierem vir animi præstantia & robore & prudentia scientiaque superaret, præluceretque omnibus virtutum officiis, atque ad imitationem sui, præclaris exemplis suauiter inuitaret. Fecit enim Deus, inquit Augustinus, feminam, eamque in adiutorium viro coniunxit, vt haberet vir gloriam de femina, cum ei præiret ad Dominum, seque illi præberet ad imitandum in sanctitate atque pietate, sicut ipse esset gloria Dei, cum eius sapientiam sequeretur. Eo quoque fieret, vt virum superiorem agnosci & haberi in veneratione, etiam ipsa si quid præciperet, obediendi promptitudine facilitateque deceret. Nequo verò mirandum est, si quam inter homines inæqualitatem eiusmodi, in qua naturalis ordinis quædam inesset pulchritudo, etiam si nunquam peccaretur, futuram arbitremur fuisse: cum & Angelorum à principio varios ordines ac veluti familias, suis quasque subiectas patribus ac principibus extitisse, neque pari omnes præditos aut sapiëntia aut potestate fuisse, omnium eruditorum doctrina constet. Nam & propterea dixisse videtur Apostolus de Patre Deo, quòd ex eo omnis paternitas siue parentela, non in terra modò, sed etiam in cælo nominatur. Quapropter vbi dictum est mulieri iam inobedienti, Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui: rectè accipi potest significatam esse eam seruitutem, quæ cuiusdam est conditionis potiùs quàm dilectionis: vt etiam ipsa talis seruitus, qua homines postea hominibus serui esse cœperunt, de pœna peccati reperiatur exorta, maritumque habere dominum nõ in muliere natura, sed culpa meruerit. Ex quo & illa sunt apud Augustinum, quòd hominè ad imaginem

Cap. 18. de
arrectis
vultibus.

Ephes. 3.
Vide Chryso-
stomum in
eius locum.

Lib. 19. de ci-
uit. Dei, c. 15.

ginem suam factum, non voluit Deus nisi brutis animalibus dominari, nõ hominem homini, sed hominem pecori. Et nullus, inquit, natura in qua Deus hominem priùs cõdidit, seruus est hominis, aut peccatis sed prima seruitutis causa, peccatũ est, vt homini homo conditionis vinculo subderetur. Non habuisset igitur ille status vilem & coactam cuiusquam sub alio subiectionem, sed pulcherrimam in omnibus naturalis ordinis conseruationem. vnde non in Republica solùm beata tranquillitas, sed etiam domestica, id est, ordinata imperandi obediendique concordia cohabitantium oriretur.

CAPVT III.

Pœnalem ac miseram homini sub homine seruitutem, cœpisse post peccatum esse necessariam.

AT modò non tam mirum est in omnibus inferiorum ordinibus cum ipsa subiectione pœnalem miseriam esse coniunctam, quàm hanc ipsam vsque ad eò necessariam esse, vt ea remota, neque priuatim, neque publicè rebus humanis tranquillitas futura videatur. Vt enim exordiamur à filiis, quos suis parentibus natura subiecit: nõne iis plerumque sunt ingeniis; vt vsque ad ipsa verbera parentum porrecta seueritas debeat officium atque obediëntiam extorquere? Atque à naturali quidè erga liberos affectu, nescio quid hoc alienum & abhorrens primo aspectu præ se ferre videtur; at si penitus introspicias, hoc demum verè diligere est, pendulas ad nequiora, metu cohibere tenerioris ætatis voluntates. Ex quo illud est Sapientis Ecclesiastici: Qui diligit filium, assiduatur illi flagella; vt lætetur in nouissimo suo, & non palpet proximorum ostia. A quo etiam consequentibus verbis de equo indomito similitudo adhibita, declarat quàm periculosè erga liberos, disciplinæ seueritas negligatur. Equus, ait, indomitus

Cap. 30. &
Prou. cap. 29

domitus euadet durus, & filius remissus euadet præceps. Lacta filium tuum, & pauentem te faciet; ludum cum eo, & contristabit te. Ideoque & his verbis præceptum adiungit: Curua ceruicem eius in iuuentute, & tunde latera eius dum infans est: ne forte induretur & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ. Neque tamen illud infulsè apud Terentium Mitio:

*Adelphi aff. 2.
Scena 1.*

*Pudore & liberalitate liberos
Retinere, satius esse credo, quam metu.*

Et rursum:

*Hoc patrium est, potius consuefacere filium
Sua sponte rectè facere, quam alieno metu.
Hoc pater ac dominus interest. hoc qui nequit,
Fateatur nescire imperare liberis.*

Sunt enim ea procul dubio ingenia meliora, quæ duci benigna quadam ac clementi facilitate possunt, quàm ea quæ oportet impelli metu: adeoque dura sunt interdum, vt nisi quædam institutionis asperitate frangantur, ad nullam se honestæ vitæ partem accommodatura videantur. Sed vti meliora sunt, ita profectò rariora. Pluresque ita sunt intemperantibus animis, vt eos seueritatis metu, in rectè viuendi consuetudinem trahi necesse sit. Et ille ipse quidem Mitio sensit aliquando nimiam suam indulgentiam fructum acerbum, in dissolutiore filij vita. Tamen si hoc ægrè se pati, fratri suo noluerit ostendere. Et si *Æschinus*, inquit,

Æsch. 1. Scena 2.

Nonnullam in hac re nobis facit iniuriam: [aliquid] Quam hic non amauit meretricem? aut cui non dedit

Ob hæc sanè grauiore se putasset iniuria affici à filio, si prius ipse magis istiusmodi adolescentiæ corruptelas fuisset detestatus: Quarum pernicies atque turpido quanto Christianis est notior, tanto studiosius & iniurias hæc suas, & suorum interitus liberorum, & Reipublicæ detrimenta, debent moderato quodam disciplinae terrore præcauere. Hæc alius discipulorum ordo, quos

quos suis parère præceptoribus, non humana solum instituta voluerunt, sed lex etiam ipsa naturæ: quo rudes & inculti puerorum animi, studiis possent humanitatis informari. vbi est videre licet aliquos adèd præclara feicique indole, vt amore scientiæ ad studiorum labores nemine incitante rapiantur: pars tamen ea numerosior est, cuius studia prouehuntur crepantibus sub fetulis. Qua quidem in re mira naturæ deprauatio cernitur: vt cum sit cognitio rerum atque literarum per se ipsam amabilis, atque ad huius vitæ cursum honestius iucundiusque conficiendum res pernecessaria; malint pueri tan-è, si fieri liceat, ac nisi verberum subinde stimulis vrgeantur, in turpissima bonarum artium ignoratione versari. De seipso cõfitebatur Augustinus, Non amabam, inquit, in ipsa pueritia literas, & me in eas vrgeri oderam: & vrgebar tamen, & mihi bene fiebat, nec faciebam ego bene. non enim discerem, nisi cogerer. Atqui ad ludicra & ineptias malasque artes, & ipse tum, & ceteri eadem ætate omnes vitio feruntur: nec calcaribus hæc opus, quibus incitentur, sed habentis disciplinæ seuerioris, quibus coërceantur atque retrahantur violentius. Sic ætas illa prima siue sub parentibus agatur domi, siue sub præceptoribus in scholis; quoniam quid turpe, quid honestum, quid vtile, quid ve perniciosum sit, nõdum sentit, semperque est ad deteriora propensior; verberibus eget. Solutitia, inquit Sapiens, colligata est in corde pueri, & virga

Lib. 1. Confess. cap. 12.

Vide August. lib. 22. de ciuit. Dei, c. 22.

Proverb. 22.

fiat.

fiat. ut enim bonam indolem nimia licentia soluit; ita grauis & assidua castigatio, ingenij vim enervat, naturæque igniculos in pueris exstinguit, qui dum timent omnia, audere nihil possunt: fitque ut penè semper errent, dum singulis in rebus errare formidant. Quare detestanda est, & in Republica punienda Tyrannia illa plagositas, & quedam in pueros vsurpata Orbiana: quæ ut iniquè nimium iugum aggrauat miserandæ seruitutis, ita bona sæpenumerò perdidit ingenia. Transcamus iam hinc ad vxores, quas viris suis, ut dominis; subditas esse oportere, Apostolica nobis tradidit disciplina. Quanquam enim est aliquid in quo pari cum maritis iure vxores vtuntur; propter quod scriptum est ab eodem Apostolo, Nō habet vir potestatem corporis sui, sed mulier: & vir vxori debitum reddat: cæteris tamen in rebus sic debent obediētiam vxores viris suis, ut horum illis per omnia, quæ non aliqua lege grauiore vetentur, quamlibet molestum imperium sequendum sit. Sicut Ecclesia subiecta est Christo, inquit beatus Apostolus, ita mulieres viris suis in omnibus. Quàm multa autem incidunt, quæ aut maiore prouidentia viri, aut necessitate quadam propria, suis imperant coniugibus; quæ nec fieri sine graui onere, nec recitari tamen citra culpam inobediētiæ possint! Quis etiam illud ignoret, quantum sæpenumerò imperia virorum exasperet vxorum aut inconsiderata leuitas, aut profusio temeraria, aut vsurpata in viros dominatio, aut vitiosa educatio liberorū, aut praua aliqui administratio rei familiaris? Ea demum infelix necessitas, si quando erit opus verberibus: quæ tamen extorquet interdum proterua cōiugis improbitas. huc vsque maritū habere dominum meruit mulieris non natura, sed culpa. Quod tamen, inquit Augustinus, nisi seruetur, deprauabitur amplius natura, & augebitur culpa. Sed ab illa tam arcta coniunctione procul

esse

esse debet omnis atrox & læua omnisque iniusta percussio; quæ nec in mancipia quidem ipsa si proferatur, culpa vacat. Quocirca & lege civili vsque ad eò cœteretur dominorum asperitas, ut si intolerabiles sint, seruos suos iusto pretio venundare cogantur, cum inersit Reipublicæ ne quis re aburatur sua. Idcirco diuus Chrysoſtomus, Neque verberandam, ait, vxorem dico: absit; vltima namque ignominia est, non eius quæ verberatur, sed qui verberat. Hoc igitur viri curabunt, ut plus in iis erga coniuges dilectio quam potestas & auctoritas valeat: semperque meminerint eius quod tum cum hæc institueretur copula, sancitum est. Propter hoc derelinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Idcirco etiam neque de capite, neque de pedibus, sed de latere viri femina procreata est: ut vel hinc intelligeretur, quo loco suas coniuges viros habere deceret. Sed harum rerum ignara gentilitas, matrimonialibus etiam illis tabulis, ad conditionē seruilem vxores redigebat. De quo apud Augustinum in Confessionibus libro 9.

Cap. 9. Cum matronæ multæ, quarū viri mansuetiores erant, plagarum vestigia etiam dehonestata facie gererent, inter amica colloquia, illæ arguebāt maritorum vitam: hæc (inquit, matrem significans) earū linguam veluti per iocum grauius admonēs, ex quo illas tabulas quæ Matrimoniales vocantur recitari audissent, tanquam instrumenta quibus ancillæ factæ essent, deputare debuissent: proinde memores conditionis, superbe aduersus dominos non oportere. Cumque mirarentur illæ, scientes quàm ferocem coniugem sustineret, nunquam fuisse auditū aut aliquo indicio claruisse, quod Patricius ceciderit vxorem, aut quod à se inuicem vel vnum diem domestica lite dissenferint, & causam familiariter quærerent; docebat illa institutum suum, quod supra memoravi. Hactenus Augustinus; simul

ostendit.

Instit. lib. 1.
Titulo de iis
qui sui sunt
aut alieni iu-
ru.

Homil. 26. de
ad Corinth.

1. p. 5.

1. Corinth. 7.

Lib. 11. de
Genesi ad lit.
cap. 17.

ostendens qua conditione inter infideles præsertim, sub viris esse solerēt vxores, simulque & matrem suam Monicam collaudans, quæ ea conditione erga virum tam patienter ac prudenter vteretur. Postremò & gentium populorumque, attingēda nobis publica subiectio est: qua suis aut Regibus aut Principibus magistratibusve subduntur. Vt enim esset aliqua inter homines publica potestas, qua confusa alioqui, & moribus animisque diuisa multitudo, in vnum, quoad fieri posset, redigeretur, id rerum humanarum quies & incolumitas postulabat. Idcirco cū esset aliquando hominum genus id, de quo scriptum est à P. Sallustio, agreste, sine legibus, sine imperio, liberum atque solutum; natura ipsa duce atque agente regem habere cœpit: quo adnitente postquam in vna mœnia conuenēre, dispari genere, dissimili lingua, alius alio more viuentes, incredibile, inquit ille, memoratu est quàm facile coaluerint. ac pari quidem conditionis forte natura genuit omnes: sed quoniam qui seipsum regerent pauci erant idonei, in tanta deprauatione imbecillitateque nature, necesse fuit, vt multi ab vno, qui cæteris prudentia & ingenij dexteritate præiret, instituta æquitate gubernarentur. Rectè proinde illud D. Gregorius: Omnes quidem homines æquales natura genitos; sed variante meritorum ordine, alios aliis culpa postpositos esse. Ipsam autem hanc diuersitatem, quæ ex vitio accesserit, diuino iudicio sic esse dispensatā, vt quia non omnis homo æquè valeret consistere, alter ab altero regeretur. Idcirco, sicuti scriptum est ab Ecclesiastico, Vt bene rebus cōsuleretur humanis, Vniuersi moderator in vnamquamque gentem præposuit Rectorem. Vt autem potestas hæc sublimior, subditis incuteret metum, id per necessarium fuit. Propterea quòd in omni ferè cōmunitate, plures sunt qui ab illicitis suppliciorum formidine refrenantur, quàm ea qui fugiant contem-

In Conuersatione
Catiilina.

2. part. Passor.
cap. 6.

Ecl. 17.

platione atque amore virtutis. Vbi tamen persæpe nec ipsum quidem metum, propter vim cupiditatis ingentem, satis posse perspicimus. Hinc & cruces & ignes & distortionēs & distractiones contractionesque membrorum, atque innumerabiles propemodum, pro locorum hominumque diuersitatibus, constitutarum in noxios formæ pœnarum. Hinc & Romulus cū iura dedisset multitudini (quæ in vniuersi populi corpus coalescere nulla re præterquam legibus poterat) tum demum illa hominū generi sancta & firma stabiliaque fore credidit, si se ipse nō modò venerabilem insignibus Imperij totoque reliquo habitu cæteris augustiorē fecisset, verumetiam duodecim assumptis lictoribus formidabilem. quid autem hæc de media gentilitate refero, quæ minus ponderis apud multos habent? cū Deus ipse, cuius omnia recta sunt opera, & tantis cum terroribus in monte, fumo, fulgure, sonituque terribili, dederit Israëlitis tribus legem; & in violatores eius postea tum per se tum per suos duces adde seuerè vindicari? necessarium scilicet declarauit esse mortalibus potentia valentioris metum, quando satis per se ipsam grauitas turpitudineque scelerum, à malefactoris non abducit. Ideoque vult omni humanæ creaturæ homines subiectos, siue Regi, quasi præcellenti; siue Ducibus, tanquam ab eo missis, ad vindictam (ait beatus Petrus) malefactorum, laudem verò bonorum, quia sic est, inquit, voluntas Dei. Itaque cū initio dictum sit hominibus, Crescite & multiplicamini, & replete terram: & terror vester ac tremor sit super cuncta animantia terræ: Cū, inquam, à principio voluerit Deus in solas pecudes brutaque animantia hominum valere terrorem; postea tamen, vbi comparati homines iumentis insipientibus & similes facti sunt illis, hos quoque necesse fuit formidine concuti ac terroribus cohiberi, à legum præceptorumque seueritate pro-

factis. Ut impleretur etiam hoc modò, quod Sapiens in Proverbiis ait, Stultus seruiet sapienti. Ex quo sunt illa beati Gregorij. Plerunque à subditis etiam sancti viri timeri appetunt, sed quando ab iisdem subditis minimè timeri Deum deprehendunt: ut humana saltem formidine peccare metuant, qui diuina iudicia non formidant. Nequaquam ergo prapòsiti ex hoc quesito tumore superbiant, in quo non suam gloriam, sed subditorum iusticiam querunt. In eo enim quòd metum sibi à peruersè uiuentibus exigunt, quasi non hominibus, sed brutis animantibus dominantur, quia uidelicet ex qua parte bestiales sunt subditi, ex ea etiam debent formidini iacere substrati. Cùm uerò deest vitium quod corrigatur, non de excellentia potestatis, sed de æqualitate conditionis gaudent. Hæc beatus Gregorius. Quoniam igitur per hominum culpam, cæpit in omnibus subiectarum ordinibus quidam inesse metu feruili & castigatoriis pœnis coërcendum, reddita est per iniquitatem omnis subiectio seruilis quodammodo. Atque ipsa pœnalis seruitus, inquit Augustinus) ea lege ordinatur qua Deus naturalem ordinem conseruari iubet, perturbari uetat. Quia si contra legem non esset factum, nihil esset pœnali seruitute coërcendum. Sed hæc coërcendi potestas etiam ubi uero iure competebat, in tyrannidem sæpe numero conuersa est: cùm nec hominum in numero, & quidem sub effigie humana feræ defunt, quæ magis timeri gaudeant quàm amari, qua tamen ratione non obedientia uera conciliatur, sed odiù. Præclare namq. Ennius: *Quem metuunt oderunt, quem quisque odit, perijisse expetit.* Et alius:

*Dextera præcipuè capit indulgentia mentes,
Asperitas odium seuatq. bella mouet.*

Cuius odij, cùm multos occupauit, tanta vis est, ut sapè cognitum sit, nullas opes ei posse obsistere. Inde

tyran-

tyrannorum perpetuus metus, quo vno cùm maximè nituntur esse liberi, infelicissimi serui redduntur. uelut ille Dionysius Syracusanus. qui nec deponito quidem imperio, satis securum se esse censebat, nisi sordidissimum vitæ genus ingreuilis, scurrilem etiam simularet amentiam. Magis enim illa omnia, quæ de eo memorantur, arte, quàm amisso regali pudore faciebat, expertus quàm inuisa foret etiam sine operibus, nomina tyrannorum. Cuius quidem Regis exemplum memorabile, cæteros docuit reges, si uerè liberi uerèque stabiles in suis regnis esse uellent, clementia magis sibi subditos populos adiungere, quàm tyrannidis affectatione terrere. Malus enim (ut ille ait) custos diuturnitatis, metus: contraque beneuolentia fidelis uel ad perpetuitatem. Quod sic est litteris nostris per sapientem expressum; Misericordia & ueritas custodiunt Regem: & roboratur clementia thronus eius. Iure proinde illdamnantur, atque in Euangelio parseorum cum hypocritarum infelici sorte coniungitur, qui disciplina prætextu seruiunt in serulos, & ministerium regiminis in usum dominationis superba crudelitate conuertunt. Quos D. Cypriani uerbis oportet increpare, quibus ad Demetrianum tyrannum est usus. Ipse, inquit, de seruo tuo exigis seruitium, & homo hominem parere tibi & obedire compellis; & cùm sit uobis eadem fors nascendi, conditio una moriendi, corporum materia similis, animatum ratio communis, æquali iure & pari lege uel ueniatur in hunc mundum, uel de hoc mundo postmodum recedatur: tamen nisi pro arbitrio tuo tibi seruiatur, nisi ad uoluntatis imperium pareatur, imperiosus & durus seruituris exactor, flagellis uerberas, fame, siti, nuditate, frequenter ferro, & carcere affligis & crucias: & nõ agnoscis Dominum Deum tuum, cùm sic exerceas dominatum. Et ille quidè ad eum modum. Veruntamen grauius non-

Proverb. 11.
Lib. 21. Moral. cap. 11. &
Iob cap. 31.

Lib. 19. de ciuit. Dei, c. 15.

Ouidiu.

Cicero lib. 2. Offic.

Proverb. 102.

Math. 24.

nunquam delinquitur, si inter peruerfos, ait D. Gregorius, plus æ qualitas quã disciplina custoditur. Quia enim falsa pietate superatus, ferire Heli delinquentes filios noluit, apud districtum iudicem, semetipsum cum filiis crudeli damnatione percussit. Meruit enim, ait Leo Pontifex, eorum delicta tolerando, diuinæ iustitiæ vnã cum filiis sententiam experiri, propterea quòd segni indulgentia dissimulauit plectere peccatores. Ideoque abijcienda prorsus pestifera hæc patiëntia est, quæ sibimet, peccatis aliorum parcendo, non parcit.

CAPVT IIII.

A prima libertate hominem excidisse, illud etiam testari, quòd pudendos carnis sue motus vel inuitus patiatur.

IAM & alterum perditæ libertatis ac primi honoris iudicium obseruemus: quod in pudendis carnis nostræ motibus erubescendaque rebellione cognoscitur. Quæ enim est primi illius principatus relicta libertas, quando nec membris nostris, quæ arctissimis cum animo vinculis natura coniunxit, possumus vt volumus imperare? Non enim liber est, qui quod vult non potest, iis præsertim in rebus, quas & velle rectum est, & posse decorum. Quid autem rectius animo, quàm cupere sic omnibus subiectis partibus imperare, nulla vt contra rationis iudicium moueatur? Quid magis deceat eum cui principatus est à natura datus, quàm id posse? hoc igitur non posse, quoniam erubescendum est (sicut etiam domini solent rubore suffundi, cum præsertim apud alios, sua viderint à seruis præcepta cõtemni) idcirco iunctis foliis primi homines, fecere sibi perizomata, pudendaque texerunt. Atqui prius & nudi erant, nec erubescabant tamen: non quòd inuercundix aut impudentix iam vitio laborarent, aut ita cæci essent, vt suam non viderent nuditatem: sed quòd innocentissimæ sanctissimæque integritatis veste con-

recti atque exornati, nihil circumferrèt erubescèdum, nihil omnino quod, tanquã deformem alioquin aspectum habiturum esset, velari cõueniret. Nudus igitur Adam, inquit Ambrosius, incola Paradisi fuit; sed post peccatum nuditatem suam vidēs, folio pudenda contexit, prius enim quàm peccaret, honestatis erat colore vestitus. Atque ideo nuditatem inhonestam, non natura instituit, sed delicti reatus inuenit. nam & sancti Angeli in splendidissimo habitu constituti, non quòd tunicis operiuntur & pallis; sed cum sit in illis natiuitatis suæ nuda substantia, eo vestiti videntur esse quòd sancti sunt. Sic igitur & Adam custodiens honestatis angelicæ dignitatem, erat quidem nudus mundanis vestibus, sed immortalitatis erat splendore vestitus. Nihil prauum respiciebant eius oculi, non cor eius turpe aliquid cogitabat: erat apud honestas mentes, nuditas ipsa vestita. Sicut enim apud homines nequam, turpis cogitatio concupiscentiæ, vestibus non arcetur: ita apud sanctos viros honesta simplicitas, ad concupiscendum nuditate non trahitur. Sed sicut vitiosis ad corruptelam nuda sunt omnia, ita religiosi ad castimoniam operta sunt vniuersa. Et hæc quidem de castissima nuditate primorum parentum, diui Ambrosij oratio est. Quod si fortè requiras, vndenam exorta sit carnis nostræ tam erubescenda rebellio; quique factum sit, vt cum tota prius quæ nobis est cum bestiis communis anima, iudicio rationis obediret, postea suos habere cõeperit motus à ratione tam auersos: hoc arbitror verissimè posse responderi, ex superba defectione mentis à Deo suo, cui constanter esse debuerat omni pietate subiecta, alteram illam defectionem rebellionemque partium inferiorum, exortam esse. In illa quippe voluntatis obedientia, qua Deo suo vt effectori ac Domino cohærebat, quasi vinculũ erat quoddam constitutũ, quo totius hominis pacatissima recti-

Sermone 10.

tudo & ordinatissima compositio, veluti constricta tenebatur; hoc igitur per inobedientiam superbiamque soluto, diffuere cuncta dissiparique cœperunt, atque inter se contrariis motibus collidi. Atque ut eam quam prius vñ sumus similitudinem, hinc quoque adhibeamus: quia Domino Deo suo ratione præditus animus, tanquam seruus lasciuens & immorigerus, rebellat, falsa videlicet noxiæque libertatis audus: idcirco is famulum quoque suum meruit habere rebellem, dignusque fuit qui contempserat imperantem Deum, ut propria etiam in membra subditasque sibi facultates, suum perderet principatum. Vbi autem (quemadmodum ille dixit) quod intus est atque nostrum impune euolare potest, contraque nos pugnare; fit in dominatu seruus, & in seruitute dominatus. Quia cum naturæ primùm institutæ iure, menti competat dominatus, hanc tamen & violare & perdere meruit semper, assidua propemodum & vix intermissa subditæ carnis infestatione. Sed de huius origine & ea causa quam modò posuimus, ipsum Augustinũ audiamus: ut quo nemo (quod equidẽ arbitror) felicitiũs clariũsque hisce de rebus disseruerit. Is igitur libro secundo, cap. 22. de peccatorum meritis & remissione, Obedientiam, inquit, illi homines priusquã violassent, placebant Deo, & placebat illis Deus: & quamuis corpus animale gestarent, nihil inobedienter in illo aduersum se moueri sentiebant. Faciebat quippe hoc ordo iustitiæ, ut quia eorum anima famulum corpus à Domino acceperat, sicut ipsa eidem domino suo, ita illi corpus obediret, atque exhiberet vitæ illi congruum sine vlla resistentiâ famulatum, hinc & nudi erant, & non confundebantur. Animam quippe rationalem naturali verecundiâ nunc pudet, quod in carne, in cuius seruitutem ius potestatis accepit, nescio qua infirmitate efficere non potest, ut se nolente non moueantur membra, & se

volente

volente moueantur: quæ propter hoc in quouis casto, meritò appellantur pudenda; quòd aduersus dominam mentem, quasi suæ sint potestatis, sicut libitum est excitantur. Idque solum iuris in his habent frena virtutis, ut ad immundas & illicitas corruptiones ea peruenire non sinant. Hæc igitur carnis inobediencia, quæ in ipso motu est, etiam si habere non permittatur effectum, non erat in illis tunc primis hominibus, quando nudi erant & non confundebantur. Nondum quippe anima rationalis domina carnis, inobediens existerat domino suo, ut pœna reciproca inobedientem experiretur carnem suam, cum sensu quodam confusiois & inobedienciæ. Posteaquam igitur facta est illa transgressio, & anima inobediens à lege domini auersa est; habere cœpit contra eam seruus eius, hoc est, corpus eius, legem inobedienciæ. Et puduit illos homines nuditatis suæ, animaduerso in se motu, quem antè non senserant: quæ animaduersio, apertio dicta est oculorum. Neque enim oculis clausis, inter illas arbores oberrabant. Hæc Augustinus eo loco. Qui ea ipsa Serm. 12. de verbis Apostoli, clarè breuiterque & quasi compendio repetit, Mentis, inquit, & carnis Deus est artifex. Ipse quando hominem creauit, vtrumque fecit, vtrumque coniunxit: carnem animæ subdidit, animam sibi. Si semper illa staret sub domino suo, semper & ista obediret dominæ suæ. Noli ergo mirari, si ea quæ deseruit superiorem, pœnas patitur per inferiorem. Hactenus ex Augustino ea quæ nostrum ad institutum pertinebant, eius literis expressa retulimus. Neque verò eam duntaxat animi partem quæ libidinis æstu inardescit, sentire homo cœpit insolentiũs rebellantem: verùm alias quoque facultates refractarias & oblectatrices pati, ut se totum sibi grauem, & Deo experiretur esse contrarium. Sic enim Propheta que-

lib 7.

rebatur: Cur me posuisti contrarium tibi, & factus

sum mihimetipſi grauis? Nam neque illa cogitãdi vis quæ imaginatio dicitur, pro rationis arbitrio ac nutu regitur: Neque ille appetitus qui ira ferueſcit, aut non commouetur cùm id nolumus, aut cùm velimus, continuo conqueſcit. Quis non interdum volaticis cogitationibus & quò nolit rapiatur? vel tum ſæpe maxime, cùm ad piã meditationes ſeſe mens collegerit ac compoſuerit, occurrit vaniſſimorum turba phantaſmatum, è quibus ægrè ſe euoluere atque expedire queat. Abiguntur veluti quadam attentionis manu, & nihilominus vel inſiſtunt pertinaciùs, vel mox iterum prouunt cateruati, mentemque fruſtra excludere conantem, obnubilant & obturbant. Non enim in poſtate noſtra eſt cor noſtrum, inquit Ambroſius, & noſtræ cogitationes: quæ improuiſè offuſæ mentem animumque confundunt, atque aliò trahunt quàm tu propoſueris: ad ſæcularia reuocant, mūdã inſerunt, voluptuaria ingerunt, illecebrosa intexunt: ipſoque in tempore quo eleuare mentem paramus, inſeris inaniſus cogitationibus, ad terrena plerunque deiſcimus. Cùm autem ex innata prauitate, velimus nolimus, obſtrepant: tum ex ipſa conſuetudine magis inualeſcunt recurruntque frequentius. Id quod experiebatur Auguſtinus, nec ſine graui moleſtia patiebatur, cuius ea in ipſius Confellionum libris, inter cæteras confellio eſt: Clamabat violenter cor meum aduerſus omnia phantaſmata, & hoc vno ic̄tu conabar abigere circumuolantem turbam immunditiæ ab acie mentis meæ, & vix demota in ic̄tu oculi, ecce cõglobata rurus aderat, & iruebat in aſpectum meum & obnubilabat eum. Veriſſimè proinde ſcripſit D. Gregorius, ipſam culpæ contrarietatem, qua diuinis legibus aduerſatur, factam eſſe homini pondus pœnæ: vt corruptioni, inquit, ſue mālè liber ſeruiat, qui bene ſeruus, incorruptionis libertate gaudebat.

Cap. 1. lib. de ſeçã ſeculi.

Lib. 7. Confell. cap. 1.

Lib. 8. Moral. cap. 22.

CAPVT V.

Primos homines ante lapſum omni perturbatione vitioſoq; motu caruiſſe.

IN illo quippe feliciffimæ ſuauiſſimæque libertatis ſtatu, vt nihil erat in optimè temperato corpore quod languorem afferre, aut dolorem facere, aut generare morbum poſſet: ita nihil erat in animo ſano optimeque conſtituto, quod vel præter rationis imperium moueretur, aut quod illius quidem excitatum iuſſu, poſt tamen tanquam arbitrato ſuo iam inoleſceret, mentisque tranquilliffimum ſtatum perturbaret: aut quod bene cupientè facere, in diuerſum traheret atque impelleret. Sicut enim in corpore ſanitas eſt temperies bona, & qualitatũ quatuor velut concordia quædam & cõmoderatio: ita animus tum demum conuenienti ſibi fruitur ſanitate, cùm inter ipſas eius facultates concordia coaleſcit. Quas vbi pugnare inter ſe luçtarique contigerit, tum in perturbato ſic animo, vt in corpore, ſanitas eſſe non poteſt. Sanitatem enim animorum poſitam in tranquillitate quadam conſtantiaque, ipſi quoque philoſophi rectiſſimè cenſuerunt; omnesque perturbationes, morbos appellarunt. Nam cùm omnis perturbatio, ſit animi motus, aut rationis expertus, aut rationem aſpernans, aut rationi non obediens: quomodo qui ſic afficiatur animus, nõ in morbo aliquo eſſe videatur? Cùm igitur ita conſtitutus eſt animus, vt naturã ratioque poſtulat; tum ſanus eſt. conſtitutus autem ita eſt, cùm & mens ſubiicitur Deo, & ipſi menti, cui totius animi regnum à natura tributum eſt, inferiora parèt, nulloq; turbido motu aduerſantur. Quoniam igitur hominem rectum, ſicuti ſcriptum eſt, eoque ipſo integrum & ſanum, omnium opifex Deus condidit: perſpicuum eſt pacata in illo hæc tràquillaque fuiſſe, nec illam exiſtiſſe in eo rixam

Lib. 3. Tuſcul.

partium, de qua scriptum est, Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Et enim si propterea se conqueritur Apostolus infelicem esse, quod auersos à ratione & lege Dei carnis motus pateretur, procul sit ut in tantæ beatitudinis loco, fuisse tantum infelicitatis opinemur. Nec igitur illæ tum fuissent affectiones, quæ ex mali vel impendentis vel præsentis opinione oriuntur. velut timor & dolor, seu tristitia. quis enim dici beatus possit qui vel mali timeat aliquid quod impendere sibi putet, aut in mœrore sit, quia id sibi accidisse arbitretur? Quid autem vel timere vel dolere poterant illi homines, inquit Augustinus, in tantorû tanta affluentiâ bonorû, ubi nec mors metuebatur, nec vlla corporis mala valetudo: nec inerat quicquã, quod carnẽ animũ ve feliciter viuentis offenderet? Est aliud affectionum genus, quæ boni opinionẽ sequũtur. Altera lætitiã & gaudiũ ex opinione boni præsentis: Altera spes & cupiditas ex boni absentis opinione. Quãquam autẽ ille status iis omnino caruisset affectionibus, quæ opinione mali gignuntur: non quoddã vitiosos malõsve faciant, cùm nec Christus Dominus earum fuerit expers; sed quia faciãt miseros, nec beatitudinis sedi conueniant: tamen posteriores quæ ex opinatis oriuntur bonis, saltem non turbidas & immoderatas, non exclusisset. Non enim illic elata illa & gestiens futilisquẽ lætitiã fuisset, aut libido & ardens auidaquẽ cupiditas, quæ sit immoderata appetitio opinati magni boni, rationi non obtemperans. Sed neque amor & gaudium propter tantorum præsentiam bonorum, neque desiderium & spes, propter tranquillam expectationem bonorum æternorum, ab illius sede felicitatis abfuisset. Fuisset enim cõiugum inter ipsos fida sinceraquẽ societas, & amor mutus, atque ex hoc amore grande gaudium, inquit Augustinus, non desistere quod amabatur ad fruendum. Nam

vti om-

vti omnino non dolere, tantisper dum hoc in loco calamitatum plenissimo versamur, non sine magna mercede contingit immanitatis in animo, ac stuporis in corpore: ita in illo tantæ felicitatis loco non gaudere, quis nisi stupidus, magni stuporis esse negauerit? Illa igitur quæ Græcè apathia dicitur, quæ si Latine posset, impossibilitas diceretur, si sic intelligenda est, ut sine his affectionibus viuatur, quæ contra rationem accidunt mentemque perturbant; bona planè & maxime optanda est, vitæque illius erat. Verùm si illa apathia dicenda est, cùm animum omnino contingere non potest vllus affectus, quis hunc stuporem non iudicet omnibus vitiis esse peiorem? Itaque primi illi homines si optabilem sui itatus integritatem conseruassent, non quidem affectionibus seu passionibus istis caruissent; sed eas rectas, quod esset amor ipsorum rectus, & rationi obtemperantes habuissent. At in nobis rationis iudicium sæpenumerò præueniunt, animique serenitatem tanquam exorta tempestate, densius obnubilant, quietemque perturbant: nec reprimi cõmote semel, pro voto possunt. Quod si status ille neque immoderatam ex vllius præsentia boni lætitiã, neque ardentius quã par sit, absentis boni desiderium admisisset: multo profectò minus vitiosos ex genere suo pati potuisset affectus; quos nõ modò ne effluant modumque suum excedant, regi, sed & euelli radicitus, ne omninò insint, atque frenari & cohiberi necesse est, ne ad illa rapiant quæ perpetrari lex vetat. Nullus igitur tum iracundus aut inuidus, libidinosus aut intemperans esse omnino potuisset. Nam ipsi quoque philosophi, sed ex eorum numero qui ad veritatem propius accesserunt, iram atque libidinem, vitiosas animi partes esse confessi sunt: eo quod turbide atque inordinate mouerentur ad ea etiam, quæ perpetrari sapientia non vetat: ideoque opus habere moderatrice

mente

mente atque ratione. quam partē animi tertiam, velut in arce quadam ad istas regendas perhibent collocatam: ut illa imperante, his seruientibus, possit in homine iustitia ex omni parte conseruari. hinc cum dixisset ille, *Ira furor breuis est*: adiunxit præceptum, quo iuberet omnes istiusmodi pœnitendas affectiones cohiberi. — *animum, inquit, rege, qui nisi paret,*

Imperat: hunc frenis, hunc tu compesce carena.

Hæ partes igitur, quas & in homine sapiente ac temperante fatentur esse vitiosas, in Paradiso ante peccatum vitiosæ non erant. Non enim contra rectam voluntatem ad aliquid mouebantur, ut necesse esset eas ratione tanquam frenis regētibz reuocari atque compesci. Quòd proinde nunc ita mouentur, etiam in ijs qui temperanter & iustè pieque viuunt, ut freno sit opus; non est profectò sanitas ex natura, sed languor ex culpa, magnumque argumentum amissæ libertatis. Quo magis mirandum est, à nonnullis in dubium reuocari, in quo primi hominis tranquillitas & beata illa pax constituta fuisset: vitium in eo quòd caro aduersus spiritum nihil concupisceret; an verò in eo quòd voluntas sine vlla tristitia & difficultate, intra rectę rationis limites sese contineret, quantumcunque interim caro, illa improbante atque renitente, sollicitaret in diuersum. Fieri enim in primis nullo modo potest, ut menti bene constitutæ nõ triste molestumq. sit, si pars inferior, contra rectam nõ voluntatem, vllam in rem moueatur. Quid enim aliud quàm animi distractio quædam est bellumque intestinum, si videlicet aliorsum caro concupiscendo rapiat, aliò mens reuocet meliora proponens? si carnis motibus atque insultibus mens inuicta resistat, & huius illa iudicium ac gubernacula, suis obiectis delectata, repudiet? hæc igitur non esse menti tristitia molestaque poterunt? Est præterea prauum hoc, neque cum plena rectitudine potest consistere,

stere, ut is appetitus quem rationi penitus ut seruum natiora subiecit, quasi suo pre nutu ad aliquid moueatur atque effrenatè feratur. Quis enim paterfamilias, non ita malit familiã suam esse constitutam; ut neque faciant quidquam serui aut filij eius iniussu; & si quid iussi sunt aut permissi facere, inde quoque pro ipsius arbitratu decedant? Carere igitur animus ille curuitate non potest, si appetitus inferior non ad nutum rationi ac menti obsecundat, ut neque prius quàm ratio dictauerit, neque aliud quidquam, neque vehemētius quàm illa velit, suo motu persequatur. Iam si appetitus ille propositæ voluptatis inescatus illecebris ad illicita feratur (quod in procliu sanè est, si suo quodam arbitratu ac impulsu moueatur, non audito prius acceptoque rationis imperio) potestne id non vitiosum, turpique ac detestando motu fieri? Quæ res si in homine primo contra rectam sanctamque voluntatem contigisset; quònam obscuro modo non aliqua ex eo nasci potuisset offensio? Quisquis etenim verus est diuinæ legis amator, non id modò cauet ne ab illa discedat: verum etiam quantum eniti potest id agit, ne subditus quisquam eidem aduersetur. quod si minus fuerit affectus, habere se putat unde doleat atque lamentetur. Primæ igitur illius integritatis statum si animo volumus intueri, non ignorantiam modò & errorem voluntatisque vitia debemus ab homine seiungere: verum etiam turbidos omnes animi motus, & non obtemperantes iudicio rationis affectiones. neque enim aliter recta omnia & pacata tranquillaque & læta esse poruissent: id quod ille tamen beatitudinis locus postulabat. Sed neque iustitiæ sua plenitudo omni modo constitisset, quæ cum numeris omnibus est absoluta, legi quoque mentis aduersos concupiscentiæ motus exturbat. Sic enim breuiter Augustinus: Primo- rum hominũ, inquit, prima iustitia fuit, obedire Deo: & hanc

Horat. lib. 1.
epist. 2.

Lib. 2. de peccat. mortu & remiss. cap. 22.

Lib. 2. de vita
contempl. c. 18.

& hanc in membris aduertus legem mentis suæ, legem concupiscentiæ non habere. Quid igitur, ait diuus Prosper, illo homine felicius, cui erat orbis subiectus, nullus infestus, liber animus, visibilis Deus?

CAPVT VI.

Pro diuerso hominum statu varia esse virtutum officia.

Lib. 1. in Ioan.
cap. 9.

NEQVE verò propterea quatuor illi homini de-
fuere virtutes, è quibus bonæ vitæ & honestæ
officia vniuersa ducuntur (dico Prudentiã, Iustitiã,
Fortitudinem & Temperantiã) qui non tempore, in-
quit Cyrillus, sicuti nos, prudentiã didicit: sed statim
à sui creatione perfectè sapiens fuit, ideoque omni
perfectè genere virtutum instructus. Ceterùm ex vir-
tutes non in iisdem omnino, quibus nunc officiis, ver-
sata fuissent. nam neque iniurias iustitia propulsasset;
vti nec miseris, qui nulli tunc extitissent, opitulata
fuisset misericordia; neque aut timiditatem erexisset
fortitudo, aut iracundiam mansuetudo refrenasset, aut
libidinem & ingluuiem cohibuisset temperantiã. Non
prudentia vitasset insidias: non se pietas prophanis er-
roribus obieciisset: nulla fuisset illic pœnitudo, vbi deli-
ctum nullum: aut erubescentiã & pudor, vbi nihil
turpe designaretur. Virtutum officia aut in pietate er-
ga Deum, aut in charitate erga proximos, aut in re-
gendis animi corporisque partibus, cõstituta fuissent.
In his potè omnibus exequendis, summa facultas &
iucunda facilitas affuisset: neque quicquam omnino
visum difficilius aut acerbius, quàm à diuina lege dis-
cedere. Non igitur propterea vacuus fuisset ille status
virtutibus, quòd non iisdem omni ex parte quibus
nunc officiis sese prodidissent. Sunt enim officia vir-
tutum, temporibus quæque suis congruentia. nam &
in illa beata immortalitate, quis dubitet Christi regnũ
quatuor illas commemoratas virtutes complexurum

esse?

esse? Sed & perfectiores erunt multo, & aliis functio-
nibus enitescant, quàm in hac mortali & ærumnosa
vita: vbi contra vitiorum illecebras sine intermissione
configunt, & pro ipso ancipiti, inquit Prosper, dubiæ
concertationis euentu, modò negligentes qui sibi no-
lunt obedire, destituunt; modò ad alios quibus displicent
sua peccata, vel accedunt Deo miserante, vel re-
deunt. nam ibi erit temperantiã, non vt desideria mala
vel vitia refrenet aut vincat, sed vt eos quos hîc ab in-
temperantiã impugnatione defendit, perficiat: vt ex
omni parte perfectis, præmij sui beata perceptio perfe-
ctè sufficiat. Ibi erit & animi fortitudo, non vt aliqua
mala propulset aut æquanimiter ferat, sed vt sine vllis
malis beatos fortitudo in æterno contineat. ibi erit in
omnibus perfectis perfecta iustitia, non vt inter virtu-
tes discernat & vitia, vbi nec ipsa erunt corpora vitio-
sa, sed vt perfectis præmia tribuat sempiterna. Quod
tunc fiet, quando omni concupiscentia carnali con-
sumpta, nec aduersus carnem spiritus, nec caro aduer-
sus spiritum concupiscet: sed animus Deo subiectus
cum carne sibi subiecta, in pace sempiterna regnabit,
& creatori suo in æternum feliciter adhærebit. Iam
prudentia quæ hîc quoque habetur clara, vbi in æni-
gmate quodam prudentes illuminat, qualis ibi erit vbi
veritatem perfectis, quos hîc eius inquisitio delecta-
bat, sine vllis figuris fallentibus demonstrabit? Et hæc
quidem diuus Prosper, in tertio de vita contemplatiua
libro. Quæ D. Augustinus clariùs breuiusque com-
plexus est, epistola quinquagesima secunda. Vna, in-
quit, ibi virtus erit, & id ipsum erit virtus præmiumq̃.
virtutis. quod dicit in sanctis eloquiis homo qui hoc
amat: Mihi adhærere Deo bonum est. hæc ibi erit ple-
na & sempiterna sapientia, eademque veraciter vita
iam beata. Dicatur hæc & prudentia, quia prospectif-
simè adhærebit hono quod nõ amittatur; & fortitudo,
quia

Lib. 3. de vita
contempl. c. 33.

quia firmissimè adhærebit bono, vnde non auellatur: & temperantia, quia castissimè adhærebit bono, vbi iam non corrumpatur: & iustitia, quia rectissimè adhærebit bono, cui meritò subijciatur. hæc Augustinus, Quæ cum ita se habeant, falli valde videntur, qui nullam sine vitiorum fibris virtutem intelligunt. Ideo quæ & ipsa vitia, vt virtutes esse tum possent, ad hominis institutionem primam referre non dubitant. vt enim aliis in rebus grauitur, ita hîc quoque permultum Laetantius errat, scribens in hunc modum: Deus cum hominem primum fingeret, mirabili prudètia ingenerauit ei prius istas animi commotiones, vt posset capere virtutem, sicut terra culturam. posuit quæ materiam vitiorum in affectibus, virtutis in vitiis: quæ profectò aut nulla erit, aut in vsu esse non poterit, si desint ea per quæ vis eius aut appareat aut constet. Vbi ergo vitia non sunt, nec virtuti locum esse: sicut nec victoriæ quidem, vbi aduersarius non sit. Dicit idem in Epitome diuinarum Institutionum affectus, quos etiam tres furias vocat, auaritiã, libidinem, iram, à natura nobis insitos. His vitiis, inquit, resistendum est: hæc eruendæ stirpes, vt virtutes feri possint. hos affectus Stoici amputandos, Peripatetici temperandos putant. Neutrorum rectè: quia neque detrahi possunt, si quidem naturã insiti, habent certam magnam quæ rationem; neque minui: quoniã si mala sunt, carendum est etiam temperatis & mediocribus; si bona, integris vtendum est. Nos verò neque detrahendos, neque minuendos esse dicimus. non enim per se mala sunt, quæ Deus homini rationabiliter insiuit. Sic ille. Qui tamen hæc eadem antea, vitia vocauerat, quæ non possunt non esse per se mala: qui antea nominarat furias, quæ in animis, inquit, hominum tantas perturbationes ciunt, & interdum cogunt ita delinquere, vt nec famæ nec periculi sui respectum aut curam habere permittant.

An igitur

An igitur ea per se vitiosa non sunt, quæ suo motu impulsuque cogant delinquere? An sine istiusmodi vitiorum furis habitare virtus in hominũ animis non poterit? Imò verò, inquam, absoluta integritas, perfectaq. virtus, qualem insiuit homini primum Deus, cum vitiis constare non potest. multo quæ est beatus aduersarium non habere quem vincas, quàm non sine graui periculo cum hoste decertare. Et si optandum est planeque agendum, vt omni ex parte recti aliquando simus; optandum id quoque est, & huc votis omnibus, studiis ac precibus enitendũ, vt nullum vitiosum affectum, id est, nullum domesticũ hostem, cum quo decertandum sit, habeamus. Denique si rectum omni ex parte Deus cõdidit hominem (quemadmodum Scriptura diuina pronũciat) si purum prauitateque carentem, fortem, iucundum, bonis omnibus ornatum, Angelum alterum (sicuti Damascenus asseruit) profectò eundem vitiosæ omnis affectionis ac perturbationis expertem creatũ esse, dubitari nõ debet. Qui nisi sic affectus fuisset, nulla esse potuisset in felicitatis & quietis loco tranquillitas. neque enim sic vêtis sæuētibus mare turbatur, ait D. Ambrosius, vt mens humana cõtrariis cupiditatibus. Nam mare quidẽ ipsum certis temporũ vicibus fluctuare solet: at verò caro nostra semper exæstuat, sibi quæ ipsa suis affectionibus tempestas est: raro quæ. aut nunquã, à motibus procellarũ miserandis quæ. naufragiis feriat. Ideo quæ, sicuti verissima habet D. Prosperi sententia, ex B. Augustini fontibus illis vberimis deriuata; actio in hac vita pia est, Deũ colere, & in eius gratia cõtra interna vitia pugnare, ijs quæ vsque ad illicita instigantibus cogentibus ve nõ cedere; & vbi ceditur, indulgẽtiã; atque vt nõ cedatur, adiutoriũ Dei affectu religiosæ pietatis exposcere. In Paradiso autẽ si nemo peccasset, nõ esset actio pietatis expugnare vitia; quia felicitatis permãsisset, vitia nõ habere.

K

CAPVT

Lib. 6. de vero
cultu, cap. 15.Lib. 2. cap. 12.
de orthodoxa
fide.Lib. 1. de
terpellat. c. 76.

Sentent. 294.

*Dissoluitur argumentum quo doceri posse videatur, primum
- homines non omni vitioso carnis motu caruisse.*

QUOD si quispiam obiecerit, homines illos sua-
uissimi fructus aspectu fuisse titillatos, pelle-
ctosque ad mandati propositi transgressionem, ideoq.
concupiscentiæ eius vitio, quæ gula vulgò nominatur,
minimè caruisse: Respondendum erit, eo carnis motu
superbiam fuisse priorem, qua ad serpentis suggestio-
nem, iam tum Dei mandatum contemni cœperat:
quemadmodum ea res eruditè tractata est à D. Cyril-
lo libro tertio contra Iulianum. Faciebat, inquit, ho-
mo ille primus liberè, id est, expeditè, quod volebat,
cùm caro nondum affectionibus quæ ex corpore
oriuntur, subiecta esset. Vbi autem impedit in creato-
rem Deum, mandatum traditum contemnendo: fa-
ctum est ei initium intemperantiæ cibus interdictus.
Inde homo victus est ab improbis voluptatibus, &
corporis naturam, peccati subintravit lex: & quasi ex
contaminata corruptionis radice, germinarunt absur-
dum concupiscentiarum desideria. & ferocit post-
hac in nobis tanquam indomita bestia voluptatum
amor, qui optimis quibusque desideriis oblectatur.
Er infra, declarans hoc ipsum ad deplorandam homi-
nis pertinere seruitutem, producto illo Pauli loco, Sci-
mus quòd lex spiritualis est, ego autem carnalis sum,
venundatus sub peccato; quod enim operor, non in-
telligo: Etenim, inquit, si quis velit tenuiter perspicere
genuinam carnis motionè, de ea loquor quæ in absur-
dissimas affectiones trahit, nō habitat in nobis bonū.
Degrauat enim humanā mentem, vt & ipsa incircum-
spectè velit facere quod illicitū est, & audeat contra li-
bertatē par cū mancipiis seruitutis subire iugū. Hactē-
nus Cyrillus, doctrinē D. Augustini cōsentanea tradēs,
quā videre licet explicatā lib. 14. de ciuit. Dei, cap. 13.

*Quòd pudendam libidinem humana natura minimè
Deus in seuisse putandus est.*

IVLIANVS tamen Pelagiani sectator & assertor er-
roris, pudendæ libidinis patrocinium (quam diui-
nus sermo carnis concupiscentiam appellare confue-
uit) tota & animi & dictionis contentione suscipiens,
conatus est eam in Paradiso collocare, sine qua prolem
procreari posse negaret: nec erubuit eam vt bonum na-
turale, collaudare; si vituperaretur, damnari nuptias,
affirmare. At bonum esse naturale quā potest, quod
frenandum reprimendumque sit ne ad illicita rapiat?
contra quod, pudicitia sit armis & virtute pugnan-
dum? Libido namque per sese indomita, semperque
effrenatè rationis oblectans imperio, flagitiorum in
turpitudinem ac cœnum præcipitaret, nisi virtutis ro-
bore, cæcus illius impetus frangeretur. Quid enim hæc
agit concupiscentia, continētium in carne sanctorum,
nisi desideria peccādi, quibus ij qui non consentiunt,
exercent (vt ipse quoque Iulianus fatebatur) gloriosa
certamina? in his certè qui piam continētiam professi
sunt, nec ipsum quidem connubij desiderium quod
gignit, potest nō esse vitiosum. Quid ergo in his agit,
quos contra se vigilare & pugnare compellit, ac si
quādo vel in somnis vllum ab iis suffuretur assensum,
cùm euigilauerint gemere, atque inter gemitus dicere,
Quomodo impleta est anima mea illusionibus? nam
& cùm, vt ille ait, *Sopitos deludunt somnia sensus*, nescio
quomodo castæ etiam animæ, in turpes labūtur assen-
sus: quos si altissimus imputaret, quis sine culpa viue-
ret violatæ castitatis? Ipsa proinde libido cùm suis me-
ritò motibus accusetur, nec possit non vitiosum esse
flagitium concupiscere, quod illa agitur, si malum est
fugiendumque flagitium: nemo profectò nisi incon-

*August. lib. 4.
contra Iulian.
cap. 2.*

C. Hoff. 3.

sideratissimè, videri possit eius patrocinium tanquam naturalis boni, suscepisse. Quam beatus Apostolus nunquam inter vitia numeraret, neque inter membra veteris hominis, quem exuere debeamus, collocaret; nisi esset suapte naturâ vitiosa. Quid? quòd eandem, vti & cætera vitia, mortificare iubet exterminareque quoad possumus ex animis nostris? Mortificate, inquit, membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem. hoc autè hominibus Christianis & piè quoque viuentibus dicitur: in quibus etfi commemorata vitia non dominantur, neque vllam habeant, cum eis non consentitur, peccati rationem: tamen hærent adhuc, vt languor, in carne sanctorum: & quanquam non ita viuant vt animæ mortem afferant, tamen quasi moribûda membra, moribus adhuc suis viuenti spiritui molesta sunt. quòd sit vt magis magisque mortificanda sint, ne rei huius cura neglecta, celeriter iterû ad animæ perniciem reuiuiscant. Quod autem naturæ bonum sit, id nemo, nisi naturæ fuerit inimicus, persequendum, nemo opprimendû ac mortificandû putet. Est præterea etiam atque etiam considerandum, quis sit quo cum libido vincat, quis item quo cum victa & refrenata succumbat. Nonne victrix libido diabolus quoque reddidit ipsa victorem? Et si superata eadem sit, an non protinus eius inceptor diabolus & adiutor, victus confususque discedit? Vnde haud difficulter apparet, eum quidem quem libido vicerit, & à quo illa vincitur, hostem: at eum quo vincit & vincitur, auctorem atque inspiratorem eius esse. Quin & hoc ipsum quòd pudenda & est & dicitur, magnum præbet argumentum nequaquam insitam ab auctore naturæ, sed inobedientiæ vitio introductam esse. Neque enim diuinum opus erubescendum, sed prædicandû & præ nobis ferendû est: nec omnino fas fuit, vt erubesceret creatura de sui opere conditoris.

toris. Atqui tantus hic pudor est, tantumque semper valuit ad illum etiam inter cõiuges motum contegendum, vt cum Diogenes Cynicus sectâ nobilitare suam insigni quadam impudentia vellet, qua videlicet nec in vico, nec vlla in platea, coniugalis concubitus præsentium oculos declinaret: non multo post tamen id fieri deserit à Cynicis. maiorem enim vim naturalis ille pudor habuit ad erubescendum, quàm philosophi eiusdemque magistri auctoritas, ad impudentissimam canum imitationem. Et nunc videmus, inquit Augustinus, adhuc philosophos Cynicos. hi enim sunt qui non solum amiciuntur pallio, verum etiam clauam ferunt, nemo tamen hoc eorum audet facere. quod si aliqui ausi essent, vt non dicam ictibus lapidantium, saltem conspuentium saluius obruerentur. Pudet igitur huius libidinis humanam sine vlla dubitatione naturam, & meritò pudet, propterea quòd in eius inobedientia, quæ genitalia membra corporis, arbitrio voluntatis erepta, solis suis motibus subdidit, satis ostenditur, & quid non sit ab auctore naturæ nostro generi datum, & quid sit primæ hominis inobedientiæ iusto iudicio retributum. hoc autem in ea maximè corporis humani parte sic euenit, qua natura ipsa propagatur, quæ magno illo in deterius esse mutata peccato. Nec verò dici patitur Augustinus, ipsam quidem libidinem non esse malam per se; sed eius excessum & abusum, sicuti & rerum cæterarum, esse damnandum. Quando enim excedit illa suos limites, nisi tum cum eius impulsibus ac desiderijs ceditur? mala proinde est & quando non ceditur, quòd ei tanquam malo resistatur, ne bonum castitatis intereat. Nemo igitur eam tanquam moderatam, aliquando probare debet. Tu enim modû adhibes vitio? An vitium nullum est, non parere rationi? Rectissimè hæc ille dixit, cuius etiam ista sunt: Qui modum apponit vitii, is partem susci-

Lib. 14. de ciuitate. cap. 20. & lib. 1. de nuptiis. & concupiscentia. cap. 22.

Cicero lib. 4. Tuscul.

pit vitiorum. Ac rursus, quæ crescentia pernicioſa sunt, eadem sunt vitioſa nascentia. omninoque libido, quòd faciat siue ad licitum, siue ad illicitum, indifferenter ardescere, vel ob hoc vitioſa malaque esse censenda est. Porrò ciborum voluptates si cum ista conferantur, reperiuntur profectò tolerabiles: quòd vis earum tanta non sit ut nos à cogitationibus ad sapientiam pertinentibus abrumpant atque deiciant, si in eis simus mentis delectatione suspensi. magnis quippe de rebus & inter epulas sæpenumero colloquimur: ac si quid nosse vel memoria repetere volumus, id summa etiam cum intentione cogitationis accipimus. Illa verò & cum ad eam non eius præcipuè gratia explendæ, sed causa propagandæ prolis acceditur; quem finit in opere suo vel sapientiæ quidquam tractare, vel aliud etiam propemodum quidlibet cogitare? Id quod gentilis quoque philosophus agnouit, cum eius motum, ut quisque est maximus, ita inimicissimum diceret esse philosophiæ. Congruere enim, inquit, cum cogitatione, magna voluptas corporis non potest. Quis enim cum vratur voluptate ea qua nulla potest maior esse, attendere animo, inire ratione, cogitare omnino quidquam potest? Quis tantus est gurgis, qui dies & noctes sine vlla minimi temporis intermissione, velit ita moueri suos sensus, ut mouentur in summis voluptatibus? Quis autem bona mente præditus, non mallet nullas omnino nobis à natura voluptates datas? Simile quiddam apud eundem auctorem, Archytæ Tarentini habet oratio. Nullam enim capitaliorem pestem, quam corporis voluptatem, hominibus dicebat à natura datam. Cuius voluptatis auida libidines, temere & effrenatè ad potiendum incitarentur. Cumque homini siue natura, siue quis Deus, nihil mente præstabilius dedisset: huic diuino muneri ac dono nihil tam esse inimicum, quam voluptatem. Nec enim libidine

domi-

dominante, temperantiæ locum esse omnino; nec in voluptatis regno, virtutem posse consistere. quod quo magis intelligi posset, fingere animo aliquem inbebat, tanta incitatu voluptate corporis, quanta percipi posset maxima, nemini censebat fore dubium, quin tamdiu dum ita gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione consequi posset. quocirca nihil tam detestabile tamque pestiferum, quam voluptatem. siquidem ea cum maior esset atque longior, omne animi lumen exstingueret. Hæc illi dixerunt, qui nihil de primorum hominum vita, nihil de Paradisi felicitate, sicut nec de corporis resurrectione, crediderunt. Qui autem hæc credunt, quis ex iis amicus sapientiæ sanctorumque gaudiorum, coniugalem agens vitam, & sicut Apostolus monuit, sciens possidere vas suum in sanctificatione & honore, nõ in morbo desiderij, sicut gentes quæ Deum ignorant: Quis, inquam, horum non mallet, si posset, sine hac libidine filios procreare? ut etiam in hoc serendæ prolis officio, sic eius menti ea quæ ad hoc opus creata sunt, quemadmodum cætera quæque suis ordinibus distributa membra seruirent: nutu voluntatis acta, non æstu libidinis incitata? Sed alius tamen exoritur, qui neget se illos audire velle, qui dicant fœdam esse illam pruriginem & Veneris stimulos. Quid enim, inquit, tam dissimile veri? in cæteris animantibus vnde hi stimuli? an à natura? an à peccato? huic respondeat Augustinus, Propterea in pecoribus hoc malum non esse, quòd in iis aduersus spiritum non concupiscat, sed eorum potiùs oblectet spiritum. Non enim rationem habent, qua libidines subiugent superando, fatigentve pugnando. bonum enim est pecoris, inquit, cuius sine vlla resistentia delectat spiritum; malum autem hominis, quo concupiscit aduersus spiritum. Quocirca nec cum fame debet aut siti vel cum aliis nostris molestiis comparari, quæ ex indi-

K 4

gentia

Lib. 4. contra
Julian. cap. 2.
§ 14.

Plato apud
Ciceronem in
Hortensio.

In libro de
senectate.

Erasmus in
Encom. matris.

Lib. 4. contra
Julian. cap. 5.
§ 14. 12

gentia reficiendi aut purgandi aut curandi corporis oriuntur: quibus subueniendum est, ne lædatur ac debilitetur aut interitu concidat. tantum autem abest ut intereat humanum corpus si libidini non acquiescat, ut reddatur continentia firmitus, succulentius, longæviusque. Soluit enim Venus corpora, viresque eneruat ac frangit. ex quo illud est verè dictum: Libidiosa & inreperans adolescètia, effœrum corpus tradit senectuti. Et quæ confectio valetudinis, quæ deformatio coloris est ac membrorum, quæ non euocetur atque eliciatur huius generis voluptate? Non quòd hoc parcioze Veneris vsu putem fieri, præsertim intra conjugales pudicitiaè fines, vbi quæritur prolis præcipuè bonum: sed quòd immoderata per sese libido faciliè transilit bonæ valetudinis limites: facilius ut fuerit ea omnino non vti, quàm postquam frena laxaveris, modum aliquem conseruare. Discernenda sunt igitur mala quæ patientiæ viribus sustinemus, ab iis malis quæ virtute continentiaè refrenamus. famem, sitim, paupertatem, lassitudinem, languorem, morbos varios atque multiplices patientiæ robore perferimus: quorum malorum tametsi quidam pondere pressi, nec ea præ languore animi sustinentes, perditè faciunt: non eiusmodi sunt tamen, ut suapte natura ad malefaciendum impellant. vnde huius generis mala in Christo Domino cum summa Iustitiæ perfectione consistere potuerunt. At libido malum est coërcendum atque frenandum; nullumque est aut scelus aut facinus magnum, ad quod non hæc cupiditas impellat. Auida namque, temere & effrenatè ad potiendum incitatur. Cum proinde quidam ex Sophocle iam ætate confecto quæreret, vtereturne rebus Venereis? Dij meliora, inquit; libenter verò isthinc, tanquam à domino agresti ac furioso, profugi. Sibi gratulabatur seni, quòd dominatæ libidinis tanquam furiosi cuiusdam heri, iam

Cicero libro de senectute.

Cicero libro de senectute.

esset

esset ætatis beneficio liberatus. Quo igitur & sapientes carere cupiunt, & senes liberatos se, esse lætantur, id puto malum non in Paradiso collocandum, neque diuino operi atque institutioni tribuendum esse; verum ad inobedientiæ potiùs iustissimam pœnam pertinere. Sed homo intelligens & acutus Iulianus, propterea iustam esse dicebat oportere libidinem, & laudis præconio prædicandam, si eum qui Deo non obediuit, hæc frenandæ libidinis rebellio puniuisset. Cui respondens Augustinus, Si prudenter hæc sciperes, inquit, profectò esse iniquitatem videres, qua pars inferior hominis repugnat superiori atque meliori: & tamen iustè iniquum suæ carnis punitum iniquitate, sicut est rex iniquus maligni spiritus iniquitate punitus.

Lib. 5. contra Iulian. cap. 3.

CAPVT IX.

Non propterea nuptias damnari, quia libido vituperetur.

CÆTERVM cum hæc de libidinis malo dicimus, nuptias fortassis damnare videmur; sed iis qui nesciunt adhærentia rebus vitia ab ipsis rerum naturis discernere: velut si reficiendi corporis gratia cibum sumere, propterea existimaretur improbari, quòd vitioso gulæ motu plerumque à comedentibus peccari videtur. Vt enim huic officio sustentandis corporibus necessàrio nimium sæpe crapula vicina est; nec tamen damnatur propriæ corporis quæ edendo fit bibendoque, refectio; quia aliud est quod auctor naturæ Deus instituit, aliud quod nostro vitio in rem bene sapienterque institutam, irrepit: ita generandi officium, quo non singulis corporibus sustentandis, sed generi conseruando propagandoque consulitur, non propterea damnari censendū est, quòd illa quæ huic post lapsum adhæsit libido damnetur. Namque & hic aliud est quod ad procreandam prolem sapientissimè Deus instituit; aliud quod per inobedientiam primorum pa-

K 5

rentum

rentum inuasit, diuinumque maculauit opus. Neque enim & angelicam in dæmonibus spiritualemque naturam damnari quisquam putat qui bona mente præditus sit, propterea quòd ita vitii deprauata dicatur, vt se iam non possit ad iustitiæ conuertere sanitatem. Bonas igitur esse nuptias modis omnibus asserimus; sed iis in bonis, quæ propria sunt nuptiarum. Atque in illis quod fecit Deus ita laudamus; vt tamen quod in eas homo transmisit, vituperemus. Nuptiarum autem propria sunt tria hæc, generandi ordinatio, fides pudicitiae, connubij sacramentum. quorù vnumquodque diuinis literis comprobatum commendatumque reperitur. Namque propter ordinationem generandi scriptum est: Volo iuniores nubere, filios procreare, matres familias esse, propter fidem pudicitiae: Vxor nõ habet potestatem corporis sui, sed vir: similiter & vir non habet potestatem corporis sui, sed mulier. Propter Coniugij sacramentum illud est in Euangelio, Quod Deus coniunxit homo non separet. Propter hæc igitur omnia sunt (quemadmodum Apostolus ait) Nuptiæ honorabiles in omnibus, & thorus immaculatus. ac tantum abest vt damnari debeant propter libidinis ad hærens malum, vt de hoc ipso malo quo nisi ratio nihil vti rectè potest, plurimum etiam faciãt boni. Ad procreandam enim prolem sacri Baptismi lauacro regenerandam, à sanctis coniugibus maritalis illa diuinitus instituta congressio suscipitur: sicuti sanè & propterea causam fieri debere matrimoniales olim inter Romanos tabulæ decreuerunt. Quæ tametsi propter corpus mortis huius quod nondum est resurrectione renouatum, sine erubescendo quodam motu peragi non possit; per seipsam tamen & suapte natura bona est, nec culpæ quicquam ex illo motu contrahit, quando ad illius boni quod diximus tantummodo finem, ratione dominãte, non prævalente concupiscen-

tia

tia carnis, ordinatur. Sicut igitur cum quispiam torto aut alioqui vitiato pede quòd vult peruenit claudicando, nec propter claudicationis malum mala est ipsa peruentio, nec propter bonum peruentio est laudanda claudicatio: ita nec propter libidinis malum nuptias condemnare, nec propter nuptiarum bonum libidinem laudare debemus. verùm quòd is modò est rerum status, eaque mortaliũ conditio, vt simul agantur concubitus & libido, tanquam peruentio & claudicatio, neque facillè aliter quàm in statu hoc suo ab hominibus natura humana concipitur, perinde atque si nemo progredi vitii esset nisi qui claudicaret: eo fit vt cum libido reprehenditur, etiam nuptialis concubitus licitus & honestus reprehendi putetur, ab iis qui nolunt discernere ista vel nesciunt. Quo in numero fuere Pelagiani, à quibus Orthodoxi, & originals assertione peccati, Catholice fidei propugnatores, Manichæi per calumniam dicebantur: propterea quòd iudicarent vel certè fingerent necesse esse, vt ab iis natura hominis tanquam mala damnetur, à quibus ea dicerentur esse mala, cum quibus & nascerentur omnes, & crescerent, quæque tanta inhærescerent firmitate, vt neque summa excuti possent contentione virtutis. Sed sicuti bonus est per seipsum intellectus, etsi in nemine fortassis vel studiosissimo, careat ignorantia veri: & bona suapte natura voluntas siue appetendi facultas, etiamsi quantumlibet expedire se conetur, non sit expers concupiscentiæ: ita omnino bonus est per seipsum concubitus cõiugalis, nec ad eius culpam vituperationemque, pertinet libidinis vitium, quamuis eo iam carere non possit. Si autem peccato non esset generis nostri dehonestata natura, carerent prorsus eo morbo nuptiæ. Cur enim morbum non appellem, ex quo nõ valemus vt volumus? Libido pudenda, inquit Augustinus, non moueat membra, nisi quando volu-

mus,

Libro 2. de
nupt. & con-
cupisc. cap. 23.

mus, & non est morbus. hoc igitur morbo nuptiæ in summa Paradisi sanitate & integritate, nullo modo laborassent: sed sicut ad ambulandum pedes, ad operandum manus, linguam ad loquendum, nunc & in sua corruptione libera ratio mouet: ita tunc quoque genitalia membra non libidinis æstus, sed voluntatis nutus mouisset. Quod si qui propterea non putent esse credendum, quia tantæ modò puritatis exemplum rebus in humanis exstare nullum videatur; non credant ijdem oportet, virum illum qui primus omnium fuit, non de viro, sed de luto procreatum, & ei feminam de latere dormientis excitatam. Quid enim horum iam simile? Sed sicuti hæc facta sine exemplo credunt, quia diuinis literis narrantibus asseruntur: ita illi quoque rei fidem ab his conciliare debet, quod scriptum est de generis nostri principibus, Erant ambo nudi, & tamen non confundebantur.

CAPVT X.

Hac quoque in parte diminutum esse hominis principatum, quòd ei nec elementa mundi, vt vellet seruiant: sed quandoque etiam vsque ad interitum dominantur.

TERTIVM est amissi principatus argumentum, quòd nec ipsa quidam elementa mundi huius, eam, ad quam diuinitus instituta sunt, exhibeant homini per omnia seruitutem. Etenim creatus fuerat homo, condito iam orbe; non vt quasi vilissimus vltimum in locum videretur esse reiectus: verùm vt tanquam princeps ac dominus præparatū sibi in regnum ac domicilium introduceretur: vbi subservirēt ad nutum vniuersa, & subiecta quæque res promptissimè suos vsus cum expeterentur exhibens, congruum præberet domino pro suæ naturæ gradu famulatum. Faciamus, ait Deus, hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cæli

cæli, & bestiiis, vniuersæque terræ. Quem ad locum diuus Chrysofostomus, tributam homini dignitatem admiratus, Vidisti, inquit, inenarrabilem potestatem? *Homil. 10. in cap. 2. Genes.* vidisti principatus magnitudinem? vidisti omnia sub huius potestatem reducta? Nihil enim mediocre de rationali hoc animante cogitandum est. Sed cogita honoris magnitudinem, & Domini erga illud beneuolentiam: Omnia enim subiecit sub pedibus eius, *Psal. 8.* oues & boues vniuersas, & omnia pecora campi. Qui producit in montibus fœnum, & herbam seruituti hominum. Ac seruiunt quidem omnia nunc quoque; sed vt principatum intelligas mutilatum esse, rerum subiectarum, hoc est, cæli, terræ, ignis, aëris, aquæ, necessaria frequenter officia subtrahuntur. Sæpe negat desideratos imbres cælum: pro calore, frigus: pro frigore, calorem & æstus subministrat. non licet puro semper aëro frui, neque ex eo corporibus optata salubritas pro voto colligitur. Quid terra? nonne & culta & stercoreata, ex iis etiam quæ suscepit seminibus, fructum ferre recusat?

*Est & frumenti labor additus, vt mala culmos
Esset rubigo, segnissq; horreret in aruis
Carduus, intereunt segetes, subit aspera silua,
Lappæq; tribuliq; interq; nitentia culta
Infelix lolium & steriles dominantur auena.*

Lib. 2. Georg.

Fallit sæpe quoque putata & florens vitis, atque expectata, vt faceret vuas, ingerit labruscas. *Quin & maturis,* vt ille ait, *metuendus iuppiter vuis.* Sic inanis quotidie redditur agricolæ labor, & spes coloni suo fraudatur euentu:

*Quod nisi & assiduis terram insectabere rastris,
Et sonitu terrebis aues, & ruris opaci
Falce preme vmbas, votisq; vocaueris imbrem:
Heu magnum alterius frustra expectabis acervum,
Concussaq; famem in siluis solabere quercu.*

Lib. 1. Georg.

Quid

Quid iam ignis? quid aquæ commemorem elementa? his enim manifestum est & carere nos frequenter inuitos, & ubi non defuerint, in cassum adhiberi. Nobis igitur hæc pro arbitrato non seruiunt, quoniam Deo nostro ac Domino nos ipsi non seruiamus. hæc Demetrianum increpās Cyprianus, quod is Christianis imputaret ruinam, decreta diminutionesque bonorum; Quereris, inquit, quod minus nunc tibi vberes fontes & auræ salubres, frequens pluuia & fertilis terra obsequium præbeat: quod non ita vtilitatibus tuis & voluptatibus elementa deseruiant. Tu enim Deo seruis, per quem tibi cuncta deseruiunt? tu famularis illi, cuius nutu tibi vniuersa famulantur? Et quoniam hæc pietas qua Deo seruitur, magis magisque progressu temporum languescit, debilitari quoque cernimus in rebus naturæ vim, mundumque ipsum quodammodo conlescere, & occasum sui rerum labentium probatione testari. Vnde sunt illa apud eundem Cyprianum: Non hieme nutriendis seminibus, tanta imbrium copia est: non frugibus æstate torrendis, solita flagrantia est: nec sic verna de temperie lata læta sunt: nec aded arboreis foetibus, autumnia foecunda. Minus de effossis & fatigatis motibus eruuntur marmorum crustæ, minus argenti & auri opes suggerunt exhausta iam metalla & pauperes venæ: breuiatur in dies singulos & decrescit ac deficit in agris agricola, in mari nauta, miles in castris, innocentia in foro, iustitia in iudicio, in amicitiiis concordia, in artibus peritia, in moribus disciplina. habes igitur quemadmodum non pro voto, mortalium vñibus, mundi huius elementa deseruiant. Quæ, si recti permansissemus, principatumque nobis attributum, pia tub Dei legibus obedientia tenuissemus; suorum fructus seminum, expectataque messis cōmoda, nullo nostro labore fatigata, nullo sudore quasi coacta, promptissimè præbuisent.

Submi-

In tractatu
contra Demetrianum.

Subministrasset, vt quidam ait, Terra, cibum pueris; vestem, vapor: herba, cubile. Aureum illud seculum extitisse, & gentilis præ se ferebat opinio. quam his verbis expressam Poëta reliquit:

Ante Iouem nulli subigebant arua coloni,
Ne signare quidem aut partiri limite campum
Fas erat. in medium querebant, ipsaq; tellus
Omnia liberius nullo poscente ferebat.
Ille malum virus serpentibus addidit atris,
Prædarioq; lupos insit, pontumq; moueri;
Mellaq; decussit foliis, ignemq; remouit,
Et passim riuus currentia vina repressit,
Vt varias, vsus meditando, extunderet artes
Paulatim, & sulcis frumenti quæreretur herbam,
Et silicis venis abstrusum excuderet ignem.

Tandemque concludens:

Tum varia venere artes, labor omnia vincit
Improbis, & duris vrgens in rebus egestas.

Itaque Poëtæ veram causam immutati rerum status ignorantes, aliquam in reperiendarum artium vtilitate finxerunt: quibus artibus nihil fuisset opus, nisi egestas inuasisset, vt esset (quemadmodum ille inquit) Artis magister, venter. Iam verò quantum & ad perniciem afferendam sæpenumero mortalibus elementa præualeant, non facile est ignorare: quando alij præfocantur aquis, alij icti fulminibus vel æstu Solis intereunt, alij terræ ruinis obruuntur, quosdam vorax flamma consumit, nonnullos pestifera corrumpit aura, denique alios succorum herbarumque letiferarum venena dirumpunt. Illud quoque frequens:

Cum modò frigoribus premimur, modò soluimur æstu,
Aère non certo, corpora languor habet.

Quid plura? Ius quasi quoddam in peccati seruos ad affligendū puniendumque accepisse elementa videntur: vt nō modò propter morbos varios, quorum sunt innu-

Verg. Georg.
lib.

Perfuit.

Quidim.

innumerabiles formæ, aut cruciatus vel indigētiarum necessitates plurimas: verumeriam propter tam multiplices eorum corporum, quorum tamen vñibus carere non possumus, iniurias, quibus vel necamur, vel torquemur, vel terremur, dictum esse meritò videatur in Psalmo: Multa flagella peccatoris: sperantem autem in Domino, misericordia circumdabit. Hinc apud Pœtam Arjadne suam fortunam deplorat eiusmodi verbis:

Ouid. epist. 10.

*Occurrunt animo pereundi mille figura,
Morsq; minus pœnæ, quàm mora mortis, habet.
Iam iam venturos aut hac aut suspicor illac,
Qui lacerent auidos viscera dente lupos.
Forſitan & fuluos tellus alit ista leones,
Quis scit an hæc seuaſ Insula Tigres habet?
Et freta dicuntur magnas expellere Phocas:
Quis vetat & gladios per latus ire meum?
Tantum ne religer dura captiua catena,
Nëve traham serua grandia pensa manu.
Si mare, si terras, porreçtaq; littora vidi;
Multa mihi terra, multa minantur aqua.
Calum restabat; timeo simulacra Deorum,
Destituor rapidis præda cibusq; feris.
Siue colunt habitantq; viri, diffidimus illis:
Externos didici læsa timere viros.*

Cap. 16.

Quoniam igitur elementis mundi huius abusa est humana prauitas ad Dei contemptum, his sese turpiter seruiendo subijciens, cum eorum excitari contemplatione debuisset ad amorem conditoris: idcirco & eorum ministerio Deus vñitur ad vñtionem impiorum, quemadmodum est in libro Sapientia scriptum: Negantes te nosse impij, per fortitudinem brachij tui flagellati sunt, nouis aquis & grandinibus & pluuiis persecutione passi, & per ignem consummati. Quod enim mirabile erat, in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat.

valebat. vindex est enim orbis iustorum. & aliquanto post: Creatura enim tibi factori deseruiens, exardescit in tormentum aduersus iniustos, & leuior fit ad beneficiendum his qui in te confidunt. Rursum eiusdem libri cap. 5. Et accipiet armaturam zelus eius, & armabit creaturam ad vñtionem inimicorum; acuet diram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos. Ibunt directè emissiones fulgurum, & tanquam à bene curuato atcu nubium exterminabuntur, & ad certum locum insilient. Et apud Ecclesiasticum: Ignis, grãdo, fames, & mors, omnia hæc ad vindictam creata sunt; bestiarum dentes & scorpj & serpentes, & romphæa vindicans in exterminium impios. In mandatis eius epulabuntur, & super terram in necessitate præparabuntur, & in temporibus suis non præterient verbum. Exequi declarat hæc omnia promptissime Dei voluntatem in peccatores, quæ nisi iusta esse non potest. neque enim fas est de eo id sentire quod ille de Ioue suo dicere non dubitauit:

*Iuppiter in multis temeraria fulmina torquet,
Qui pœnam culpa non meruere pati.
Obruerit cum tot seuis Deus aquoris vndis;
Ex illis mergi pars quota digna fuit?*

Ouid. de Ponte
lib. 3. Eleg. 6.

Nos verò iusta Dei esse iudicia didicimus confiteri, alienumque esse ab illius summa virtute, eum qui puniri nõ debeat, condemnare. Præualent igitur iustissimo Dei iussu, ac quodammodo in impios elementa dominantur, quæ iustis & integris nullum inferre nocumētum vel leue potuissent. ipsa nimitum innocentia regnãte, proculque omnem propulsante iniuriam. Cuius quidem rei specimen quoddã editum est, circa tres viros illos sanctos, Sidrac, Misac & Abdenago, quos in fornacem flammantem coniectos non attingit ignis, neque contristauit, neque vlla prorsus affecit molestia. Angelico enim ministerio præstitum est hoc

Daniel. 3.

innocentia, ut nihil in illos ignis posset, sed potius tanquam suæ virtutis oblitus, & ledere veritus, refugeret atque resileret. Neque tamen negauerim illa tum exoritura fuisse ex ipsis terræ seminibus, quæ modò venena vocantur. Sed neque imprudentia, quæ nulla fuisset, neque cuiusquam iniuria, cui nullus est cum innocentia locus, obfuisse. aliis animantibus salubrem administrassent cibum, quæ ab homine sumpta, necem afferunt. Sturni enim vescuntur Conio, hoc est, Cicuta, nec fraudi est eis: quia sui qualitate corporis, venenū succi letalis euadunt. Helleborum quoque periti ferunt escam esse Coturnicum, eo quòd naturali temperamento sui, vim pabuli nocētis enitent. Itaque sæpe quæ homini noxia sunt, aut auibus, aut feris innoxium pabulum suppeditant. sicuti & illis noxia sunt interdum ea quibus humana corpora nutriuntur. Nam panem, qui quotidiana esca nostra est, si accipiter sumat, exstinguitur, inquit Augustinus. Prospiciebat etiam Deus futurum hominis statum, eaque parauit quæ ad eius castigationem ac repressionem pertinerēt. Vnde hæc sunt apud diuum Ambrosium: Ne hoc quisquam reprehendat, quòd creator serpētes, inquit, creaturis suis, aliaque vel animantium vel herbarum genera venenata miscuerit. Nata sunt enim hæc ad correptionem nostram, non ad deformationem. nam quæ ignavis aut infirmis aut impiis offensionem atque terrori sunt, aliis vsui. Ita sunt hæc, ut pædagogii paruulis: amari vidētur, acerbi & molesti, formidabiles verberare, libertatem lasciuiēdi negant, necessitatem disciplinæ exigunt, pueriles animos, ne luxu diffluant, terrore constringunt: ideoque horum austeritate frugum euadunt, sobrii, continentes, laudī magis quàm ludo dediti. Vides quid terribilia illa flagella proficiant? Sic & serpentes flagella sunt eorum, quibus infirma animi ætas & quædam puerilis mentis est virtus: ceterum

for.

fortioribus nocere non possunt. Denique confidenti in Domino dictum est: Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Signa quoque hæc credentium dixit fore, ut serpentes manu mulceant; venena his atque omne mortiferum, etiāsi biberint, nocere non possint. Et hic quidem sit libri quarti finis: ut instituto alterius tractationis initio, quanam ratione de tam multiplicibus seruitutis nostræ malis erui queamus, deinceps consideremus.

Marci 16.

DE CHRISTIANA LIBERTATE

LIBER QVINTVS,

*Continens viam & modum recuperatæ
per Christum libertatis.*

PROOEMIUM.



I posteaquam generis nostri deplorandam funestamque seruitutem ostendimus, quinto nunc loco eius excutiendæ rationem commonstremus: ad ipsum, ut arbitror, rerum ordinem, tractationis formam ac seriem accommodauerimus. Siquidem cum in calamitosam seruitutis conditionem quispiam incidit, simul ut hoc senserit, nihil habere solet prius, nihil in votis potius, quam ut dissoluendæ eius certam possit viam rationemque providere. est autem ea nobis non nostra industria reperta, neque vlla humana vi constituta; sed inuenta diuinitus, sapientiæque ac benignitatis æternæ quadam impressione consignata: ut & in re esset

L 2
mani-

manifesta ac facili, & occulta interim ad recuperandam libertatem gratiæ virtute, mirificè omnino conduce-
ret. Quid enim Agni illius n'âsuetissima humillimaq. patientia illustrius? quid item ea ipsa, propter latentem sub ea diuinitatis virtutem maiestatemque, validius ad conterenda humanæ vincula seruitutis? Ipse enim Agnus est Dei, qui tollit peccata mundi: ipse idem Leo ille de tribu Iuda, qui draconem in omnes læuientem, inuisitata ratione deuicit: factus homo, vt mortem gustare posset, qui Deus erat, vt eam debellaret.

CAPVT I.

*Quàm idoneus nobis ad recuperandam libertatem
Dux è calo missus sit.*

NOSTRÆ igitur libertatis auctorem, Christum Dei & hominis filium, consilio diuinæ miserationis accepimus. Idoneum prorsus, per quem antiquæ captiuitatis vincula soluerentur. quodd' & placare offensum Patrem solus posset, & tyrannum generis nostri oppressorem, potentissimè debellare. Cùm enim Deus esset ex Deo verus, simulque homo innocentissimus, ipse etiam plenissimo gratiæ fonte exuberans: quid in eo desiderari potuit, vel ad pretij magnitudinem, vel ad doctrinæ salubritatem, vel ad vtilitatem exempli, vel ad vincendi virtutem, consulendique rationem? Quocirca Deus Pater, hoc ipsum nobis in nostro assertore & liberatore commendans, loquitur per Isaiam & dicit: Ecce seruus meus, suscipiam eum; electus meus, complacuit sibi in illo anima mea: dedi spiritum meum super eum. Iudicium gentibus proferet: non clamabit, neque accipiet personam: nec audietur vox eius foris. Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non exstinguet. in veritate educet iudicium, non erit tristis neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium; & legem

legem eius insulæ expectabunt. Igitur serui formam Filius Dei suscepit, in eaque vique ad probrosam mortem Patri sese obedientissimum præstitit; vt huius merito tantæ submissionis, veram nobis libertatem reuocaret. Complacuit certè sibi in illo Deus Pater: tum quod in eo displicere nihil potuerit, in quo iustitiam omnibus numeris absolutam perfectamque virtutum pulchritudinem conspexit: tum quod qui talis esset, is demum esset idoneus per quem vitium generis humani corrigeretur, ob quod in opere suo sibi Pater quodammodo displicebat. Ad docendum verò consulendumque miseris, quàm aptus futurus esset, ex consequentibus licebit agnoscere. Non erit, inquit, ad *videns.* sui ostentationem vanus declamator, sectatorique auræ popularis: non in doctrina tradenda humanis seruiet affectibus: non erit contentiosus, nec ferox: sed neque tristis erit, neque turbulentus. Quomodo enim tristis videri potuisset seu tetricus, qui captiuos libertatè, qui ægris sanitatem, qui mortuis vitam, beatamque immortalitatem ac pacem iucundissimo Evangelio nunciaret? qui beneficiis innumeris ad se confugientes afficeret, & ad largiendum ditandumque manus semper haberet exportectas? Turbulentus verò, qui iræ atque indignationis impetu huc illucque raperetur, esse non potuit; qui esset contrà mansuetissimus, omniumque iniuriarum patientissimus. Porrò homines imbecillos, & instar arundinis, à diabolo conculcatos & contractos vitiorum prauitate; hac, inquit Prophe-
ta, benignitate, & eorum salutis amore suscipiet: hac arte & industria sapientiæque tractabit, vt non modò non conterantur, pereantque grauiùs; verumetiam aligentur, foueantur, solidentur, confirmenturque; & in quibus vel exigua fidei scintilla relucebit, calorque fumabit, non modò hos non exstinguet, vt errent perniciosiùs; verumetiam maiorem in illis fidei & chari-

tatis flammam excitabit. Non enim volet mortē peccatoris, sed magis id operam dabit, vt conuertatur & viuat. Neque similis erit Antichristi pastorum, de quibus per Zachariam Prophetam scriptum est: Et pastores eorum non parcebant eis. ac rursus: Quod moritur, moriatur; & quod succiditur, succidatur: & reliqui deuorent vnusquisque carnem proximi sui. Sed erit ille omnino, qui aliās loquitur apud Prophetam: Dominus dedit mihi linguam eruditam, vt sciam sustentare eum qui lassus est verbo. & iterum: Spiritus Domini super me: Ideo vnxit me, vt prædicarem mansuetis, medelam afferrem contritis corde, promulgarem captiuis libertatem, publicarem annum beneplaciti. Hoc igitur spiritu instructus, hisque præditus nobilissimis dotibus, idoneus fuit prorsus, per quem iustitiæ libertas, peccato fugata, reduceretur, rursusque in terris, proturbato tenebrarum principe, sedem aliquam obtineret. Ne verò aut propter seueritatem nolle, aut propter imbecillitatem vincere tam sæuum aduersarium non posse putes: audi quod de eodem scriptum, illo ipso Isaia vaticinate, legitur: Dominus sicut fortis, siue vt gigas egredietur; & sicut vir præliator suscitabit zelum: vociferabitur & clamabit: contra inimicos suos confortabitur, seu conualescet. Tacui semper, silui, patiens fui: sicut parturiens loquar: Dissipabo & absorbebo simul: desertos faciam montes (superbiæ videlicet, vt fiant valles miseriarum) & colles, & omne germen eorum exsicabo: & ponam flumina in insulas, & stagna arefaciam. & educam cæcos in viam quam nesciunt: & in semitis quas ignorauerunt, ambulare eos faciam. ponam tenebras coram eis in lucem, & praua in recta. Vnde optimè perspicitur, inquit Cyrillus, quo tempore multitudo gentium in errore versabatur, cum illos Satan dissiparet atque dispergeret, & tenebris peccati quasi denigraret, a cognitioneque

Cap. II.

Isaia 50.

Isaia 61.

Ez. 42.

In illum Isaia locum.

tionēque Domini abduceret: quis tum naturā & verē vniuersorum sit Deus. succurrere illis quidem voluit, sed rem produxit, & patienter tulit; sine dubio expectans commodum tempus auxilij ferendi. Quod vbi aduenit, tunc bellum intulit his qui nos vicerunt, & ab eorum malitia abripuit, opemque attulit & seruauit, proprioque nos iugo subdidit. Itaque præterlapsis retrò temporibus, dilaceratis terræ incolis, & Satana leonis in morem omnes deuorante, Tacui, inquit; num etiam semper tacebo & sustinebo?

CAPVT II.

*Quòd ad recuperandam libertatem duplici nobis
Christus ratione consuluit.*

PRINCIPIO autem statuendum illud omnino est, Pauctorem salutis nostræ Christum, duplici nobis ratione ad libertatem recuperandam consuluisse. quarum altera in exemplo sita est, altera in sacramento: sed mox vtrumque diabolus per varias hæreses destruere conatus est. siue enim illæ naturæ humanæ veritate: n ex toto vel ex parte sustulerunt; siue detraxerunt diuinitatis proprietatem; hac via certissimè aut Sacramenti virtutem nullam reliquerunt, aut fallaci duntaxat illuserunt virtutum religionarum exemplo. Nec initio quidem nascentis religionis desuere, qui solo exemplo atque doctrina, Christum nobis profuisse putarent, velut Iudaizantes Christiani, qui Apostolorum ætate Christum recipiebant; sed vt doctorem cui crederent, non vt redemptorem cui fiderent, iustitięque & salutis auctorem, quibus Pelagiani multum similes, quid aliud magna ex parte, quam redemptionis Sacramentum violarunt? Naturæ enim vitiatæ & labefactatæ, peccati que & diaboli seruituti mancipatæ & addictæ, dum plus æquo tribuunt ad bene iustitęque viuendum, crucis virtutem euacuant: audire que

merentur, si per legem seu per naturam solius cognitione legis adiutam, est iustitia: ergo gratis Christus mortuus est. cuius morti non plus multo relinquunt, quam exempli vtilitatem ad excitandum atque inflammandum. Tolle, inquit Iulianus, exempli causam; tolleretur & pretij, quod pro nobis factus est. Cui respondens Augustinus, Non est mirum, inquit, quod solum exemplum in Christo ponis, qui praesidium gratiae, quo erat plenus, oppugnans. Nam remissionem quidem peccatorum, pretio Domini sanguinis assignabant: quam sanguini hircorum atque taurorum, magno errore, Iudaizantes ascribendam arbitrabantur. Suam autem Pelagianus Caelestius sententiam, in ea epistola quam scripsit ad Demetriadem virginem, satis expressit, cum his vitur verbis: Si ante legem, ut diximus, & multo ante Domini nostri Salvatoris aduentum, iuste quidam vixisse & sancte referantur, quanto magis post illustrationem aduentus eius, nos id posse credendum est, qui instructi per Christi gratiam, & in meliorem hominem renati sumus? qui sanguine eius expiati atque mundati, illiusque exemplo ad perfectam iustitiam incitati, meliores illis esse debemus, qui ante legem fuerunt; meliores etiam quam fuerunt sub lege? In hisce Pelagiani hominis verbis, non quiuis, opinor, facile venenum inesse suspicabitur. Sed qui priora legerit, non dubitabit eum dicere, per naturam posse nos quidem iuste & sancte vivere, sed gratia Christi adiutos, idem posse facilius: ideoque magis etiam id operam dare debere. Gratiam vero eius in eo ponit, quod non in bonos homines; cum bonos iustosque fuisse multos solius naturae vi supra docuerit; sed quod in meliores homines regeneremur. Deinde in remissione peccatorum, qua per Christi sanguinem expiamur atque mundamur. Denique, in eo quod exemplo eius ad perfectam iustitiam incitamus. Id quod & aliis eiusdem

Epistolae

Epistolae verbis, Christi volens commendare beneficium, quo vetus homo liberatur, inculcat in hunc modum: Christus, inquit, credentibus sibi, primo omnia per baptismum peccata dimittit. deinde imitatione sui, ad perfectam incitat sanctitatem; & vitiorum consuetudinem, virtutum vincit exemplo. Ecce, inquit Augustinus, quomodo vult intelligi adiuuari eos qui sub lege peccant, ut per gratiam Christi iustificati liberentur: tanquam eis non sufficiat sola lex, propter nimiam peccati consuetudinem, nisi Christi accedat non inspiratio charitatis per Spiritum sanctum, sed intuendum & imitandum in doctrina Evangelica virtutis eius exemplum. Haec igitur Pelagianorum doctrina pestilentissima fuit. Postea vero Bernardi aetate, ea quoque haeresis exorta est, duce quodam Petro Abélardo, qua assereretur Christi beneficio non esse hominum genus à diaboli potestate & tyrannide liberatum; sed solo nobis exemplo consultum esse: proptereaque duntaxat filium Dei carnem suscepisse, ut caecis mortalibus viam salutis ostenderet, ut doctrina illum minaret, ut exemplo virtutum excitaret, suique officij commonefaceret; ut denique passione & morte sua ad redamandum inuitaret atque accenderet. Quod si ita est, quid antiquis Christus non paucis profuit iustis, quos neque in natura nostra docuit, neque exemplo excitauit? Atqui & illi per gratiam Domini nostri Iesu Christi saluati sunt, sicuti & nos, teste Apostolo

Lib. de gratia Christi, c. 39.

Ahor. 15.

Serm. 1. de passione Domini.

Petro. Non enim quia secundum inscrutabile propositum sapientiae Dei, nouissimis diebus Verbum caro factum est: ideo, inquit Leo, salutaris Virginis partus, extremi tantum temporis generationibus profuit, & non se etiam in praeteritas refudit aetates. Omnis prorsus antiquitas colentium verum Deum, omnis numerus apud saecula priora sanctorum, sacra fide vixit & placuit, & neque Patriarchis, neque Prophetis,

L. 5

neque

neque cuiquam omnino sanctorū, nisi in redemptione Domini nostri Iesu Christi, salus & iustificatio fuit. sic ille. Sanè futuræ in Christo vitæ & mortis contemplatio mouerit eos qui spiritu prophético clariùs illa futura præuidebant, sicuti nos eorundem præteritorum mouet commemoratio, at simplicioribus iustis, & implicita quadam fide uiuentibus, præsertim cum & rarior & obscurior esset de venturo Messia prædicatio, quid præclaræ conuersationis & probrosissimæ mortis ignorata adhuc exempla profuerunt? non enim illius probatur opinio, ut neque diuo Bernardo probata est, qui aliquando asseruit omnes antiquos iustos, quotquot uidelicet Christi aduentum præcesserunt, tantam omnino habuisse præscientiam futurorum, ut nullus vel simplicium iustorum quicquã ignorauerit ex omnibus quæ modò nobis Euangelica pandit historia, exempli gratia, Verbum incarnatum, partum virginalem, doctrinam Saluatoris, miracula, crucem, mortem, sepulturam, descensum ad inferos, resurrectionem, & ad cælos ascensionem, sic omnino omnibus illorum temporum iustis, & apertè omnia, & distinctè singula fuisse præcognita, quemadmodum suo sunt tempore potest exhibita, & modò cognita nobis: adè ut nec iusti fuerint, nec salui sint, quibus ita clara omnia & perspicua non fuerunt. hoc enim commentum si recipitur, fatèdum est antiquis temporibus aut peraram fuisse salutem, aut non sine iniuria noui Testamenti, nimium numerosam perfectionem: omnesque perfectos, omnes exstitisse Prophetas, quotquot ab aduentu Domini retrò iusti & salui fuère. Quod si Prophetæ ipsi, & qui illustriores videbantur in illo populo, non omnes omnia æquè perspecta habuerunt, sed alij plus, alij minus, quantum cuique spiritus dabat, qui singulis diuidit prout uult: quanto magis simpliciores quique iusti, sine detrimento salutis, saluationis

tempus,

tempus, modum & ordinem nescire potuerunt, quæ tamen certa spe & fide, ut promissa fuerant, firmissimè tenuerunt? Ut enim hodieque multi in populo Christiano, vitæ æternæ seculique futuri præmium & indubitanter credunt & sperant constanter, & ardentè desiderant; formam tamen ac statum, ne cogitare quidem vel tenuiter norunt: ita iusti complures ante Saluatoris aduentum, Deum omnipotentem tenentes & diligentes, eundemque suæ salutis gratissimum promissorem, credentes in promissione fidelem, sperantes certissimum redemptorem; in hac fide & expectatione saluati sunt, tamen quando & quo modo quòve ordine salus promissa præstaretur, ignorarent. Cum igitur salutem illi consecuti sint, neque eam consequi nisi Christi beneficio potuerint (non enim est in alio ullo salus) efficitur, eum non exemplo, sed Redemptionis admirabili sacramento, eiusmodi hominibus profuisse. Quanquam & ipsa exempli utilitas fructusque omnis sine sacramenti uirtute non constet. atque ij qui sine sacramenti operatione, humilitatis mutique amoris uirtutes è solo putèt exemplo posse elici, haud secus facere uideantur, quàm si aut sine fundamento ædificare, aut super inane pingere uelint. Corruptis siquidem uitiatisque antiqui serpentis ueneno mortalibus, quamlibet clara ueritatis prædicatio, quantumuis excellens uirtutis exemplum, odor est mortis in mortem: potiusque cum detrimento salutis quàm cum iustitiæ fructu cognoscitur, si non aliud misereatur per crucis sacramentum salutis auctor, captiuorum redemptor, & nostrarum medicus animarum. Volo, inquit Bernardus, totis uisibus humilem sequi Iesum; cupio eum qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me, quibusdam brachiis uicariæ dilectionis amplecti: sed oportet me & agnum manducare Paschalem. nisi enim manducauero carnem eius, & biberò eius sanguinem,

non

Epist. 189. ad Innocentium Papam contra errores Petri Abclardæ.

non habebō vitam in memeripso. Panis enim hic est verus qui de cælo descendit, & dat vitā mundo. Itaque nec humilitatis exempla, nec charitatis insignia, præter redemptionis sacramentum sunt aliquid; vti neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. de quo sacramento loquens Apostolus, Magnum, inquit, omnino pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, iustificatū est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gētibus, creditum est in mundo, assumptum est in gloria. huius vim sacramenti, qua perditæ hominum animæ liberantur, etiā baptizati paruuli nullo suæ vocis, sed salutis testimonio, vehementer clareque confirmant. Quid enim tantillæ ætati exempla, quid doctrina conferre possit? & tamen regeneratos lauacro salutari, in regnum cælorum admitti credimus: quò nemini patere aditus possit, nisi ianuam Christus suæ crucis clauē referasset. An fortè censendum est, paruulos primi peccati contagio, in ipso statim exordio vitæ potuisse infici, & eisdem Christi merito nō posse occulta gratiæ infusione renouari? Planè quod ait Augustinus verissimum est: Sicut ille in quo omnes viuificabuntur, præterquam quòd se ad iustitiam exemplum imitantibus præbuit, dat etiā sui spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit & paruulis: sic & ille in quo omnes moriuntur, præterquam quòd eis qui præceptum Domini, volūrate transgrediuntur, imitationis exemplum est; occulta etiā tabe carnalis concupiscentiæ suæ, tabificauit in se omnes de sua stirpe venientes. Vt igitur nocuit Adam hominibus ex se se nascituris, non solo exemplo, solaque ostensione peccati, quod innumerabiles ignorarunt, multi per ætatem nec scire potuerunt: ita Christus nobis ad iustitiam & vitam non sola virtutis ostensione profuit, sed altissimo suæ mortis sacramento. Sicut enim per

vnum

vnum hominem peccatum intrauit in mūdum, ita per vnum hominem iustitia reddita est mundo: & sicut in Adā omnes moriūtur, ita & in Christo omnes viuificabuntur. Quid porrò nobis toties in diuinis literis & & apertè & in vmbis, sacrificiū crucis, hostia, reconciliatio, retium sanguinis, meritum, redemptio, aliāque eiusmodi commendantur: si præter institutionem & commonitionem exempli nihil in Christi morte spectare debeamus? Scilicet frustra atque ex errore Paulus in eo duabus præcipuè epistolis elaborat, vt vim crucis demonstreret, & ad delenda peccata quæcūque commissa sunt, & ad vires hominū infirmas recreandas, ne deinceps committantur. hoc enim agitur in ea epistola quæ scripta est ad Romanos; illud in epistola ad Hebræos. Denique inter Christi mortem & sanctorum, nihil discriminis detestanda hæresis illa constituit: quod est religionem Christianam conculcare; neque cur Christus mortuus sit & crucifixus, agnoscere. Rectè verò & Christianè prorsus Leo Pōtifex: Quāuis in conspectu Domini multorum Sanctorum pretiosa mors fuerit, inquit, nullius tamen infantis occiso propitiatio fuit mundi. accepere iusti, non dedere coronas: & de fidelium fortitudine, exempla nata sunt patientiæ, non dona iustitiæ. Singulares quippe in singulis mortes fuerunt: nec alterius quisquam debitum suo funere soluit: cū inter filios hominum solus Dominus noster Iesus exstiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, omnes sepulti, omnes etiā suscitati. Hinc opinor & Ambrosium dixisse in fine libri sexti in Lucam: Aliæ cruces nihil mihi profunt; sola crux Christi mihi utilis est; & verè utilis, per quam mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Gloria enim nostra, caput & origo beatitudinis, libertas & corona, Crux est, ait D. Chryostomus hom. 55. in Matthæū. Itaque Saluator noster (quemadmodum supradictus Pontifex

1. Timoth. 3.

Cap 9. lib. 1. de peccat. meritis & remis.

Epist. ad Leonem Augustinū

Serm. 16. de passione Domini, & sermone 14.

Pontifex alio in sermone scriptum reliquit) vniuersis in se credentibus. & sacramentum condidit & exemplum: vt vnum apprehenderent renascendo, alterum sequerentur imitando. hoc enim docet beatus Petrus Apostolus dicens: Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius; qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: qui cum malediceretur, non maledicebat; cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem iudicanti se iniuste; qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum: vt peccatis mortui, iustitiæ viuamus. Quibus verbis beatus Apostolus ita commemorauit exemplum innocentiae & patientiae Christi, vt tamen & sacramentum diligenter expresserit in eo, quod peccata ipse Christus nostra pertulerit in corpore suo super lignum; ad eum effectum, vt peccatis mortui, iustitiæ viuereamus. Ideo huius virtute sacramenti non solum datur credentibus remissio peccatorum, verum etiam incredulis fides, & sceleratis pœnitentia salutaris. Quod euidenter satis in latrone altero monstratum est, cuius vsque ad crucem ipsam scelerata vita durabat. Quæ enim istam fidem exhortatio persuasit? quæ doctrina imbuit? quis prædicator accendit? non viderat prius acta miracula, cessauerat tunc languentium curatio, cæcorum illuminatio, viuificatio mortuorum: ea ipsa quæ mox erant gerenda, non aderant. & tamen eum confitetur etiam regem, quem sui supplicij videtur esse consortem. Inde ergo oriebatur hoc donum, vnde accepit fides ipsa responsum: Hodie mecum eris in Paradiso. Dixerat enim Dominus noster, crucis mortisque suæ virtutem ostendens, Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. hoc ipsum sacramentum Dominicæ mortis, Isaïas Propheta cum sæpe alias, tum luculenter satis ostendit, vbi alloquens Filium Patris; Dedi, inquit, propitiationem tuam, id est,

Cap. 43.

tuæ

tuæ propitiationis & reconciliationis fructum Ægyptum & Æthiopiam & Saba pro te, ex quo honorabilis factus es in oculis meis & gloriosus. Ego dilexi te, & dabo homines pro te, & populos pro anima tua: noli timere, quia ego tecum sum: ab Oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni, da: & Austro, noli prohibere: affer filios meos de longinquo, & filias meas ab extremis terræ. Igitur, quemadmodum ait D. Augustinus, Christus Dominus seminato quantum per eius oportebat præsentiam Euangelio, passus est, mortuus est, resurrexit: passione ostendens, quid sustinere pro veritate; resurrectione, quid sperare in æternitate debeamus; excepta tamen, inquit, altitudine Sacramenti, qua sanguis eius fusus est in remissionem peccatorum. Sed ea primum quæ exempli sunt, exsequamur.

Cap. 49. lib.
18. de ciuitate
Dei.

CAPVT III.

Quod Deus, vt eum nosse atque exemplum eius imitari facilius possemus, seipsum visibilem conspicuumq; hominibus in homine præbuerit.

HVMANÆ infelicitatis caput, & scelerum fons atque origo, Dei vnus erat ignoratio. hæc infinitam falsorum deorum turbam, & prodigiosos inuexit cultus: atque hinc in omne vitiorum genus, cæcos mortales demersit. Initium enim fornicationis, ait Sapiens, *Sapient. 14.* est exquisitio idolorum; & adinuentio illorum, corruptio vitæ est. Sic proinde vera ignorabatur diuinitas, vt non facilis ratio suppeteret, ad eius cognitionem & cultum homines reuocandi: propterea quod corporeis iam dediti sensibus, magisque carne quam spiritu & mente viuentes, visibilibus speciem propensius sequerentur: ad spiritualia verò & diuina, tãquam læsa oculorum acie, caligarent. Cum enim in vitiorum ac voluptatum stoliditatem corruissent homines, nihilque aliud

aliud aspicerent quàm voluptates & concupiscentias carnis: in quas res animum penitus defixerant, in his diuinitatem quoque inesse censebant; ac pro varietate perturbationum, numerosos sibi finxere deos. Eo cæcitatæ humanæ vitio effectum est, vt illi quoque ipsi qui se totos ad rerum latentium inuestigationem, ex manifestarum contemplatione comparant; in opere visibili hærent, in eoque conquiescerent, dum hinc ad inuisibilem transferri debuissent opificem. de quibus à Sapiente scriptum sic est: Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei: & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui est: neque operibus attendentes, agnouerunt quis esset artifex, sed aut ignem seu spiritum, aut citatum aërem, aut gyrum stellarum, aut nimiam aquam, aut Solem, aut Lunam, rectores orbis terrarum Deos putauerunt. Quorum si specie delectati, deos putauerunt; scienti quanto speciosior his dominator eorum est. Speciei enim generator hæc omnia constituit. Aut si virtutem & opera eorum mirati sunt; intelligat ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis. A magnitudine enim speciei & creaturæ, cognoscibiliter poterit eorum creator videri. Sed tamen de his, inquit, minor est querela. Errant enim quidem, sed tamen Deum quærentes, & volentes inuenire. Etenim cum in operibus illius conuerterentur, inquirunt & persuasum habent quoniam bona sunt quæ videntur. Verùm ex altera tamen parte, est cur eis non debere videatur ignosci. Si enim tantum valuerunt vt possent æstimare sæculum; quomodo huius dominum non facilius inuenerunt? Ad hos quoque pertinebat, quod Isaias ex totius generis persona lugebat dicens: Palpauimus sicut cæci parietem, & quasi absque oculis attrectauimus. Impegimus in meridie, quasi in tenebris, & in caliginosis quasi mortui. Quid enim rerum diuinarum relucens in opere Dei veritas,

aliud

aliud quàm merities fuit? Non enim quia præ cæcitate non videtur, idcirco non relucet: cum scriptum sit: Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non apprehenderunt. At densior illos ignorantia caligo cæcauerat, qui effecta hominum manu simulacra colebant. Neque enim scædior esse queat metis humanæ delectatio, quàm si sese operi suo tanquam Deo subijciat. Hoc Isaias expressit apertissimè, cum ait: Et repleta est terra eius idolis, opus manuum suarum adorauerunt, quod fecerunt digiti eorum: & incuruauit se homo, & humiliatus est vir, tanquam diceret Propheta, rei volens indignitatem ostendere: homo quem Deus ad imaginem suam fecit, quem rebus cæteris rationis vi & nobilitate preposuit, quem rectum formauit, erectosque iussit ad sidera tollere vultus; ille, inquam, incuruatur, planeque sua cæcitate deijcitur, & à naturæ dignitate præstantiaque desciscit, dum ijs tanquam dijs supplicat, quos sua ipse industria formauit ac finxit. De his proinde Sapiens subiunxit eiusmodi verbis: Infelices autem sunt, & inter mortuos spes illorum est, qui appellauerunt deos, opera manuum hominum: aurum & argentum, artis inuentionem & similitudines animalium, aut lapidem inutilem, opus manus antiquæ, & cætera. Hoc igitur in omni illa errorum varietate humana loquitur infirmitas, à diuinis sese rebus alienatam, atque à summi boni luce longè repulsam, illuc redire non posse: & quia tamen sine Deo nolit esse, visibilem sibi aliquem Deum requirere: Quin & ij qui Philosophi peritique præ alijs habebantur, cum eos punderet confiteri simulacra muta esse deos, hanc, cur simulacra fingerent, causam afferebant: quod per ea responderet ac reuelaret ut Deus. Non enim posse inuisibile aliter cognosci, quàm per eiusmodi signa atque teletas. Quamobrem liberator noster, huic volens infirmitati mederi, cum in natura propria conspici non

M

posset,

posset, cōspicuum sese ac visibilem in nostra præbuit: vt humana errare non posset cogitatio, etiam in more suo corporea palpans, Deo suo membra figuramque tribueret. Procul erat quidem Deus à perditis, & dīgnatione mirabili, hominis susceptione propinquauit. Sublimis erat & immēsus, imbecillas hominum mentes longo nimis interuallo extuperans; sed exinanuit demisitque semetipsum, formam serui accipiens. Subtiliserat, neque percipi oculo nostro, quasi puluere carnalis amoris obturato, poterat: ideoque Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: & quam diuinitatis vbique refulgentis lucem ferre inualida nostræ mentis acies non valebat, hanc velamine palpabilis carnis obrexit. Obtulit nunc homini, vt ait Augustinus, infirmitatē; seruauit purgato postea claritatem. Denique quia non potuit mundus nosse Deum ex magnificentissimo creationis opere, quod summa sapientię ratione potentiaque constabat, ipsa sese sapientia conspicuam exhibuit, quo percipi ab ignaris facilius posset. Hoc nobis luculenter satis Baruch prophetia declarat. Cū enim antea commemorasset mirāda opera Dei; velut quōd ingentē spatiosissimumque terræ globum præpararit, eumque replevit quadrupedibus & bipedibus; quōd lumen & emittat & reuocet, & illi cum tremore obediat; quōd & cæli & stella & elementa ad nutum illi vt conditori ac Domino obtemperent, & quæ iusserit exequatur promptissime: Cū igitur qui hæc posset ac faceret, verum esse demonstrasset Deum, neque coli alium oportere; volens intelligi nobis humi repentibus atque ipsa quoque mente nimis abiectis, minimē ista ad contuendum suffecisse, subiunxit: Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Deus ergo ille qui secundum Prophetę vaticinium magnus est & non habet finem, excelsus & immēsus, de quo etiam paulo post idem Propheta dicit, Hic est

Deus

Deus noster, & non æstimabitur alius ad eum: qui adiuuenit omnem viam disciplinæ & dedit eam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo: Ipse, inquam, in forma serui in qua minoratus est paulo minùs ab angelis, tanta se nobis vicinitate coniunxit & propinquauit accessitque, vt inter mortales mortalis ipse atque visibilis versaretur: rudioem (vt sic dixerim) pietatis cognitionem sensibiliter nobis immittens. Luculentissimè vero Isaias, quid humana postulatet infirmitas, expressit eum sic est vaticinatus: Non faciet Dominus vltra te auolare doctorem tuum, & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuæ audient verbum post tergum monentis: Hæc est via, ambulate in ea: & non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram. & contaminabis laminas sculptilium argenti tui, & vestimentum conflatilis auri tui, & disperges ea sicut immūditiam menstruatæ. Humanum genus, inquit Gregorius, Dominus in faciem monuit, quando in Paradiso condito homini atque libero arbitrio stanti quid facere, quidve non facere deberet, indixit. Sed homo in Dei faciem terga dedit, cū superbiens eius iussa contempsit, nec tamen superbiētē Deus deseruit, quā ad reuocandum hominem, legem dedit, exhortantes angelos misit, in carne nostræ mortalitatis ipse apparuit. Ergo post tergum stans nos admonuit, qui ad recuperationem nos gratiæ, etiam contemptus vocauit. Hæc eo in loco Gregorius. In natura igitur nostræ simili, planissimè quis & qualis esset Deus, ostendit: ac per ea quæ percipi sensibus poterant, ad miracula circumstantibus, gradumque infirmis præbuit ad sublimiora contingenda. Quænam obsecro ad hominem maior esse Dei potnit accessio, quàm vt sese præberet non modò in opere suo intelligibilem, verum etiam in homine nostri simillimo visibilem atque tractabilem: qui quod de sua diuinitate aperta voce testificabatur;

Cyrill lib. 2. in Ioan. cap. 9.

Cap. 30.

3. parte poste rali. cap. 29.

hoc dignissimis Deo & operibus & moribus evidenti-
 tissimè comprobavit: ad eumque modum ea quæ in-
 firmitatis erant, diuinæ virtutis suæ significationibus
 temperavit, vt etiam inter ea quæ de nostræ conditio-
 nis imbecillitate patiebatur, maiestatis latentis scintil-
 læ collucerent, quæ tanquam subito erigerent intuen-
 tium oculos, vt non obstante eo quod viderent; altius
 tamè aliquid de illo crederetur. Itaque ex muliere na-
 tus, in præsepi positus, & pannis innolutus est. Magnæ
 hoc infirmitatis: sed stella nouæ claritatis, & Mago-
 rum aduentus, maiestatem indicauit. Cùm nuptiis in-
 teresset, vinum cœpit deesse; communem hoc condi-
 tionem loquebatur: sed ex aqua vino facta, plus quàm
 hominem se esse monstrauit. Quod à suo discipulo se-
 querebatur tradendum, miseram hominis imbecilli-
 tatem declarabat: sed quod occultum discipuli propo-
 situm scire se mōstrauit, posteaque & verbo quæsi sul-
 mineo quodam ictu deiecit quæretium ferocissimam
 turbam, diuini in homine spiritus indicium fuit. Quid
 maioris esse potuit infirmitatis, quàm crucis supplicio
 affici & mori? & tamen quis quantusque esset qui illa
 pateretur, Sol obscuratus, & petra scissæ testatæ sunt.
 Frequenter itaque variisque modis suæ nos maiestatis
 admonuit, ne mens intuentium discipulorum, magi-
 stri infirmitate deiecta, nihil de eo supra hominē æsti-
 maret. Non enim consideratè Lactantius scripsit, ita
 Christum seruasse Deo fidem, vt nunquam se Deum
 esse dixerit. imperitè quoque illud, Si Deum se esse
 prædicasset, non id fuisset de vno Deo facere præco-
 nium: nec eius qui miserat, sed suum proprium gere-
 re negotium. Prorsus etiam verbis suam diuinitatem
 aperuit, velut cùm dixit: Ego & Pater vnum sumus.
 ego in Patre, & Pater in me est. Ac rursus: Antequam
 Abraham fieret, ego sum. aliisque locis compluribus,
 vsque ad eò vt ipsi hoc quoque Pharisæi deprehende-
 rent,

*Libro de vera
 sapientia, c. 14.*

Ioannis 10.

Ioannis 8.

rent, ac ferrent grauissimè: propterea que persequeren-
 tur Christum, quemadmodum Euangelista testatur, *Ioannis 5.*
 quod non modò Sabbathum violaret, verum etiam
 Patrem suum diceret esse Deum, æqualem se faciens
 Deo. Sic, inquit Cyrillus, sentire nos Christus de se
 docuit, cùm ait: Tanto tempore vobiscum sum, & non
 cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt & Pa-
 trem meum. Ad hanc verò vocis prædicationem, &
 illustrissima virtutum, & stupenda planeque diuina
 miraculorum opera accessere: quibus se (quod verbis
 testabatur) Deum esse, qui solus opem ferre miseris &
 captiuis posset, confirmabat. Quo factum est, vt mi-
 randis eius operibus excitati etiam homines barbari
 & inculti, ad eum transferint, seque illi, quæ admodum
 Isaias Propheta prædixerat, dederint, professiq. sint
 illud, quod apud eundem est Prophetam: Tantum in-
 te est Deus, & nō est absque te Deus. Ac rursus: Verè
 tu es Deus absconditus, Deus Israël saluator. Abscon-
 ditus certè, tum quod præteritis ætatibus mundo se se
 suasque opes quodam modo abscondisset, ignorari ve-
 ram diuinitatem passus: tum quod lucem habitat in-
 accessibilem, neque à vitiatis & cæcis mortalibus adi-
 ri mente ac conspici, nisi illustrante ipso ac vires sub-
 ministrante, possit. Postremò quia oculis corporeis
 obuius non est, sicuti Gentilium dii, sed tanquam la-
 tens in opere visibili atque absconditus; mentis est se-
 dula contemplatione requirendus. Quo in studio ne-
 parum imbecillitas humana proficeret, tandem carne
 assumpta patrisque in ea diuinis operibus, tanquam
 in oculos se nostros ingessit, vt quis & qualis esset
 Deus nosceremus. Ideoque cùm dixisset Dominus
 Moyse, Sic dices filiis Israël: Qui est, misit me ad vos:
 quoniam hoc non intelligebatur ab infirmis homini-
 bus (Deus enim, vt est in seipso incommutabilis, co-
 gnosci à nobis non potest) iterum ait: Sic dices, Deus

Ioannis 5.

Ioannis 14.

Isaia 45.

*Cyrillus in
 eum locum
 lib. 1. in Ioan.
 cap. 15.*

Abraham, Deus Isaac & Iacob, in quibus viris totum Israël semen intelligitur, non secundum carnem, sed secundum fidem. Etenim ex hominibus sanctis, humilibus, fidelibus, cognoscitur Deus: quos euidētibus signis, sua protectione defendit. Vnde & Ioannes ait: Qui est in charitate, hic nouit Deum, quia Deus charitas est, proinde qui nouit in se charitatem, hic Deum nouit ex eo munere per quod Deo efficitur similis. Dissimilitudo enim facit, ut Deum non norimus. per hoc verò facillimè cognoscimus, per quod Deo similiores efficitur. Quid igitur aprius ad noscendum sequendumq. Deum, quam Dei filius, homo factus, in eaque natura Deo simillimus, propter excellentem modis omnibus charitatem?

CAPVT IIII.

Testimonis veterum superioris capitis doctrina comprobatur.

NE verò tantis de rebus, rationes ipsi finxisse, ac prout nostra ferebat opinio, cōmenti aliquid esse videamur, libet veterum quoq. testimonia subiungere, à quibus illa hauriuntur. Scribit igitur Athanasius in eo libro qui est de incarnatione Verbi, hunc in modum: Quoniam verò & idolorum velanus cultus, & impietas sacrilega, orbem continebat vniuersum, Deique cognitio occulta erat: quisnam oro debuit orbem docere de Patre? num homo? At homini possibile nō erat orbem omnem perpagari, cum nec per naturam ad tantum sufficeret cursum, nec dignus: cui de re tanta crederetur haberi posset, neque aduersus fraudes atq. fallacias per se quiret obistere. Cunctis quippe perculsis animo, ac diabolica deceptione & idolorum vanitate turbatis; quomodo possibile fuit humanam mentem atque animum, persuadendo ad fidem inclinare eius qui conspicuus oculis esse nō posset? Quem verò quisque non videt, quo pacto is aliquem in tanta rerum

rerum perturbatione, inducere ad credendum potest? Ac quibusdam interpositis: Vnde summa cum ratione Deus mortalibus prodesse cupiens, aduenit ut homo: sumens sibi corpus illis per omnia simile atque ex inferioribus: videlicet per corporis opera sese insinuauit hominibus, ut qui illum ex eius in omnia manante prouidentia & gubernatione, intelligere & scire neglexerant, vel ex operibus ab eo in carne consummatis, verbum Dei agnoscerent in corpore positum, ac per ipsum etiā Patrem. Sicut enim magister optimus, discipulorum commodis cautè prospiciens, eos qui proficere ex maioribus nequeunt, per ea quæ infima sunt erudire non renuit: ita & Dei verbum fecit. Sicut & Paulus ait: Quia enim in sapientia Dei non agnouit mundus per sapientiam Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis, saluos facere credentes. Ad huius sententiam & diuus accedat Hilarius: cuius verba sunt, libro de Trinitate tertio: Inuisibilis & incorporeus & incomprehensibilis, utpote à Deo genitus, tantum in se materiæ & humilitatis recepit, quantum in nobis erat virtutis ad intelligendum se & sentiendum & contuendum: imbecillitati nostræ potius obtemperans, quam de iis in quibus ipse erat, deficiens. Hos sequatur diuus Augustinus, cuius perspicua est & illustris eadem de re doctrina locis compluribus: & libro quidem primo de doctrina Christiana, Cum sano, inquit, & puro interiori oculo vbique sit præsens Dei sapientia, eorum qui oculum iustum infirmum immundumque habent, oculis corporeis apparere dignata est. Quia enim in sapientia Dei nō potuit mundus per sapientiam cognoscere Deum, placuit Deo per stultitiam prædicationis, saluos facere credentes: hoc est, quia ex consideratione operum Dei, quæ summa ratione & sapientia constant, non potuerunt homines Deum nosse, impediti cupiditate fruendi crea-

*Vide August.
F. 1. b. 1. 1. 1.
& in Canon.
p. 1. 1. 1. 1.*

Athanasius.

1. Cor. 13.

Hilarius.

Augustinus.

tura pro creatore : idcirco placuit Deo venire & carnem induere, vt sic salui fierent credentes. Alio verò in loco: Non poterat, inquit, inueniri Deus ab his qui cor mundum non habebant, & Verbum apud Deum Patrem videre non poterant: nisi hoc suscipiēdo quod possent videre, vt per hoc ad illud lumen interius ducerentur. Idemque tractatu tertio in Ioannem : Quia Verbum caro factū est, & habitauit in nobis; ipsa natiuitate collyrium fecit, vnde tergerentur oculi cordis nostri, vt possēmus videre maiestatem eius per eius humilitatem, Sed & in eo libro quem scripsit de natura & gratia, cap. 20. Quemadmodum abstinere à cibo, inquit, non est substantia; & tamen substantia corporis, si omnino abstinetur à cibo, ita languescit, ita valetudinis inæqualitate corrumpitur, ita exhauritur viribus, ita lassitudine debilitatur & frangitur, vt si aliquo modo perduret in vita, vix possit ad eum cibum reuocari, vnde abstinendo vitata est: sic non est substantia peccatum, sed substantia est Deus, summaque substantia & solus verus rationalis creaturæ cibus: à quo per inobedientiam recedendo, & per inobedientiam non valendo capere quod debuit & gaudere, audis quemadmodum dicit: Percussus sum vt fœnum, & aruit cor meum, quoniam oblitus sum comedere panem meum, hoc ille quidē eo loco, vnde colligendum est, cum per infirmitatem nimiam, cibum suum, hoc est, inuisibilem summumque Deum, capere homo non possēt, solidiorque esset ille cibus, quam vt nostrę infantię seu potiùs ægritudini cōueniret: quidam nobis de maiestate sua & infirmitate nostra, temperasse Deum: vt quod cibus esset, medicamenti quoque vim haberet, ad educendum venenum, antiqui serpentis instillatione collectum & haustum, ex quo cibi nostri fastidio tenebatur. Quia igitur rationalis creatura, inquit idem libro tertio de libero arbitrio,

verbo

verbo illo tanquam optimo cibo suo pascitur, humana autem anima rationalis est, quæ mortalibus vinculis peccati pœna tenebatur, ad hoc diminutionis redacta, vt per coniecturas rerum visibilibus, ad intelligenda inuisibilia niteretur: cibus rationalis naturæ factus est visibilis; non commutatione naturæ suæ, sed habitu mortalitatis nostræ: vt visibilia sectantes, ad se inuisibilem reuocaret. Sic eum anima, quem superbiens intus reliquerat, foris humilem inuenit: imitatura eius humilitatem visibilem, & ad inuisibilem altitudinem reditura. Sic eo loco. In Psalmum quoque trigésimum tertium: Nisi, inquit, Deus esset humilis, nec manducaretur nec biberetur à nobis. Respice altitudinem ipsius. In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Ecce cibus sempiternus: sed eum manducant angeli, manducant supernæ virtutes; manducant cælestes spiritus: & manducant & saginantur, & integrum manet quod eos faciat & lætificat. Quis autem homo possēt ad illum cibum? vnde cor tam idoneum illi cibo? Oportebat ergo vt mensa illa lactesceret & ad paruulos perueniret: vnde autem fit cibus lac? vnde cibus in lac conuertitur, nisi per carnem traiciatur? nam mater hoc facit. Quod manducatur mater, hoc manducatur infans. Sed quia minus idoneus est infans qui panem vescatur, ipsum panem mater incarnat, & per humilitatem mammillæ & lactis succum de ipso pane pascit infantem. Quomodo ergo de ipso pane paut nos Sapientia Dei? Quia verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Videte ergo humilitatem: quia panem Angelorum manducauit homo, *Psalm. 77.* vt scriptum est. Verbum illud, quo pascuntur Angeli sempiternum, manducauit homo; quia cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Saginatur ergo illo Angeli: sed semetipsum expauiuit, vt māducaret panem Angelorum homo. Hæc

M s

eo loco.

Libro 83.
quas. 73.

Psalm. 101.

Cap. 10.

Leo serm. 5. de
Natiuitate.

eo loco. Quibus omnibus doctissimi sanctissimi que Pontificis Leonis breuissima sententia iungenda est. Propter nostram, inquit, infirmitatem extenuauit te in capacibus tui, & velamine corporis splendorem suæ maiestatis, quem visus hominum nō ferebat, obtexit: vnde etiam exinanisse se dicitur, tanquam se propria virtute euacuauerit: dum in ea humilitate, in qua nobis consuluit, non solum Patre, sed etiam seipso factus est minor. Sic Leo. Denique & Lactantius Firmianus non minus commodè quam breuiter: Idcirco mediator aduenit, id est, Deus in carne, vt caro eum sequi posset. Et rursus, Incorporatus est, inquit, & veste carnis indutus, vt homini, ad quem docendum venerat, virtutis exempla & incitamenta præberet. hæc ille cap. 25. & 26. libri de Sapientia.

CAPVT V.

Quanam ratione visibilis factus in homine Deus, auctoritatem sibi parauerit, & ad fidem dictorum, & ad factorum imitationem.

ET miraculis quidem, cum homo esset, commodissimè est vsus ad docendam sapientiam. Cum enim hæc percipi ab hominibus stultis, nisi crederet sapienti, non posset; ad faciendam autem fidem, auctoritate opus esset: hanc sibi grauissimam tum miraculis, tum sequentium multitudine, conciliauit. Et principio quidem miraculis, nam & hæc discipulorum multitudinem effecerunt: quæ deinceps ad magistri auctoritatem non mediocriter conduceret. Sola est, inquit Augustinus, auctoritas quæ commouet stultos vt ad sapientiam festinent, quamdiu intelligere sincera non possumus. auctoritate quidem decipi miserum est, sed certè miserius non moueri. Si enim Dei prouidentia non præsidet rebus humanis, nihil est de religione sagendum. Sin vera est, species rerum omnium, quam profectò ex aliquo verissimæ pulchritudinis fonte

Cap. 16. de
utilitate cre-
dendi.

manare

manare credendum est, & interiori nescio qua conscientia Deum quærendum Deoque feruendum, meliores quosque animos quasi publicè priuatimq. hortatur: non est desperandum, ab eodem ipso Deo auctoritatem aliquam constitutam, qua velut gradu certo nitentes, attollamur in Deum. hæc autem, sepulta ratione, quam sincerè intelligere, vt sæpe diximus, difficillimum stultis est, dupliciter nos monet: partim miraculis, partim sequentium multitudine. Nihil horum necessarium est sapienti; quis negat? sed id nunc agitur vt sapientes esse possimus, id est, inhærere veritati. quod profectò sordidus animus non potest. Sunt autem sordes animi, vt breui explicem, amor quatuorlibet rerum præter animum & Deum: à quibus sordibus quanto est quis purgator, tanto verum facilius inuenitur, Verum igitur videre velle vt animum purges, cum ideo purgetur vt videas, peruersum certè, atque præposterum est. homini ergo non valenti verum inueniri, vt ad id fiat idoneus purgarique se sinat, auctoritas præsto est; quam, vt paulo antè dixi, partim miraculis, partim multitudine valere nemo ambigit. Miraculum voco, quicquid arduum aut insolitum, supra spem aut facultatem mirantis apparet. In quo genere nihil est populis aptius & omnino stultis hominibus, quam id quod sensibus admouetur. Sed rursus hæc in duo diuiduntur. quædam enim sunt, quæ solam faciunt admirationem: quædam verò magnam etiam gratiam benevolentiamque conciliant. Nam si quis volentem hominem cernat, cum ea res nihil spectatori afferat commodi præter ipsum spectaculum, miratur tantummodo. Si quis autem graui & desperato morbo affectus, mox vt iussum fuerit conualescat, admirationem sanitatis suæ, sanantis etiam charitate superabit, Talia facta sunt illo tempore, quo Deus in vero homine, quantum saterat, hominibus apparebat.

Sanati

Sanati languidi, mundati leprosi; incessus claudis, cæcis visus, surdis auditus est redditus: homines illius temporis aquam in vinum conuersam, saturata quinq. millia quinque panibus, transita pedibus maria, mortuos resurgentes viderunt. ita quædam corpori manifestiori beneficio, quædã verò menti occultiore signo, & omnia hominibus, maiestatis testimonio consulebant. sic in se tunc animas errantes mortalium, diuina commouebat auctoritas. Cur, inquis, ista modò non fiunt? quia non mouerent, nisi mira essent. At si solita essent, mira non essent. nam diei & noctis vicem, & constantissimum ordinem rerum cælestium, annorum quadrifariam conuersionem, decedentes redeuntesq. frondes arboribus, infinitam vim seminum, pulchritudinem lucis, colorù, sonorum, odorum, saporumq. varietates, da qui primum videat atque sentiat; cum quo tamen loqui possimus, hebescit obruiturque miraculis. Nos verò hæc omnia, non cognoscendi facilitate, quid enim causis horum obscurius? sed certè sentiendi assiduitate, contemnimus. Facta sunt igitur illa opportunissimè, vt hinc multitudine credentium congregata atque propagata, in ipsos mores utilis conuerteretur auctoritas.

CAPVT VI.

Quònam modo ea quæ Dei filius nostra liberationis gratia gessit accipit, & ad Deum amandum inflammet, & erigant in fiduciam.

PORRO quem ignorabant homines, eundem nec amabant; simulque metu mortis & desperatione beatæ immortalitatis abiecti, magis magisque se mortiferæ seruitutis laqueis inferebant: sectantes ardenti studio temporariam voluptatem, qua vel hinc saltem quadam felicitatis vmbra fruerentur. Quamobrem Gentiles ignaros veri Dei, ideoque spæ quæ apud il-

lum

lum solidè fixa esset, expertes, ait Apostolus desperantes tradidisse se impudicitia, omniq. generi flagitorum. Itaque non modò ad noscendum, verum etiam ad amandum Deum, speradamque ab eo beatam immortalitatem, excitandi & erigendi eramus. Ac meritò quidem ex cõsideratione tot specierum ac rerum, quibus Vniuersum hoc ad summam hominis & oblectationem & vtilitatem instructum est, ex contemplatione tot beneficiorum, quibus sese suumque erga homines amorè ostendere, sibi que nos deuincire nunquam intermisit, inflammati debuimus ad redatadum munificentissimum & optimum Patrem: vt etiam ad cognoscendum eundem colendumque admoneri. à quo quamquam longè nos eramus, propter profundam ignorantiam & innatam atque inueteratam terrenorum cupiditatem; ipse tamen non longè erat ab vnoquoque nostrum, dans omnibus vitam, & inspirationem & omnia. In ipso enim omnes viuimus, mouemur, & sumus. Sed quotus quisque erat, qui vel hæc consideraret digna attentione, vel eorum contemplatione commorus, oculos attolleret in cælum, vt largitori omniù Deo gratias ageret, eumque, à quo sic peccator amatur, vicissim amaret? Erat hoc primi hominis adhuc sani & incorrupti. neque enim ille alio ad diligendum conditorem suum excitamento indigebat. Nostri verò animi, pulsari vehementius propter ignauiam ac corporè debuerunt. Maioribus aliis ipsdemq. inusitatis, quoniam iam vsitata consuetudine viluerant, excitandi fuimus in amorem nostri conditoris. Ideoque factus est Deus homo, quo nihil esse potest admirabilius; ad nostramque sese ille humilitatem demisit, formam serui accipiens: quo nihil efficere potuit, aut ad amoris erga nos sui significationē euidentiùs, aut ad nostrum erga se excitandum vehementius. In ea quoque natura homines docuit, beneficiis que plurimis

Astr. 17.

plurimis affecit: & stupēdis operibus aut vitam mortuis, aut sanitatem arte irrecuperabilem infirmis, aut robur debilibus & dissolutis, aut integritatem mutilatis restituit. Postremò probrosissimam nostri causa subiit mortem, vt destrueret mortis in nos grassantis imperium: post quæ omnia, dura nimis & ingrata corda esse necesse est, quæ non iis emolliantur, atque inflammata inatrescant in amorem, nō iam tantum modo creatoris & moderatoris sui, verumetiam redemptoris & reparatoris. Etenim elucet in his clarissimè, quod de semetipso Christus loquitur, cū suam erga Iudaicum populum, charitatem commendaret: Hierusalem, Hierusalem, quoties volui congregare filios tuos, sicut gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Quis enim neget illum voluisse, cuius & promissio, & aduentus atque præsentia visibilis, & vitæ labores vsque ad mortis patientiam, mira que in his omnibus summæ maiestatis ad nostram vilitatem abiectio, nihil aliud quàm dissipatos congregare, & perditos recuperare ardentissimè voluisse, loquantur? Ideoque non est de nihilo, quòd inter anes gallinæ sapientia Dei peculiariter cōparetur. nulla enim sic auis infirmatur cum pullis suis, quomodo gallina. Hirundines, passeres, ciconias, cū extra nidos conspexerimus, vtrum factus habeant scire non possumus. Gallinam verò continuò matrem esse cognoscimus ex infirmitate vocis, & relaxatione plumarum. tota enim mutatur, affectu pullorum: & quia infirmi illi sunt, se quoque facit infirmam. idcirco enim raucescit vox; hispidum fit totum corpus, demittuntur alæ, plumæ laxantur. Ad similem planè modum, cū nos infirmi essemus, infirmam se fecit Dei sapientia nostri amore singulari, dum Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, dum in ea carne contemnitur, a lapidibus cæditur; flagellatur, suspenditur è ligno, lancea vulneratur: vt

non

non solum frigidi recalescere redamādo, verumetiam sub alis eius sperando, roborari possemus. Hinc enim scriptum est: Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub alis eius sperabis. Siquidem & ad spem nostræ imbecillitatis erigēdam, quid esse potuit aptius, quàm vt ostenderet Deus quanti nos penderet? hoc autem fieri alia ratione haud potuit illustrius, quàm si Deus homo fieri dignaretur, proque homine perdito moreretur: vt meritò de illius miseratione omne auxilium polliceri sibi audeat ad bene beateque viuendum, qui eum curandum atque sanandum ad eò nobili & arcta sibi coniūctione copulauit; cuius sordes ac vilitatem, cū ipse summus esset, non refugit; qui eundem æternæ mortis pœna, cui destinatus erat, moriendo liberauit. Commendat planè Deus suam erga nos charitatem: quoniam cū adhuc peccatores essemus, secundum *Rom. 5.* tempus pro nobis Christus mortuus est. multo igitur magis nunc iustificati in sanguine ipsius, salui erimus ab ira per ipsum. Si enim cū inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius; multo magis reconciliati, salui erimus in vita ipsius. Quare ergo dicis Iacob (ait Dominus per Isaiam) & loqueris Israël, *Cap. 40.* Abscondita est via mea à Domino, & à Deo meo iudicium meum transiit? Quid sibi, inquit, desperandæ & abiectæ mentis hæc cogitationes ac voces volunt? Nunquid nescis, aut non audisti? Deus sempiternus Dominus, qui creauit terminos terræ, non deficiet neque laborabit, nec est inuestigatio sapientiæ eius: qui dat lassō virtutem, & his qui non sunt, fortitudinem & robur multiplicat. Deficient pueri, & laborabunt, & iuuenes in infirmitate cadent: qui autem sperant in Domino, mutabūt fortitudinem, assument pennas, sicut aquilæ current, & non laborabunt, ambulabunt & non deficient. Idcirco etiam Deus non *Isaia 39.* hominem misit, per quem sui erga nos amoris testificatio-

cationem faceret: sed Deus ipse venit factus homo, sicuti hoc ipsum per Prophetam promiserat, Dicite, inquit, pusillanimis: Confortamini & nolite timere. Ecce Deus vester ultionē adducet retributionis: Deus ipse veniet & saluabit vos. vt nimirum per hominem quidem spei nostræ fundamenta iacerētur, sed tamen spem nostram non nisi in Deo figeremus, propterea quod homo ille, spei nobis & salutis auctor, etiā Deus existeret. Maledictus enim qui spem ponit in homine, & firmat carnem brachium suum. erit enim, sicut myricæ in deserto, sterilis veræque sapientiæ expers atque virtutis: quæ ab illo petenda solo est, de quo sic in epistola Iacobus: Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter & non improperat, & dabitur ei. Ideoque beatus Ignatius: Qui cunque, inquit, purum hominem dicit esse Christum, maledictus est: secundum dictum Prophetæ, non in Deum fidens, sed in hominem tantum. propterea & infructuosus est, quemadmodum tamariscus, quæ est in deserto. Augustinus quoque libro de vtilitate credendi: Cùm igitur homo esset, inquit, imitandus, & non in homine spes ponenda: quid potuit indulgentius & liberalius fieri, quam vt ipsa Dei sincera, æterna, incommurabilisque Sapiëntia, cui nos hæzere oportet, suscipere hominem dignaretur?

CAPVT VII.

Testimonia veterum de superioris capitis doctrina.

SED operæpretium est, vt quod superiore capite doctumimus, pluribus etiā veterum verbis comprobemus. Igitur Augustinus in eo libro quem scripsit de Catechizandis rudibus, planissimè quod diximus explicatum reliquit. Quæ maior, ait, causa est aduentus Domini, nisi vt ostenderet Deus dilectionem se in nobis, commendans eam vehemèter, quia cùm adhuc

inimici

inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est? hoc autem ideo, quia finis præcepti, & legis plenitudo charitas est, vt & nos inuicem diligamus, & quemadmodum ille pro nobis animam suam posuit, sic & nos pro fratribus animas ponamus: & ipsum Deum, quoniam prior dilexit nos, & Filio suo vnico non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, si amare pigebar, saltem redamare non pigeat. Nulla est enim maior ad amandum inuitatio, quam præuenire amando: & nimis ingratus est animus, qui dilectionem si nolebāt impendere, nolit & rependere. Quod si in istis flagitiosis & sordidis amoribus, videmus eos nihil aliud agere qui amari vicissim volunt, nisi vt documentis quibus valent, aperiant & ostendant quantum ament: & si animus torpebat, cùm se amari senserit, excitatur; & qui iam feruebat, cùm se redamari didicerit, magis accenditur: manifestum est nullam esse maiorem causam, qua vel inchoetur vel augeatur amor, quam cùm amari se cognoscit qui nondum amat, aut se redamari vel posse sperat, vel iam probat, qui prior amat: & si hoc in turpibus amoribus, quanto plus in amicitia? Ecce infra: Operæpretiū autem est animaduertere, quomodo quamquam & superiores velint se ab inferioribus diligere, eorumque in se studioso delectentur obsequio, & quanto magis id senserint, tanto magis eos diligant: tamen quanto amore exardescat inferior, cùm a superiore se diligere senserit. Ibi enim grator amor est, vbi non æstuat indigentia siccatate, sed vbertate beneficentia profluit. Ille namque amor ex miseria est, iste ex misericordia. Iam verò si etiam se amari posse a superiore desperabat inferior, ineffabiliter commouetur in amorem, si vltro ille dignatus fuerit ostendere quantum diligat eum, qui nequaquam tantum bonum sibi promittere auderet. Quid autem superius Deo iudicante? & quid desperatius homine peccante? qui se

N

tanto

Hieron. 17.

Cap. 13.

tanto magis tenendum & subiugandum superbis potestatis addixerat quæ beatificare non possunt, quanto magis desperauerat posse sui curam geri ab eapote-
 state, quæ non malitia sublimis esse vult, sed bonitate sublimis est. Hæc eo loco. Alibi quoque: Cum omnibus modis, inquit, medeatur animis Deus pro temporum oportunitatibus, quæ mira sapientia eius ordinantur, nullo modo beneficentius consuluit generi humano quam cum ipse Sapiëntia Dei, id est, vnicus Filius consubstantialis Patri & coæternus, totum hominem suscipere dignatus est. Ita enim demonstrauit carnalibus corporeisque sensibus deditis, quam excelsum locum inter creaturas habeat humana natura: quod non solum visibiliter; nam id poterat & in aliquo æthereo corpore ad nostrorum aspectum tolerantiam temperato: sed etiam hominibus in vero homine apparuit. Ipsa enim natura suscipienda erat, quæ liberanda. Et ne quis fortè sexus à suo creatore se contemptum putaret, vtrum suscepit, natus ex femina. Hæc ille. qui etiam Deo confitens libro suarum Confessionum decimo, breuiter ait: Potuimus putare verbum tuum remotum esse à coniunctione hominis, & desperare de nobis, nisi caro fieret, & habitaret in nobis. Propterea ergo maximè Christus aduenit, vt cognosceret homo quantum eum diligit Deus: & ideo cognosceret, vt in eius dilectione, à quo prior dilectus est, inardesceret. Ad id verò propterea nos voluit exemplo suo incitari, quodd mundi amor vitiorum minister & fomes est: faciliusque est infirmis & vitiatis hominibus carere bonis mundi huius, quam iis si affluant vti moderatè. Ideoque & horum contemptum ipse præ se tulit, vt ad meliorum bonorum amorem renocaret. Scriptum est, inquit, Gregorius, cum Iesus cognouisset, quia venturi essent vt raperent eum, & facerent eum Regem: fugit iterum in montem ipse solus. Quis enim principum homi-

Cap. 16. lib. de
vera relig.

Cap. 41.

Iohann. 6.
2. par. Pastor.
24. 3.

hominibus tam sine culpa potuisset, quam is qui hos nimirum regeret, quos ipse creauerat? Sed quia idcirco in carne apparuit, vt non solum nos per passionem redimeret, verumetiam per conuersationem doceret: exemplum se sequentibus præbens, Rex fieri noluit, ad crucis verò patibulum sponte peruenit. Oblatam gloriam culminis fugit, pœnam probroque mortis appetiit: vt membra videlicet eius discerent fauores mundi fugere, terrores minimè timere: pro veritate aduersa diligere, prospera formidando declinare.

CAPVT VIII.

Quomobrem Christus Dominus exemplo suo humilitatem & patientiam peculiariter commendauit.

DENIQUE vt humilitatem ostendit singularem contra magnum illud superbiæ vitium quo deiectioni sumus, vt sic tandem erubescat homo esse superbus propter quem factus est humilis Deus: ita quoque patientiam exhibuit in vita mirabilem: quod sicut prona ad obediendum humilitas, necessaria est homini ad ingrediendum iustitiæ salutisque viam, ita patientia per necessaria fore, ad iustitiam quam adepti fuerimus retinendam. Cum enim inter improbos nobis esset, medijsque in malis vitendum, sine patientia citò omnis excussa virtus foret, vt merito scriptum sit: In patientia vestra possidebitis animas vestras. Cum igitur Christus Dominus celestis magister, omnibus vitæ officijs iustitiæ specimem præbuisset: vt doloris quoque patientiam mortisque contemptum ostenderet, quibus consummata & perfecta sit virtus (quem admodum diuus Iacobus ait: Patientia opus perfectum habeat) venit in manus impiæ nationis, cum & vitare potuisset scientia futuræ quam tenebat, & repellere eadem virtute qua mirabilia faciebat. Idcirco Petrus Apostolus adhortatur: Christus pro nobis passus

Augustinus
in Psal. 118.

Luc. 12.

Cap. 41.

1. Pet. 2.

Serm. 16. de
Passione.

est, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius. qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: qui cum malediceretur, non maledicebat cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem se iudicanti iniuste. Merito, inquit Leo, Dominus ipse factus est nobis via: quia nisi per Christum, non itur ad Christum. Per ipsum autem ad ipsum tendit, qui per semitam patientiæ & humilitatis eius incedit. In quo planè itinere, nec æstus deest laboris, nec nubes tristitiæ, nec procella formidinis. Ibi sunt insidiæ iniquorum, persecutiones infidelium, minæ potentium, contumeliæ superbiorum, quæ Dominus virtutum & Rex gloriæ, ideo omnia in infirmitatis nostræ forma, & in carnis peccati similitudine percurrit, vt inter presentis vitæ pericula non tam optandum sit nobis declinando ista fugere, quàm tolerando superare. De eadem Christi patientia & apud Cyprianum disertissimè scriptum reperitur his verbis: In Iudæis verò tolerandis æquanimitas quanta, & quanta patientia? incredulos ad fidem suadendo flectere, obsequio ingratos fovere, contradicentibus respondere leniter, superbos sustinere clementer, humiliter persequentibus cedere, Prophetarum interfectores & aduersus Deum semper rebelles, vsque ad crucis & passionis horam, velle colligere: sub ipsa autem cruce & passione, priusquam ad crudelitatem necis, & effusionem sanguinis veniretur, quæ conuictorum probra patienter audita? quæ contumeliarum tolerata ludibria? vt insultantium sputamina patienter exciperet, qui sputo suo cæci oculos paulo ante formasset, & cuius in nomine nunc a feruis eius Zabulus cum angelis suis flagellatur, flagella ipsa pateretur: coronaretur spinis, qui martyres floribus coronat æternis: palmis in facie verberaretur, qui palmas veras vincens tribuitis polliaretur veste terrena, qui indumento immortalitatis cæteros vestit: cibaretur felle,

felle, qui cibum cælestem dedit: aceto potaretur, qui poculum salutare propinauit. Ille innocens, ille iustus, imò innocentia ipse, & ipse iustitia, inter facinorosos deputatur, & testimoniis falsis veritas premitur; iudicatur, iudicaturus: & Dei sermo ad victimam tacens ducitur. Et cum ad crucem Domini confundantur sidera, elementa turbentur, cõtremiscat terra, nox diem claudat, Sol, ne Iudæorum facinus aspicere cogatur, & radios & oculos suos subtrahat: ille non loquitur nec mouetur, nec maiestatem suam sub ipsa saltem passione proficitur. Vt que ad finem perseveranter ac iugiter tolerantur omnia, vt consummatur in Christo patientia & perfecta patientia. Et post ista, adhuc interfectores suos, si conuersi ad eum, fuerint, suscipit, & patientia sua saluari ad conseruandos benignus & paterens, Ecclesiam suam nemini claudit: illos aduersarios, illos blasphemos, illos nomini suo semper inimicos, si penitentia delicti agant, si admissum facinus agnoscant, non solum ad indulgentiam criminis, sed ad præmiũ regni cælestis admittit. Quid potest patientius, quid benignius dici? viuificatur Christi sanguine, etiam qui effudit sanguinem Christi, talis est Christi ac tanta patientia; quæ nisi tanta ac talis existeret, Paulum quoque Apostolum Ecclesia non haberet. Quod si & nos, fratres charissimi, in Christo sumus, si ipsum induimus, si ipse est salutis nostræ via: qui Christum vestigiis salutaribus sequimur, per Christi exempla gradiamur, sicut Ioannes Apostolus instruit dicens: Qui dicit se in Christo manere, debet quomodo ille ambulauit, & ipse ambulare. Item Petrus, super quem Ecclesia Domini dignatione fundata est, in epistola sua ponit & dicit: Christus passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum, vt sequamini vestigia eius; qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non

comminabatur: tradebat autem se iudicanti iniuste: hactenus Cyprianus. Idcirco igitur Deus seipsum nobis in homine aspiciendum exhibens, non solum ea fecit quibus ad sequendum ipsum inuitaremur, sed etiam illa passus est, quibus a sequendo Deo deterrebamur. Nam cum adipisci certissimum ac summum bonum nemo possit, inquit Augustinus, nisi id plene perfecteque dilexerit; quod nullo pacto fiet, quamdiu mala corporis atque fortuita formidantur; ille nascendo mirabiliter & operando, conciliauit charitatem: moriendo autem & resurgendo, exclusit timorem. Iam vero talem se in ceteris rebus omnibus præbuit, quas persequi longum est, ut & diuina clemētia quod porrigit, & humana infirmitas quod possit euehi, sentiremus.

CAPUT IX.

Hallucinatum hic esse Lactantium in constituenda exempli ratione.

EFFLUIT vero hic Lactantius, nec modum tenet. Edum enim virget in doctore virtutis exemplum, vitia in Christo posuit quæ domaret, ut hoc re ipsa quoque hominibus faciendū esse demonstraret. Ideo, inquit, carne se induit, ut desiderijs carnis edomitis, doceret non necessitatis esse peccare, sed: propositi ac voluntatis. Vna enim nobis & magna & præcipua cum carne luctatio est: cuius infinitæ cupiditates premunt animam, nec Deum retinere patiuntur: sed eam voluptatibus & illecebris suauibus mancipatam, morte afficiūt sempiterna. quibus ut repugnare possemus, Deus nobis viam superandę carnis & aperuit & ostendit. Sic ille. Quem eius locum cum citasset, pro se Petrus Iulianus suppresso auctoris nomine, vide ut respondet Augustinus libro de natura & gratia, nesciens (ut apparet) esse Lactantij: Nobis quidem videtur, ab homine Christiano, procul esse debere eam de Christo opinionem

nionem, ut eum desideria carnis habuisse putet quæ domaret. Etenim hæc ubi insunt, nondum absoluta rectitudo perfectaque iustitia est. Quinetiam si desideria carnis (quæ iuxta familiarem scripturæ diuinæ loquendi morem vitiosa intelliguntur) pro naturalibus accipiantur motibus ac desiderijs, cuiusmodi est edendi viuendęque appetitus: tamen neque illa in Christo comprimenda domandęque fuerunt; cum eius in animo nullus surgeret motus, qui non esset rationis excitatus imperio, qui que non mox ut iussisset, conquiesceret. Quod si in primis hominibus, eum integri adhuc essent, non ea lecta fuit, de qua scriptum est; Caro concupiscit aduersus spiritum: multo minus eandem in Christo fuisse credendum est, qui ad sanandam naturam nostram parum fuisset idoneus, si nec ipse vitijs caruisset quæ sanari oporteret. hoc enim concupiscentiæ malum, inquit Augustinus, si Christus in natura haberet sua, non sanaret in nostra. Et nostrum quidem similis per omnia Christus Dominus ex Virgine editus est: sed quemadmodum Apostolus ait, absque peccato. Vbi ea quoque sub peccato intelliguntur omnia, quæ in peccatum suapte natura ferunt, cuiusmodi sunt, ignorantia rerum agendarum, & concupiscentia noxiarum. Eius quoque agonia in sacro Euangelio legitur, sed qua habuit cum morte certamen, non cum vitijs, in quo certamine non amor vitæ reprimendus; & tanquam prælio superandus fuit, qui rebellis in Christo non erat; sed neque propositæ mortis horror pauorque vincendus, aut luctandum, quod Calvinus ait, cum horribili formidine, ne a suscepto salutis opere animum reuocaret, quæ formido tanta in eo duntaxat fuit, quantam esse illam recta ratio permiserat. Nec enim hoc aut intelligi volumus, aut dici patimur, in aliena duntaxat persona dictum a Christo illud, Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste.

Cap. 19. lib. de
veritate crea-
dendi.

Cap. 25. lib. de
vera sap.

Cap. 61.

Lib. 1. contra
Julian. cap. 9.
in fine.

Hebr. 10.

Luc. 22.

Lib. 2. Infall.
cap. 16.

Math. 26.

Sed ita omnino hic gessit infirmitatis alienæ personâ, quemadmodum sæpius ab Augustino tractatum est, ut tamen naturæ suæ refugientis mortem, humanum motum exprimeret, eoque ipso planè se hominem esse demonstraret. Namque ad eum modum constat lo- cum hûc à Veteribus esse explicatum, ut pro compro- banda in Christo naturæ humanæ veritate facere pu- tarerur. Hunc ergo Christus fugiâtis animæ motum, quo mortem horrebat, non quomodo membra eius ex infirmitatē voluntatis, sed merè naturaliter, & habuit in se, & expressit. Sed habuit ex imperio voluntatis ad- missuram, non invito subortum. Habuit regēdum, non reprimendum; demonstrandum, non debellandum; obediētem, non refractarium, denique habuit eum sine omni reluctandi molestia ac perturbatione tran- quillissimæ mentis, in ea in qua debuit suæ naturæ par- te, subiectum. Sicut enim carnem passus est acerrimis doloribus affici; ex confixione clauorum: ita etiam animum permisit quæ propria ipsius erant, agere & pati. In integrâ enim, quemadmodum Leo Pontifex ait, veri hominis perfectæque natura, verus natus est Deus: totus in suis, totus in nostris. Nostra autem di- cimus, quæ in nobis ab initio creator condidit, & quæ repātanda suscepit. Nam illa quæ deceptor inuexit, & homo deceptus admisit, nullum habuerunt in Salua- tore vestigium. Et rursus Serm. 13. de pass. Domini, Idco; inquit, mæstitudine & ideo formidine non cate- bat, ut ad equincendas hâiūs mûdi perturbationes non solum, nos sacramento susceptionis, sed etiam exem- plo fortitudinis robareret. At quonam modo, inquis, vitia domare exemplo docuit, qui vitia ipse non do- mavit. Dicebat hoc quoque Iulianus, Nō potuit exem- plum dare; natura dissimilis. Cui respondens Augus- tinus, Potuit quidem, inquit; nam quid est quod nos ad imitationem Patris hortatur, qui facit Solem susti-

oriri

oriri super bonos & malos, nisi ut eius exemplo no- stros diligamus inimicos? Veruntamen natura homi- nis Christi, nostræ naturæ dissimilis non fuit, sed vitio nostro dissimilis fuit. Ille quippe sine vitio natus est homo, quod hominum nemo. Quantum autem ad vitam pertinet, qua Christum debemus imitari; hoc quoque ad distantiam plurimum valet, quod vnus- quisque nostrum homo est, ille autem etiam Deus. Neque enim tantum potest iustus homo esse; qui ho- mo est; quantum homo, qui & Deus est. Sic Augusti- nus. Non igitur exemplo suo vitia domare docuit, vi- tiis quibus ipse laboraret resistendo, sed nostris vitio- sis desideriis contraria & faciendo & patiendō.

CAPVT. X.

De sacramento nostræ liberationis, ac primum cur. ad homi- nem liberandum iustitiæ ratione potius quam solius osten- sione virtutis omnipotens Deus vsus sit.

VT verò iam exempli utilitate tractata, ad Sacra- menti considerationem veniamus, tenendū illud in primis est: variis atque innumeris omnino mo- dis, quos humanæ mentis non capit angustia, abiectō in turpissimam seruitutem generi nostro, succurrerō Deum Optimū Maximum potuisse. Namque vel ius- sione sola nūquæ potentissimæ voluntatis, iugum an- tiquæ seruitutis excussisset, & inueteratam carnis ve- rustatem demolitus esset, atque delevisset, si id visum fuisset sapientiæ eius. An qui hominem initio fecerat rectū, suoque spiritu ad iuste sapienterque vitendum ornauerat, non potuisset puncto temporis, vel depra- uatissimū suo vitio, reformare atque instaurare? Non principem tenebrarū foras eijcere, & eius in miserum captiuum confringere vires, malitiāmque coercere, protinus potuisset, si libuisset. Verū cū sola sua di- uinitatis virtute diabolum vincere, & hominem pec- catorem

N 5

catorem

In Psalm 21.
expos. 2. & in
Psalm. 12. cōc. 1.
& in Psalm 87.
& 89. & ma-
ximè 93.
Leo serm. 5. de
pass. Domini.
Agato in epi-
stola. August.
in fin. Psalm. 32

Serm. 3. de
Natiuitate.

August. lib. 5.
contra Iulian.
cap. 9. ad fin.

catorem erueret ex illius potestate faucibus: maluit iustitiam ingredi, eaque ratione vicisse videri. Idque totum propter nos, nostram in eo negotio spectans salutem & informationem. Vnde beatus Augustinus; Diabolus, inquit, non potentia Dei, sed iustitia superandus fuit. nam quid omnipotente potentius? aut cuius creaturæ potestas, potestati creatoris comparari potest? Sed cum diabolus vitio peruersitatis suæ factus sit amator potentiae, & desertor oppugnationis iustitiæ (sic enim & homines eum tanto magis imitantur, quanto magis neglecta, vel etiam perosa iustitia, potentiae student, eiusque vel adeptione lætantur, vel inflammantur cupiditate) placuit Deo, ut propter eruendum hominem de diaboli potestate, non potentia diabolus, sed iustitia vinceretur; atque ira & homines imitantes Christum, iustitia quaererent diabolum vincere, non potentia. non quod potentia quasi mali aliquid fugienda sit, sed ordo seruandus est, quo prior est iustitia. Sic, & diuus Leo, serm. 2. de Natiuitate: Verax, inquit, misericordia Dei eum ad reparandum humanum genus ineffabiliter multa suppeteret; hanc potissimum consulendi viam elegit, qua ad destruendum opus diaboli, non virtute vinceretur potestatis, sed ratione iustitiæ. Et iterum: Omnipotentia filij Dei quæ per eandem essentiam equalis est Patri, potuisset humanum genus à dominio diaboli, solo imperio suæ voluntatis erueret, nisi diuinis operibus maxime congruisset, ut nequitia hostilis aduersitas, de eo quod vicerat, vinceretur: & per ipsam materiam naturalis repararetur libertas, per quam generalis fuerat illata captiuitas. Sic ille.

CA. VLT. XI.

Quanam in re sita fuerit iustitiæ ratio, qua Deus hominem in libertatem asseruit.

Q. UOD si quaeras quanam in re sita sit iustitiæ hæc ratio, qua restitutus homo est in pristinam libertatem;

bertatem: relucet ea tibi primum in depulsione diaboli, qui ius quoddam sibi in hominem captiuum vendicabat. Nam quoddam volentem consentientemque pertraxerat in suum dominatum, præualeratque non opprimendo, sed persuadendo; iniuste videri potuisset de sua possessione deturbari, nisi in innocentem quempiam manifestè violentas suæ tyrannidis manus iniiceret. Itaque Deus omnipotens carne se nostra induit, verumque hominem, sed innocèntem & peccati communis expertem, diabolo obiecit: qui cum talis esset, ut facillè cæterorum similis existimaretur, hoc est, in peccato conceptus & natus, intraque illius ditiones tenebricosi principis constitutus, ab eo per iniustam violentiam oppressus est & occisus. Postquam igitur infantis effudit sanguinem, & in eum quem nulla ratione sibi teneret obnoxium, odio suæ crudelitatis iniussit: tanquam iniustus prædo, & alieni per summam iniustitiã occupator, iure de sua quoque est possessione deturbatus. Ita verbum Dei, inquit Augustinus, diabolum quem semper sub legibus suis habuit & habebat, homine indutum, etiam homini subiugauit, nihil ei extorquens violento dominatu, sed superans eum lege iustitiæ: ut quoniam femina decepta & deiecto per feminam viro, omnè prolem primi hominis tanquam peccatricem legibus mortis, malitiosa quidem nocendi cupiditate, sed tamen iure æquissimo vindicabat; tam diu potestas eius valeret, donec interficeret iustum in quo nihil dignum morte posset ostendere. Quæ est igitur iustitia, inquit idem, qua victus est diabolus? Quæ, nisi iustitia Iesu Christi? & quomodo victus est? quia cum in eo nihil dignum morte inueniret, occidit eum tamen. Et utique iustum est, ut debitores, quos tenebat, liberi dimittantur, in eum credentes quem sine vilo debito occidit. hoc est quod iustificari dicimur in sanguine Christi. Sic quippe in remissionem

Lib. 11. de
Trinit. c. 13.

Serm. 14. de
passion. Dom.

Lib. 3. de lib.
arbit. cap. 10.

Lib. 13. de
Trinit. cap. 14.

nem peccatorū innocens ille sanguis effusus est. Vnde se & in Psalmis inter mortuos liberū dicit. Solus enim à debito mortis liber est mortuus. Hæc & in alio Psalmo dicitur: Quæ non rapui, exsoluebam. rapinam volens intelligi peccatum, quod vsurpatum est contra licitum. Vnde per osetiam vniuersæ, sicut in Evangelio legitur, dicit: Ecce venit princeps mundi huius; & in me nihil inueniet. scilicet nullum peccatum: sed vt sciant omnes, inquit, quia voluntatem Patris mei facio, surgite, eamus hinc. Et pergit inde ad passionem, vt pro debitoribus nobis quod ipse nō debebat, exsolueret. Nunquid isto iure æquissimo diabolus vincetur, si potentia Christus cum illo agere, nō iustitia voluisset? Sed postposuit quod potuit, vt prius ageret quod oportuit. Et post: Iustitia, inquit, victus diabolus, quia Christus nullum peccatum habuit, & ab illo iniustissime est occisus: Potentia, quia reuixit mortuus; nunquam postea moriturus. Sed potentia diabolū vicisset etiam si ab illo non potuisset decidi: quamuis maioris sit potentia: etiam ipsam mortem vincere resurgens; quàm vitare viuendo. Sed aliud est propter quod iustificamur in Christi sanguine, cum per remissionem peccatorum eruiamur à diaboli potestate. hoc ad id pertinet, quod à Christo iustitia diabolus vincitur, non potentia, ad eum igitur modum. Augustinus: Quem secutus Leo Pontifex serm. 2. de Natiuitate, sic scriptum reliquit: Sciens, inquit, diabolus quo naturam humanam infecisset veneno, nequaquam credidit primæ transgressionis exsortem, quem tot documentis didicit esse mortalem. Perstitit ergo improbus prædo; & avarus exactor, in eum qui nihil ipsius habebat, insurgere: & dum vitata originis præiudicium generale persequitur, chirographum quo necabatur excidit: ab illo iniquitatis exigens pœnam, in quo nullam reperit culpam. Solutur itaque letifera pactionis malefada

con-

conscriptio, & per iniustitiam plus tendi, totius debiti summa vacatur. Fortis ille nescitur suis vinculis, & omne commentum maligni in caput ipsius retorquetur. Ligato mundi principe, captiuitatis vasa rapiuntur. Redit in honorem suum ab antiquis contagiis purgata natura: mors morte destruitur: natiuitas natiuitate reparatur. quoniam simul & redemptio auferit seruitutem, & regeneratio mutat originem, & fides iustificat peccatorem. Hæc Leo. Sed & is cuius existat sermones vetusti sanè sub titulo Eusebij Emisleni, Ille, inquit, inimicus Deum consuetudinaria presumptione deceptus appetit; & dum occidit liberum, amisit obnoxium: perdidit ius suum, dum inuadit hominem non suum. Sic ille homilia 6. de Pascha. Quorum per vestigia gradiens D. Bernardus, similem explicauit diuinæ iustitiæ in superando humani generis hoste rationem, epistola 190. quæ scripta est ad Innocentium Pontificem. Cæterum ita quoque diuinæ iustitiæ ratio perspici poterit, si ad ipsum respexerimus Deum, cui iure nobis irato, Filii Dei moriendo plenissime satisfecit. quæ res vt altius paulo repetito principio explanetur, animaduertendum est, id habere ordinatas leges, secundum quas Deus gubernat hunc mundum, vt inter iustos & iniustos discretio sit: & sicut nullum bonum manet irremuneratum, ita nullum malum impunitum relinquatur. Cuius suæ iustitiæ Deus, qua reddit cuique secundum opera, vestigia & participationes quasdam impressit cordibus nostris: Et secundum hunc quidem primæ institutionis ordinem, damnandum erat proculdubio humanum genus. sicut è diuerso Angeli, qui perstiterunt, vitam beatam sunt consecuti: qui verò deseruerunt Deum per superbiam, æternis sunt mancipati tormentis. Sicque nos quoque iusto iudicio damnari vniuersi poteramus, damnatiq. fuissetemus, si in hoc Deus iustitiæ suæ rationem secutus fuisset.

Rom. 14.

Alii 189.

fuiſſet. at voluit ille nos altiori conſilio ſapientiæ be-
 nitatisque ſuæ liberare, parteque humani generis in
 damnatione relicta, partem ad ſalutem & confortium
 angelicum reducere. In quo perficiendo, ſi voluiſſet
 potentia ſola, ſicuti antea dictum eſt, vti; deturbando
 diabolum de ſuo principatu; quis ei dicere potuiſſet,
 quare ſic faceret? hoc enim feciſſet præter leges conſti-
 tutas in rebus, ſupraque naturalem ordinem, cui ſubij-
 ci non poterat. Sed noluit à iuſtitia ratione diſcedere,
 conuenientiſſimūque iudicauit ſic liberari humanum
 genus, vt in liberationis modo, & potentia & iuſtitia
 & ſapientia miſericordiaque ſimul elucerent. Atque
 ea ſanè fuit congruentiſſima ratio, in qua hæc illuſtriſ-
 ſima apparerent omnia. Et miſericordia quidem in eo
 maxima fulget, quòd cum eſſemus mortis æternæ rei,
 Deoque inimici, & ſub diaboli poteſtatem miſeranda
 ſeruitute redacti; dignatus ſit nos etipere, idque miſſo
 etiam ad eam rem filio ſuo chariſſimo. Iuſtitia verò,
 quòd noluerit peccata hominum proſus impunita
 relinqui, ſed iuſtitia ſatis fieri, pretio condigno oblato.
 Quia igitur meriti eramus mortem, Filius Dei, Deus
 ipſe, mortē noſtri cauſa ſuſcepit. Vt, quemadmodum
 D. Ambroſius ait, quia non queunt diuina decreta ſol-
 ui, perſona magis quam ſentētia mutaretur. Lex enim
 naturæ primū requirit obſeruationem ſui, qua in ob-
 ſeruatione, iuſtitia eſt. ſin violetur, exigit pœnā, quam
 tranſgredientibus comminatur: atque in eo quoque
 iuſtitia eſt, vt pro meritis quiſque ſuis puniatur; aut ſi
 legiſlatoris ſingulari diſpenſatione fiat, vt is qui pecca-
 uit, nō luat ſupplicium; ſaltem alius pro eo ſatisfaciat,
 & pœnas quas ille merebatur, expēdat. Et quia inno-
 centem pro nocēte ad pœnam trahi, iniuſtum erat, id-
 circo Deus ipſe homo eſt factus, vt pati pro nobis pos-
 ſet: iſtoque modo iudex ipſe cauſam reorum in ſe ſuſ-
 cepit. Ita nec violata iuſtitia eſt, damnatione inſonit;
 quia

quia iudex ipſe pati pro reo dignatus eſt: & eſt iuſtitia
 cumulata ſatisfactum, quæ pœnam pro peccato requi-
 rebat. Valde ergo congruebat, Deum fieri hominem,
 pati que humana, vt diabolus non per ſolā potentiam,
 verumetiam per iuſtitiam vinceretur, quā videlicet
 ipſius Dei morte, exſolueretur pro peccatis ſupplicium;
 placatoque ſic Deo, ſolueretur captiuitas noſtra, & prin-
 ceptus huius mūdi foras pelleretur. Neque verò iuſtitia
 hanc rationem prætermiſit is, cuius antè meminimus,
 Eufebius: Ex multis, ait, cauſis aliqua nobis breuiter
 explicandæ ſunt, quibus neceſſe habuerit Dominus ho-
 minem adſumere, & incarnationis ſacramenta ſuſci-
 pere. Prima, inquit, iuſtitia cauſa eſt, ſicut ipſe Domi-
 nus dicit: Sine modò, ſic enim decet nos implere om-
 nem iuſtitiam. Peccauerat enim primus homo ſuo vi-
 tio ſeductus à diabolo, non coactus: & ideo per miſe-
 ricordiam poterat redimi quaſi reus, non debebat per
 potentia quaſi innocens liberari. & mox iterum: Con-
 ditio ergo humana, inquit, quæ per peccatum primi
 hominis tenebatur obnoxia, non imperio erat eruenda,
 ſed pretio. Hæc ille, declarans ſi fuiſſet homo com-
 pulſus & violenter oppreſſus, tunc conueniens fuiſſe
 futurum, vt per potētia diabolus pelleretur: At quia
 rerum ſeſe homo conſentiendo fecerit, iuſtitia habenda
 fuiſſe rationem, vt pretio iuſto redimeretur. Id-
 circo etiam non quamlibet obiit mortem Dei Filius,
 ſed quo redemptioni noſtræ ſatisfaceret, mortis genus
 ipſe delegit, in quo & damnationem ad ſe traducens
 & piaculum in ſe recipiens, vtroque nos liberaret. Si
 enim à latronibus iugulatus fuiſſet, vel tumultuariè
 cæſus per ſeditionem vulgi, in eiufmodi morte non ita
 luculenta ſatisfactionis ſpecies exiſtiſſet. Verum vbi
 reus ad tribunal ſiſtitur, teſtimoniis arguitur & premi-
 tur, ipſius iudicis ore morti addicitur: his documentis
 intelligimus, ipſum perſonam ſontis & malefici iuſti-
 nere.

nere. Quamobrem & à Propheta prædictum erat, fore ut inter iniquos deputeretur, quo nimirum peccatoris, non iusti aut infantis vices obiret. Hic igitur illud est redemptionis nostræ pretium, cuius toties sacræ literæ meminerunt. Scientes, inquit Petrus, quòd non corruptibilibus, auro vel argento, redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis: sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati. hîc meritum illud, cuius intuitu Pater, & fidem incredulis, & bonam voluntatem deprauatis, & omnia cætera quæ ad veram pertinent libertatem, electis suis quotidie mira benignitate largitur. Nam pro eo quod laborauit anima eius, inquit Pater, videbit & saturabitur: in scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Idcirco dispersit ei plurimos, & fortiù diuidet spolia; pro eo quòd tradidit in mortem animam suam, & cum sceleratis reputatus est. Hîc sacrificium illud verissimum, cuius vmbre fuerunt sacrificia legis omnia. seipsum enim Dei Filius per volutariam mortem offerens, vnaque hac oblatione, consummans in æternum sanctificatos, veterum sacrificiorum vmbas impleuit; implendoque aboleuit. Quia enim illa placere per se ipsa non poterant, nec si in vnum quidem omnia conflarentur; Libanusque ipse totus ad holocaustum in iis exhibendum inflammaretur: idcirco venit ipse in corpore mortali, quem præfigurarât illa omnia; vt sui nos oblatione gratissimoque per seipsum sacrificio, reconciliaret, sanctificaret, veraque vita & libertate donaret. Hinc fiduciam per ipsum habemus, inquit Apostolus, per sanguinem eius, in introitu sanctorum, siue in gloriam cælestem: qui dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis, oblationem & hostiam Deo, in odorem suauitatis. huius igitur sanguis pretiosus; qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum

Deo,

Deo, emundauit consciências nostras ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti. Purgatos verò nos à peccatorum sordibus, Deoque vera libertate seruientes, euehet idem ille sanguis ad beatam immortalitatem: vt non sit; quamobrem hâc mortem magnopere formidare debeamus, quam ille sua morte destruxit, subactò prostratoque eo, qui mortis habebat imperium. Vnius, inquit Ambrosius, morte mundus redemptus est. Potuit enim Christus non mori, si voluisset, sed neque refugiendam mortem tanquam ignauam putauit, neque melius nos quam moriêdo seruasset. Itaque mors eius, vita est omnium; morte eius signamur: mortem eius orantes annunciamus: mortem eius offerentes prædicamus: mors eius, victoria eius: mors eius sacramentum est: mors eius, annua solennitas mundi est. Quid præterea de eius morte dicamus, cum diuino probemus exemplo, quoniã immortalitatem mors sola quaesuit, atque ipsa se mors redemit? Non igitur mœrenda mors, quæ causa salutis est publicæ: non fugienda mors, quam Dei Filius non dedignatus non refugit. Hæc ille cap. 8. & 9. libri de fide resurrectionis. Hominein ergo Dei filiù esse oportuit, vt moreretur: mori autem, vt sacrificaretur. Vnde enim, inquit Augustinus in Psalm. 84. sacrificium offerret pro peccatis nostris, nisi moreretur? Sacrificari porò Dei Filium necesse fuit, vt tali sacrificio Patris ira placaretur. Quia enim in mundo non inuenit mundum quod offerret, seipsum obtulit, peccati totius expertem.

CAPVT XII.

*Non hominem merum, aut Angelum liberare nos potuisse,
sed eum solum qui Deus simul esset ac homo.*

EX quibus intelligitur, non vulgaris hominis sufficisse mortem, quantumuis ille iustus esset & innocens, multa que erga Deum & homines charitate flaret:

O

graret:

1. Pet. 1.

Mat. 53.

Hebr. 10.

Hebr. 5.

Hebr. 9.

graret: sed omnino Deum & hominem esse, qui nos redimere posset, oportuisse. Si enim Angelus esset duntaxat aut Deus, mori non posset: cum tamen pro morte quam merueramus, mortis compensationem diuina iustitia requireret. Si autem homo tantum esset, non Deus, tanti pretij non esset ea mors, ut æquare posset offensam seu pœnã quam incurreramus. Quid enim est vnus hominis temporaria mors, si cum æterna, nec vnus hominis, sed totius generis morte conferatur? Namque etsi mihi illum fingas innocentem, & omni virtutum genere instructum; si eundem à Spiritu sancto constituas ad mortem subeundam impelli; sibi quidem ille magnum promereri præmium poterit; at pro tot hominum æterna damnatione, nihil omnino condignum exsoluet. Nocere quippe vnus homo ac perniciosus esse omnibus potuit, qui ex eo nascerentur: sed quos perdidit, ad salutem reuocare, quocunque tormentorum mortisque genere afficeretur, non potuit. Etenim ut offensam præterias, propter quam indiget ipse liberatore; ut illam facias gratuito Dei beneficio sic abolitam, ut ne vestigiũ quidem eius supersit vllũ; tamen neque ex personę dignitate, neque ex acerbitate supplicij, potest quicquid tolerauerit par esse sempiternis omnium in gehenna tormentis. At verò ipsius Dei morte quid potest pretiosius reperiri? Nam etsi vnus patiebatur (inquit doctissimus Cyrillus) tamen ut Deus, supra omnem creaturam est dignus, & vita omnium multo præstantior. Idcirco iniquitas omnis obstruxit os suum, ut Psalmista canit, & peccati lingua obticuit, cum delinquentes accusare non possit. Iustificati enim sumus, cum debita nostra pro nobis Christus reddiderit. Liure namque eius sanati omnes sumus. Et rursus libro priore de recta fide ad Reginas, Saluauit, inquit, mors Christi, obrulit enim suam carnẽ pro nobis, & dans seipsum morti propter

nos, omnes à mortis eripuit vinculis. Sufficiens enim fuit vnus pro omnibus moriens, qui dignissimus erat omnium: quia & natura Deus, Verbum ex Patre est, & proprium eius corpus fuit, quod pro nobis in odorem suauitatis, Deo & Patri oblatum est. Sic ille. Accedebat autem, sicuti par erat, ad tam inestimabilem personę dignitatem, singularis quædam naturę humanę integritas, & inculpata modis omnibus animi mundicię: per quam ex ipsa contractam origine, quę de Spiritu sancto processerit, efficiebatur, ut nullo redemptore, qui nunquam fuisset captiuus, indigeret. Hęc igitur duo sunt, propter quæ solus ille redemptor, solus mediator Dei & hominum, solus liberator & medicus animarum esse potuerit: videlicet diuinitas cum naturę humanę candore & singulari puritate coniuncta. Si enim Deus non esset, inquit Leo, non afferret remedium: neque natura humana, quilibet pura & libera, ad auferendum mundi peccatum sufficiens atque idonea staret, nisi vnione verbi Dei, non naturali confusione, sed solũ personali vnitate mirificè sublimaretur. Si autem communi nascentium lege, sub peccati iugo teneretur, quoniam modo subuenire captiuis potuisset, qui esset ipse captiuus? quam suę naturę gratiam satis hostiam obrulisset, quam peccato contaminatam reperiri necesse esset, nisi eius cui offerretur, gratia purgaretur? At filius Dei, nostrę (ut D. Chrysostomus ait) naturę primitias obtulit Patri: & oblatum donum miratus est Pater, quod tanta dignitas offerebat, & quod offerebatur nulla macula scedabatur. Animaduertis, opinor, duo illa quę commemorauimus, diuum Chrysostomum studiosè coniunxisse: nimirum dignitatem personę seipsam offerentis, quę ex diuinitate erat infinita & inexplicabilis: & eiusdem in natura quam assumpserat, expertem maculę omnis integritatem. Sanè beatus Apostolus in epistola ad

Lib. 12. in
Ioa. Cap. 29.

Homilie de
Ascensione.

Hebræos, de Christi sacerdotio, quo omnium expiata peccata sunt, differens, eiusque præ Aaronico incomparabilem excellentiam demonstrans, in id incumbit maximè, vt Christi sacerdotis secundū ordinem Melchisedech diuinitatē puritatemq. singularē adstruat, ex eaque præstantiam euincat sacrificij crucis inastimabilem. Talis decebat, inquit, vt esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus: qui non habet necessitatem quotidie (quemadmodum sacerdotes) prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi. hoc enim fecit semel se offerendo. Lex enim homines constituit sacerdotes, infirmitatem habentes: sermo autē iuristurandi qui post legem est, Filium in aternū perfectum. Præclarè igitur D. Ambrosius, cum rationem persuadēdi hæc quæ de Christi morte dicimus, præscriberet: Hæc, inquit, est fidei gloria, si verè intelligas crucem Christi: aliæ cruces nihil mihi profunt, sola crux Christi mihi utilis est. Et verè utilis, per quam mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Si mihi crucifixus est mundus, scio quia mortuus est, non diligo eum: scio quia præterit, non concupisco eum: scio quia corruptela consumet hunc mūdum; quasi fætidum vito, quasi luem caueo, quasi nociturum relinquo. Sed non statim per crucem possunt aliqui credere salutē mūdo refusam. Adstrue ergo per historias Græcorum hoc fuisse possibile. Sic interdum etiam Apostolus suadet incredulīs, nec versus refugit poëticos, vt fabulas destruat poëtarum. Si enim reuocetur in memoriā quod legiones sæpe & magnos populos, oblati aliquorum mortibus, historiæ Græcorum asserant liberatos: Si recordentur quod Imperatoris filia, propter Græcorum exercitus transferendos, ad sacrificium sit vocata: Si nostrum illud consideremus, quia sanguis taurorum & hircorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos san-

ctificat

ctificat ad carnē emundandam, sicut ad Hebræos scri-
ptum est: Si pestilentia regionum aliquibus hominum contracta peccatis, vnus alicuius morte asseritur esse resoluta: quod aut ratione præualuit, aut dispositione conualuit, quo facilius in crucem Domini crederetur: procliuè erit, vt qui sua negare non possunt, nostra confirmēt. Sed quoniam nullus hominum tantus esse potuit, qui totius mūdi peccata tolleret; neque Enoch, neque Abraham, neque Isaac, qui licet morti se obtulerit, seruatus tamen est, quia omnium non poterat abolere peccata; quis enim tantus homo, in quo omnium peccata morentur? idcirco non vnus è plebe, non vnus è numero, sed Dei Filius à Deo Patrè electus est. Qui cum supra omnes esset, pro omnibus se posse offerre: quem mori oportuit, vt cum esset fortior morte, alios liberaret: Factus inter mortuos sine adiutorio liber: sine adiuuamento scilicet hominis, aut alicuius creaturæ: liber à morte: & bene liber, qui seruitutem cupiditatum repulit, mortis vincula nesciuit. Et rursum, libro quinto: Quæredus est, inquit, medicus. Sed quis iste tantus est, qui laiciæ mētis medeat vulnibus? Quis tantus est homo, qui possit aliis subuenire, cum sibi ipse nō possit? Quis aliis possit vitam reddere, cum ipse mortem nō possit euadere? Omnes in Adam moriuntur, quia per vnū hominem in hunc mūdum peccatum introiuit, & per peccatum mors; ita in omnes homines pertransiit, in quo omnes peccauerunt. Illius igitur culpa, mors omniū est. Denique missi sunt Sancti, missi sunt & Prophetæ, qui oracula diuina loquerentur; nec quicquam promouere potuerunt. Quæramus ergo aliquem de Angelis aut Archangelis medicum: sed quemadmodum mihi possunt præsidium ferre ne peccem, cum ipse Archangelus à peccato non potuerit abstinere? Quemadmodum ad Paradisum Angelus reuocare me poterit, cum ipse Sathanas & an-

O 3

geli

Hebr. 7.

Lib. 6. in Luc.
cap. ultimo.

Galat. 6.

Iobigenia filia
Agamemnonis.

Psalm. 87.

geli sui, sedem quam acceperant, seruare non poterunt. Et iterum libro 4. Quis tantus esset dux qui prodesset omnibus, nisi ille qui supra omnes est? Quis me supra mundū constitueret, nisi qui maior est mundo? Quis tantus esset dux, qui posset masculū & feminam, Iudæum & Græcum, barbarum & Schytam, seruum & liberum vno regere ductu, nisi solus qui est omnia & in omnibus, Christus? Hæc D. Ambrosius. Qui quod ait primo loco, reliquas nihil prodesse crucis, si ad solum respexisset exemplum, nullo profecto modo dixisset. Quis enim nesciat vel beati Apostolorum principis crucem plurimū exempli utilitate profuisse? Sed altiore consideratione & insigni illa fidei gloria, quam in eo dicit esse sitam, vt verè Christi crux intelligatur, mysterium nobis crucis mortis que aperire voluit. Hoc autem mysterium & arcanum in eo plane positum est, si in illa quauis probrosa cruce, pretium cogites infinitum, quo & mundus redemptus est, & mille, si tot fuissent, alij redimi potuissent. Multo si quidem plura (ait Chrysostomus) Christus pro nobis exsoluit, quàm debeamus, tantoque plura quāto guttulam: exiguam pelagus excellit immensum. Si item meritum intuearis singulare, cuius intuitu omnia quecunque sunt salutaria, hominibus alioqui indignis tribuuntur: si remedium spectes, quo deprauato generi nostro ad bene beateque viuendum, potentissimè succurritur: si denique sacrificium illud vnicum vnius Dei & hominū mediatoris, cuius oblatione omnium electorum perfecta est salus, contempleris. Sed est Leo Pontifex in hoc tanto mysterio explicando varius & eloquens, dignusque omnino, cuius per verba singula, grauissimæ sententiæ annotentur. Et sermone quidem eo, qui quintus est de passione Dominica: Iustus, inquit, & misericors Deus non sic iniuria suæ voluntatis est vsus, vt & ad reparationem nostram, solam

poten-

potentiam benignitatis exercebat: sed quia consequens fuerat, vt homo faciens peccatum, seruus esset peccati; sic medicina ægris, sic reconciliatio reis, sic redemptio est impensa captiuis, vt condemnationis iustæ sententia, iusto liberatoris opere solueretur. Nam si pro peccatoribus sola se opponeret deitas, non tam ratio diabolum vinceret quàm potestas. Et rursus, si causam lapsum sola ageret natura mortaliū, non erueretur à conditione, quæ libera non esset à genere. Vnde oportuit in vnum Dominum nostrum Iesum Christum & diuinam & humanam conuenire substantiam: vt mortalitati nostræ per Verbum carnem factum, & originouum hominis subueniret, & passio. Et sermone 8. de Natiuitate Domini: In totius, inquit, generis strage communi, vnum solum fuit remedium sub diuinæ rationis occulto quod posset subuenire prostratis, si aliquis filiorum Adam, originalis præuicationis alienus atque innocens nasceretur; qui cæteris exemplo prodesset, & merito. Sed quia hoc naturalis generatio non sinebat, nec poterat vitiatæ radicis sine semine propagare esse, de quo scriptura dicit: Quis potest facere mundum, de immundo conceptū semine? nonne tu quis solus es? Dominus David, factus est Filius David: & de promissi generis fructu, proles est ortus sine vitio; in vnam personam gemina conueniente natura: vt eodem conceptu, eodemque partu, gigneretur Dominus noster Iesus Christus, cui vera inesset deitas ad miracula operum, & vera humanitas ad toleratiam passionum. Et sermone septimo, Aliter, inquit, ab æternæ mortis vinculis non possemus absolui, nisi in nostris fieret humilis, qui omnipotens permaneret in suis. Et serm. 5. Nisi Verbum Dei, caro fieret, mors adhuc regnaret ab Adam. Et quarto: Nisi ad humana descendere dignaretur omnipotens, nulla quenquam species iustitiæ, nulla forma sapientiæ, à captiuitate diaboli, & à pro-

fundo aeternae mortis erueret. Condemnatio enim ex vno in omnes transiens permaneret; & letali vulnere tabefacta natura, nullum remedium reperiret: quia conditionem suam, suis viribus mutare non posset. Et sermone tertio: Offerenda erat pro reconciliandis hostia, quae esset nostri generis socias, & nostrae contaminationis aliena: ut hoc propositum Dei, quo peccatum mundi in Iesu Christi placuit natiuitate ac passione delere, ad omnium generationum secula pertineret. Et haec quidem apud Leonem scripta repertiuntur. Sed & diuus Fulgentius libro secundo ad Trasimundum Regem, cap. 2. de eodem mysterio haec luculenter satis explicata reliquit: Inquirendus, inquit, fuit vnus, cuius esset natura hominum reformanda munere, informanda lumine, confirmanda virtute: ut aequalitas aeterna iustificaret impiam, instrueret insciam veritas, virtus firmaret inualidam. Sed hoc nunquid posset homo per solum hominem, aut in solo quolibet homine reperire? Nullo modo. Quis enim homo posset existere medicus humani vulneris, cum omnes in radice vitiosa, communio circumplecteretur vitij naturalis? vel qualiter posset per se solum medicum vulneratis afferre, cuius ortu teneretur in vulnere? quomodo beneficentiae largitor vniuersalis existeret, quem alienae opis indigam natura monstraret? Verae igitur salutis exhaustus homo diuitiis, perenni bonorum possessione priuatis, forsitan angelico fuit iuamine subleuandus; ut ille qui domus luteae feculentus ergastulo, ad facultatem purioris vitae nequiuisset aliquatenus adspirare, gratia iuuaretur opitulationis angelicae, qua pristinae offensionis deposuisset illuuiem, & amissae dum puritatis resumeret dignitatem. Veruntamen nec angelico poterat hoc reparationis munus adipisci subsidio. Angelica quippe natura tunc homini reparando aliquatenus esset idonea, si cadendi mobilitate nunquam

natu-

naturaliter fuisset obstructa. Cum vero se iuauimus egenam, contubstantialis ruinae documento testetur; profecto cognoscitur multo minus ad humanae posse redintegrationis efficaciam redundare, quae propriae nequeat stabilitati sufficere. Suis autem ad custodiam sibi fat esse viribus non incongrue crederetur, si nulla pars eius in deterius laberetur. Vnitas enim naturalis vniuersitatem circumplexa naturam angelicam, tota procul dubio maneret impassibilitatis firmamento subnixam, si passioni non esse posset obnoxia: nec vnquam pateretur in reliquo, quod perpeti non posset in toto. Cum vero quaedam pars eius de caelesti beatitudinis culmine, in imam perpetuamque cernitur deuoluta miseriam, Beato Petro dicente: Quia Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed carceribus caliginis inferni tradidit, in iudicio puniendos referuari; profecto cognoscitur vniuersi cunctos opprimi potuisse ruinae consortio, nisi quos vellent a casu prauitatis virtus illa defenderet, quae sola naturaliter mutari depravari que non posset. Ipsa igitur etiam homini reparando fuit necessaria: quia non alia stantem angelum a ruina potuit custodire, nisi illa quae lapsum hominem, post ruinam potuit reparare. Vna est in vitroque gratia operata: in hoc ut surgeret, in illo ne caderet. In illo, ne vulneraretur: in isto, ut sanaretur. Ab hoc infirmitatem repulit, illum infirmari non sinit. Illius esca, istius medicina. Hunc autem quisquis sanum sapit, filium Dei esse non ambigit, qui est virtus & sapientia Patris: Sapientia, quae cuncta disposuit: virtus, quae omnia creauit. Sapientia, quae illuminat: virtus, quae adiutorium praestat. Sapientia, quia immutabilis; virtus, quia insuperabilis. Haec tenus Fulgentius. Cui & illa apud Emisenum scripta pulchre consonant. Placuit, inquit, Deo secundum iustitiam suam pro humano genere offerre hominem purum & immaculatum, segregatum a pec-

Epist. 1. cap. 2.

catoribus. Sed talem regio nostra non habet: quia non subuenire peccato poterat simili peccato obnoxius; nec interuenire pro seruis, astrictus legibus seruitutis. Hæc homilia 6. de Pascha. Homilia verò vndecima: Dicis, inquit, poruisset Deus per aliquem Angelorum commodius redemptionis nostræ administrare militiam. Non ita est. nam inordinatū & indecens erat, vt quod factor condiderat, factura repararet. Simul persona vnus angeli valere non poterat totius mūdi salutem. & infra, Cur, inquit, non per angelum? quia absoluere creaturam creatura non poterat, quia impossibile erat; vt conferuus seruis tribueret libertatē; impossibile erāt; vt peccati capax peccata donaret, & Dei famulus Dei munus impleret. hoc apud veteres de tanti mysterij ratione. Nec verò aliud quicquam aptius significat locus Apocalypsis quinto, vbi liber ille ponitur captiuitatis humanæ, scriptus intus & foris, propter ipsa cū occultata, tum & manifesta hominum peccata, quibus mortis rei tenebantur. Cuius libri cū neque in cælo, neque in terra, neque subtus terram, posset quisquam firmissima signacula, propter incommutabile iustitiæ diuinæ decretum, resolueret (cui iustitiæ nulla pura poterat satisfacere creatura) flebat Ioannes multum: quoniam nemo dignus inuentus est; aperire librum; nec videre eum. sed vnus è senioribus dicit illi: Ne flexeris. Ecce vicit Leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum, & soluere septem signacula eius. Quod vt intelligatur dictum propter sacramentum redemptionis, quam Agnus ille sua morte peregit, sequentia faciunt. Quippe cū aperuisset librum, tales ei laudes offeruntur: Dignus es Domine accipere librum; & aperire signacula eius: quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu. Hic igitur est qui liberavit pauperem à potente, & pauperem cui non erat adiutor, nisi videlicet ille adiunxerit. Non enim,

enim hoc, inquit Augustinus in Psalmum 71. efficere potuit vel cuiusquam virtus, vel quisquam homo iustus, vel aliquis angelus.

CAPVT XIII.

Quanta diuini verbi sapientia reluceat in opere humana liberationis.

Sed quo plenius mysterij huius magnitudo perspicatur, operæpretium fuerit, diuinæ sapientiæ, quæ nostræ redemptionis opus executus est Dei filius, quoad nostra quiuerit imbecillitas, contemplari rationem. Neque enim de nihilo esse censendum est, quod Dei Filius peculiariter in sacris literis Sapientiæ nomine crebrò designetur. Nam cū pronunciat in scripturis vel narratur aliquid de Sapientia, siue dicente ipsa, siue cū de illa dicitur, Filius nobis potissimum insinuat, inquit Augustinus. Exempla sunt, velut in Euangelio: Propterea Sapientia Dei dixit, Ecce ego mitto ad vos Prophetas, &c. Quo loco de seipso sic loqui Dei Filium, & Matthæo constat: apud quem hoc ita expressum est, vt Christus ipse loqui significetur: Ecce ego mitto ad vos, &c. Item: Iustificata est sapientia à filiis suis: id est, ego ipse qui: Dei sum Sapientia. Et in epistola priore ad Corinthios, dicitur Christus Dei Cap. 1. virtus & Sapientia. Ac rursum, Qui factus est, inquit Paulus, nobis sapientia. In veteri quoque Instrumēto multa sunt loca, vt Prouerbiorum 8. & 9. Sapientiæ 7. 9. & 10. Per sapientiam, inquit, sanati sunt, quicumque placuerunt tibi. id est, per Christum incarnatum. Ecclesiastici quoque vigesimo quarto, & Baruch tertio id ipsum non obscure significatum reperias. Quenam igitur rogo hinc diuinæ Sapientiæ subtilitas? Principiū magnæ apud homines sapientiæ putatur esse consilium, si tectis & occultis insidiis, versutus hostis capiatur. hoc autem consilio vsus est Dei Filius, ad diabolum circumueniendum. Siquidem assumptæ in eo naturæ Cap. 1. infir-

infirmitas, potentiam deitatis: forma serui, maiestatem Dei abscondit. Communicauit, Paulo teste, carni & sanguini: mortalis ac miser inter mortales versatus est, per omnia nostri similis absque peccato. Quis hominem illum, facile fuisset suspicatus mundi esse redemptorem? quoniam modo vel diabolus persuadere sibi potuisset, hunc captiuitatem humani generis solutorum, qui ipse de numero vitiosorum & captiuorum esse videretur? vnde Leo Serm. 2. de Natiuitate, Virtutem, inquit, inseparabilis à suo homine deitatis, per velamen nostrę infirmitatis abscondit. Illusa est securi hostis astutia, qui natiuitatem pueri, in salutem generis humani procreati, non aliter sibi quam omnium nascentium putauit obnoxiam. Vidit enim vagientem atque lacrymantem, vidit pannis inuolutum, circumcisioni subditum, & legalis sacrificij oblatione perfunctum. Agnouit deinceps solita puertitę incrementa, & vsque in viriles annos de naturalibus non dubitauit augmentis. Inter hæc, intulit contumelias, multiplicauit iniurias, adhibuit maledicta, opprobria, blasphemias, conuicia: omnem postremò in ipsum vim sui furoris effudit. omnia tentamentorum genera percurrit, & sciens quo humanam naturam infecisset veneno, nequaquam credidit primę transgressionis exortem, quęna tot documētis didicit esse mortalem. Et beatus Ambrosius, Non potuit, inquit, meliùs laqueus conteri, nisi prædam aliquam diabolo demonstrasset: vt dum ille festinaret ad prædã, suis laqueis ligaretur, vt ego possim dicere: laqueos parauerunt pedibus meis, & ipsi inciderunt in eos. Quę potuit esse præda nisi corpus? Oportuit igitur hanc fraudem diabolo fieri, vt susciperet corpus Dominus Iesus; & corpus hoc corruptibile, corpus infirmum, vt crucifigeretur ex infirmitate. Ad similem & diuus Cyrillus modum: Quoniam, inquit, non poterat aliter humanum genus

ex mor-

ex morte, in quam cecidit, ad vitam resurgere, nisi Filius Dei homo factus esset; imminebat autem propter crudelitatem Iudæorum mors acerbissima: idcirco quod per se non voluntarium homini fuit, voluntarium fecit. id enim natura diuina, ex misericordia sua volebat. nam opifex omnium sapientia, id est, Filius Dei, quod diaboli malitia præparauerat, crudelem dico eius in carnie mortem, id salutis viam, id vitę ianuam effecit. Ita in contrarium spes diaboli versa est, vt vix post hæc cognouerit durum sibi fuisse aduersus Deum pugnare. Quod mihi videtur Psalmista subaperuisse, cum de Christo & diabolo dicat: In laqueo suo humiliabit eum. Nam mortem quasi laqueum, Christo diabolus præparauerat: sed in ipso laqueo suo humiliatus est; mors enim in morte Christi destructa est, & tyrannus cecidit, qui se id passurum non formidabat. Hęc illi. Itaque diuinę sapietię miro consilio ludificatus princeps tenebrarum, nesciuit quis aut quātus esset Christus. vnde Paulus de seculi principibus, hoc est, demonibus: Si cognouissent, inquit, nunquã Dominum glorię crucifixissent. Id ipsum testatur & Ignatius in Epistolis, & Leo in sermonibus sæpe. Ac nono quidem in ijs qui sunt de passione Domini, sic expressum reliquit: Nec ipse, inquit, diabolus intellexit quod sequendo in Christum, suum destrueret principatum. Qui antiquę fraudis iura non perderet, si se à Domini Iesu sanguine contineret. Sed malitia nocendi audus dum irruit, ruit: dum capit, captus est: dum persequitur mortalem, incidit in Saluatorem. Hęc ergo videre licebat Dauidem, specie quidem & statura pusillum, sed ope diuina fortem; armis penè nullis instructum, sed diuino præsidio munitissimum: congregientem cum gigante Goliath, ingentis magnitudinis viro; assuetoque bellis. latebat enim in exiguo corpufculo diuina virtus, ad gigantem debellandum. quę si anie certamen

sele

Psalm. 9.

1. Cor. 2.

*Ad demones
revertit Pauli
lo. um 8. Leo
serm. 18. de
passione Domini.*

*Circa principium, lib. 4. in
Luceam.*

*Libro 4. in
Joan. cap. 1.*

se fe prodidisset, nulla futura fuisset, hoste fugitante, victoria. Sic Dominus insidiis occultauit quis esset, ne si id cognosceretur, impediretur opus redemptionis nostræ. Nam ex insidiis adoriri hostem, aliquando infirmitatis est argumentum, quando palam congredi non audemus. aliquando verò prudentiæ est maximæ: ne videlicet si quis aperto Marte cōgrediatur, seq. ipsum aperiat, sine cōflictu hostis abscedat. Ita enim si scisset diabolus eum quem persequebatur esse, Dei filium; facile molliuisset humana quadam māsuetudine Pharisæorum & Scribarum animos, vt à persequendo desisterent, quemadmodū id expressum est à diuo Leone Serm. 11. de Passione Domini. Si enim, inquit, crudelis & superbus inimicus consilium misericordiæ Dei nosse potuisset, Iudæorum animos mansuetudine potiùs temperare, quàm iniustis odiis studiuisset accendere: ne omnium captiuorū amitteret seruitutem, dum nihil sibi debentis persequitur libertatem. Hæc Leo. Magnæ quoque sapientiæ est, sic actu rem tractare, vt tum vincatur hostis, cū sibi vicisse videatur, sic actū & à Christo. arbitratus est diabolus se vicisse Christum, affixus cū esset cruci, probroso supplicij genere: atqui per hoc ipsum Christus victor erat diaboli, sic demum persoluto Patri pretio redemptionis nostræ. Cuius rei discipuli quoque ipsi cū adhuc essent ignari, querula voce colloquebantur, dicentes mortuo Christo: Putabamus quod ipse redempturus esset Israël. Nesciebant videlicet eo ipso Christum redemptorem futurum, quo mortem pro nobis opteteret. Cū se igitur diabolus Christo mortuo, superiore euasisse putaret; ipsa morte prostratus est, victusque eo ipso quo se non dubitabat esse victorem. Vnde ad Colossenses cap. 2. beatus Apostolus non abs re triumphum, quē sibi Christus in cruce peperit, magnificè prædicat, ac si crux quæ plena erat dedecori-

ris,

ris, conuersa esset in currum triumphalem: Exspoliatus, inquit, principatus & potestates, traduxit palam confidenter, triumphans eos in semetipso: palam videlicet demonstrans victos. esse & deiectos. Quia cū exaltatus fuero, inquit, tum omnia traham ad meipsum. hîc Sampson verus apparuit, qui eo maximè hostes strauit, quo mortuus est. Tertio prudentiæ militaris magnæ iudicari solet, in angustiis rerum peneque salute desperata, stratagemate quodam & noua mirandaque ratione, salutem recuperare, & vincere hostem. Sic Christus desperatissima re, stratagema inuenit. Erat enim alioqui desperatum de salute humani generis, tot adhibitis frustra remediis. Namque non Leuita, non Sacerdos præteriens sanauit: nihil baculus Helisei valuit; nulla profuit philosophia; non lex, non timor, non natura sufficit. Quod enim remedium adferas mortuo? nunquid illum medici suscitabunt? valebat interim ac dominabatur lōgè lateque hostis diabolus, & tetrum cum morte peccatum. Quodnam ergo stratagema excogitauit Dominus? factus est Deus homo, crucifixus est, & mortuus. Hoc verò quis non protinus iudicet esse ridiculum? Speciem magnæ procul dubio stultitiæ præ se ferebat ea ratio liberandi. vnde est à philosophis & hominibus aliis sæpe derisa. Sed quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, 1. Cor. 1. (inquit beatus Apostolus) & quod infirmum est Dei, fortius est atque ad salutem parandā præsentius, quàm quicquid omnino forte ac magnificum, humanum aut angelicū excogitare possit ingenium. Quid enim fortius Domini manu, quæ mundum vicit, non ferro armata, sed ligno transfixa? hîc cernere licet stratagema Gedeonis, de quo in libris Iudicum scriptum sic est, cap. 7. Diuisitque Gedeon trecentos viros in tres partes, & dedit tubas in manibus eorum, lagenasque vacuas, ac lampades in medio lagenarum. Et dixit ad

eos:

*Cōsule eundem
serm. 18. de
pass. Domini.*

cos: Quod me facere videritis, hoc facite. ingrediat partem castrorum, & quod fecero sectamini. Quando personuerit tuba in manu mea, vos quoque per castrorum circuitum clangite, & conclamate Domino & Gedeoni. Ingressusque est Gedeon & trecenti viri qui erant cum eo in partem castrorum, incipientibus vigiliis noctis mediæ: & custodibus suscitatis, coeperunt buccinis clangere & complodere inter se lagenas. Cumque per gyrum castrorum in tribus personarent locis, & hydrias confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampades, & dextris sonantes tubas: clamaueruntque, Gladius Domini & Gedeonis, stantes singuli in locum suum per circuitum castrorum hostilium. Omnia itaque castra turbata sunt, & vociferantes vultantesque fugerunt, & nihilominus insistebant trecenti viri buccinis personantes. Et ad eum quidem modum se habet historia. Vbi lagenæ fragiles erant, luteū forte signum, quæ lumen ne conspici posset contegerent, relicto foramine per quod lampades expirarent, ut nimirum ijs contractis, repente promicaret lumen. Atque isto modo & sonitu repentino tubarum, & clamoribus militum, ac subito fulgore lampadum conterriti turbatique hostes, iam euigilantes, in fugam sese conuerterunt: Quid autem lagenæ fragiles, nisi Christi sacrum, sed mortale, corpus? quid lagenarum inter ipsas complosio, qua etiam illæ contractæ sunt, nisi violenta Christi mors, qua fragilis est & infirma naturæ compositio resoluta? quid delitescens intus lumen, quod se postea protulit hostesque turbauit, nisi diuinitas, cuius in Christo plenitudo habitabat, quæ sibi fugatis hostibus mundum Christo mortuo subiugauit? Quid denique clangor sonitusque tubarum, nisi prædicatio Apostolorum, cuius ministerio tantam nossem hic Gedeon Christus Dominus, victoriam de hostibus reportauit? Comparatum autem id

fuisse

fuisse ad præfigurandam eam liberandi generis nostri rationem, qua Dominus est usus, perspicuum est ex Isaia Propheta cap. 9. vbi dicitur, Sceptrum exactoris eius superasti, sicut in die Madian. id est, quomodo Gedeone duce fuerunt Madianitæ superati, ita Christo superatus est diabolus. Quarto sapiens medicus censetur is, qui ita norit ad vulnera & morbos medicamenta & emplastra accommodare, ut & maximè valeant ad curandum, & apta quædam compositio ligaturæ pulchritudoque existat. Sic Christus, tanquam medicus sapientissimus, modò per contraria, modò per similia rem gerendo, adhibuit (& aptissime quidè) ea quæ maximam vim haberent ad medelam animis nostris adferendam, de quo præclare Augustinus capite decimoquarto libri primi de doctrina Christiana: Quemadmodum medici, inquit, cum alligant vulnera, non incompositè, sed aptè id faciunt, ut vinculi utilitatem quædam etiam pulchritudo consequatur: sic Medicina Sapientiæ per hominis susceptionem nostris est accommodata vulneribus, de quibusdam cõtariis curans, & de quibusdam similibus. Sicut etiam ille qui medetur vulnere corporis, adhibet quædam contraria, sicut frigidum calido, vel humidum sicco, vel quid aliud eiusmodi: adhibet etiam quædam similia, sicut linteolū vel rotundo vulnere rotundū, vel oblongum oblongo, ligaturamque ipsam non eandem membris omnibus, sed similem similibus coaptat: Sic Sapientia Dei hominem curans, seipsam exhibuit ad sanandum: ipsa medicus, ipsa medicina. Quia ergo per superbiam homo lapsus est; humilitatem adhibuit ad sanandum. Serpentis sapientia decepti sumus, Dei stultitia liberamur. Quemadmodum autem illa sapientia dicebatur, erat autè stultitia contemnētibus Deum: sic ista quæ vocatur stultitia, sapientia est vincētibus diabolum. Nos immortalitate malè vsi sumus, ut mor-

P

sceremur

reeremur. Christus mortalitate bene usus est, ut viueremus. Corrupto animo feminæ, ingressus est morbus: integro corpore feminæ, processit salus. Ad eadē contraria pertinet, quod exemplo virtutum eius, vitia nostra curantur. Iam verò similia, quasi ligamenta membrorum & vulueribus nostris adhibita, illa sunt: quod per feminā deceptos, per feminam natus, homo homines, mortalis mortales, mortuus mortuos liberauit. Idem explicatū reperies sermone quinto de Natiuitate apud Leonem disertissimè sub finem. Atque hæc Baruch potissimum spectauit in Sapientia, quod per illā Deus repararit hominem, cuius salus in desperatione posita videretur. Tale igitur opus aptè admodum Verbo Dei & Sapientiæ congruebat, vt ex ipso etiam opere ipse peculiariter Sapientiæ nomen sortiretur.

CAPVT XIII.

Cum presentissimam hanc & sapientiæ plenam liberandi hominum rationem in finem vsque seculorum distulerit Deus, quamnam dilationis eius causam nonnulli aliquando reddiderint.

HABET etiam illa quæstio, præterquam quod hæc pertineat, non inuilem neque iniucundam considerationem: Cur ad hominum liberandum genus, non à principio venerit Christus, sed sub finem seculorum. id quod à Gentilibus olim philosophis, religionem Christianam irridentibus, quærebatur. Si Christus salutis viam se dicit, gratiam & veritatem; in seque solo ponit animis sibi credentibus reditum: quid sperunt tot seculorum homines ante Christum? Quare saluator qui dictus est, sese tot seculis subdidit. Hæc de Porphyrio, inquit Augustinus, tanquam validiora decreta proponit. Meminit & Hieronymus Porphyriane huius obiectionis: Quid necesse fuerit Christum in ultimo ventis tempore, & non prius quam in numerabilis

rabilis periret hominum multitudo? Quam quæstionem, inquit, beatus Apostolus ad Romanos scribens, prudentissimè ventilat, ignoras hæc & Dei concedens sciētie, sic ille in Epistola ad Ctesiphōtem. Tametsi autem non sit diuini huius consilij humanæ sciētie subiecta ratio, inquirere tamen cum modestia licet. Quo in studio in primis illud fixum esse debet, neminem vnquam iustitiam & salutem esse consecutum, nisi per Christum: nō alios per naturæ legem, alios per legem Moyfi, tandem postremò alios per Christum. Quæ perniciosissimum Pelagianismi errorem, Epistola eæ Cælestij quæ inter opera D. Hieronymi falsò adnumerata, ad Demetriadem scripta est, eleganter & illecebrosa prorsus gratia dictionis expressit. Sed non sicut Pelagius, inquit Augustinus, & eius discipuli tempora diuidamus: dicentes primùm vixisse homines iustos ex natura, deinde sub lege, tertio sub gratia. Ex natura, scilicet ex Adam tam longa ætate qua lex nondum erat data. Tunc enim, aiunt, duce ratione cognoscebatur creator; & quemadmodum esset viuendum, scriptum gerebatur in cordibus, non lege literæ, sed naturæ. verùm vitiatas moribus, inquit, vbi cæpit non sufficere natura tam decolor, lex ei addita est: qua velut Luna fulgore pristino, detrita rubigine, videretur. Sed posteaquam nimia, sicut disputant, peccandi consuetudo prævaluit, cui sanandæ lex parum valet, Christus aduenit: & tanquam morbo desperatissimo, non per discipulos, sed per seipsum medicus ipse subuenit. Hæc disputantes, inquit Augustinus, à gratia mediatoris iustos excludere conātur antiquos, tanquam Dei & hominum illorum nō fuerit mediator homo Christus Iesus, quia nondum ex vtero Virginis carne suscepta, homo fuit quando illi iusti fuerunt. Quod si ita esset, nequaquam Apostolus diceret, Per hominem mors & per hominem resurrectio mortuorum. Sic

August. lib. de gratia Christi, cap. 37.

enim in Adam omnes moriuntur, sic & in Christo omnes uiuificabuntur. quandoquidem illi antiqui iusti, secundum istorum vaniloquia, sibi sufficiente natura, nec mediatore homine Christo indiguerunt, per quem reconciliarentur Deo; nec in eo uiuificabuntur, ad cuius corpus & membra secundum id quod propter homines homo factus est, non pertinere monstrantur. hæc aliaque multa eodem pertinencia, D. Augustinus, libro eo quem scripsit de originali peccato. Quare procul sit à nobis, ut interrogati cur tam serò uenerit Christus, respondeamus Pelagianorum more: quia potuerint usque ad id tempus homines sine Christo esse salui: tum autem uenisse Christum, quando peccatis inundantibus, & morbo crescente, alia remedia minimè sufficerent. Sed hoc certissimè teneamus, sicuti nos per Christi mortem iam peractam, multisque seculis præteritam, iusti saluique efficitur: ita quotquot ante Christum existerunt uerè fideles, iustos saluosque per Christi mortem futuram euasisse, Agno illo nimirum, qui mundi peccatū tollit, occiso ab origine mundi. Semper enim in oculis Dei mors Christi præsens fuit, eiusque intuitu ab exordio mundi, iustos fecit quos uoluit. Ab exordio mundi (inquit Augustinus dicta Epistola) quicumque in eum crediderunt, eumque utcumque intellexerunt, & secundum eius præcepta iuste & piè uixerunt, quando libet & ubi libet fuerint, per eum procul dubio salui facti sunt. Et diuus Leo sermone tertio, de Natiuitate, Cessent, inquit, illorum querele, qui impio murmure diuinis dispensationibus obloquentes, de Dominicæ Natiuitatis tarditate causantur: tanquam præteritis temporibus non sit impensum, quod in ultima mundi ætate est gestum. Verbi incarnatio hæc contulit facienda, quæ facta: & sacramentum salutis humanæ, in nulla antiquitate cessauit. **Quod prædicauerunt Apostoli, hoc annunciauerunt**

Pro-

Prophetæ: nec serò est impletum, quod semper est creditum. Et infra: Non itaque nouo consilio Deus rebus humanis, nec sera miseratione consuluit: sed à constitutione mundi, vnam eandemque omnibus causam salutis instituit. Gratia autem Dei qua semper est ueritas iustificata sanctorum, aucta est Christo nascente, non cœpta. Et hoc magnæ pietatis sacramentum, quod totus iam mundus impletus est, tam potens etiam in suis significationibus fuit; ut non minùs adepti sint qui in illud credere promissum, quam qui suscipere donatum. Et ad eum quidem modum Leo. His ergo constitutis, quæ sunt in Christiana religione certissima; non dubitemus summa Dei sapientia factum esse, ut sub finem sæculorum, Verbum caro fieret, omnium salutis causa. Cuius rei etiam si nos rationem percipere nullam omnino possemus: submittere tamen animos Deo deberemus. nam, ut præclare monet Augustinus eadem epistola: Quid quando fiat quod ad vnam eandemque fidelium & piorum liberationem pertineat, consilium Deo tribuamus, nobis obedientiam teneamus. licet tamen modestè huius consilij rationes exquirere, quemadmodum id à veteribus factum reperimus.

CAPVT XV.

Redditur atque explicatur vera dilationis ratio: ut uidelicet progressu temporum palam ferret talis tantiq; liberatoris necessitas.

IN humani generis igitur reparatione, sic egit Deus, ut agnosci palamque esse uellet, quid ipsius esset gratiæ tribuendum: & cuiusmodi ex nobis essemus, quantumque sine Dei adiutorio præstare possemus. Ideoque primùm legē dedit folis Iudæis, ceteris gentibus in sua ignoratione relictis: ne uidelicet naturæ omnium adscriberetur, quod cerneretur in omnibus. Nec statim quidem dedit eam ulli genti. nam quod

P 3

fuisse

Cap. 26. & sequentibus.

Apo. 13.

fuiſſet mox à lapſu tributum, id ſibi procliuuſ ar-
 gaſſent. Ea quippe eſt mortalium animis innata per-
 ſuaſio, vt quibus ſe non meminerint caruiſſe, aut qua
 ſibi cum omnibus communia eſſe perſpiciat, hæc non
 gratiæ Dei accepta ferenda, ſed aut viribus ſuis par-
 ta, aut meritis adſcribenda putet. Quocirca Moyſes Deu-
 teronomij cap. 32. vt populo ſpectatum faceret gratiæ
 Dei beneficium in donâda lege, reuocat eis in memo-
 riam quid antè, & quamdiu fuerint. Memêto, inquit,
 dierû antiquorû, cogita generationes ſingulas: inter-
 roga patrem tuum, & annûciabit tibi; maiores tuos, &
 dicent tibi. Quâdo diuidebar altiſſimus gentes, quâdo
 ſeparabat filios Adam, cõſtituit terminos populorum,
 iuxta numerum filiorum Iſraël. Pars autem Domini,
 populus eius: Iacob funiculus hæreditatis eius. Inue-
 nit eum in terra deſerta, in loco horro-
 ris, &c. Tandem ergo legem dedit, non ſtatim; longoque tempore pa-
 ſus eſt homines in mira & vnus Dei & officiorum
 ignoratione verſari. Itaque in varios idolorum cultus,
 & nefanda ſcelera, homines paſſim proruebant, non
 obſtante lumine naturali, quia quod erat eius reliquû,
 ſenſum exſtinguebatur denſiore caligine vitiorû. Hinc
 omnino defectus innotuit ſcientiæ Dei, ſicut verè di-
 uus Thomas annotauit. Defectus autem virtutis, in-
 claruit hominibus tempore legis ſcriptæ; quia licet homo
 per legem eſſet eruditus, tamen iugum peccati excute-
 re nondum potuit. Namque habita iam cognitaque
 lege, nondum omnis adempta ſuperbia eſt. Illud enim
 perſuaſum tenebant, legem ſibi ſufficere ad bene iu-
 ſteque viuendum. proinde accepta lege, omnia, in-
 quunt, que præcepit nobis Deus, faciemus, arrogatiûs
 cerè quàm verè. Quamquam igitur eſſent homines
 animis ægri, tamen in ſua ægitudine tanquam ſani
 exultabant: more videlicet phreneticorum, qui ſanos
 ſe maximè cum cum vehemèter languent, arbitrantur.

Ergo,

Ergo, aiebant, etiam ſi oportuerit nobis à Deo cõmon-
 ſtrari degen-
 dæ vitæ rationem, tamen ea iam cognita;
 poſſumus ex nobis bene viuere. Quod tantum aberat
 vt verè ſentirèt, vt eſſent etiam deteriores euafuri. Vbi
 enim ſanctus non adiuuat Spiritus, inſpirans pro con-
 cupiſcentia mala, concupiſcentiam bonam; hoc eſt,
 charitatem diſfundens in cordibus noſtris: profectò
 illa lex quamuis bona, auget prohibendo deſiderium
 malum: ſicut aquæ impetus, ſi vnâ in partem non
 ceſſet influere, vehemèntior fit obice oppoſito; cuius
 molem cum euicerit, maiore cumulo præcipitatus,
 violentiûs per prona prouoluitur. Neſcio quo enim
 modo, inquit Auguſtinus, hoc ipſum quod concupiſci-
 tur, fit iucundiûs dum vetatur. Sed priuſquam hanc
 ſuam infirmitatè perſpexiſſet hominum genus, eamq;
 ſaltem vtilitatem ex lege cepiſſet; nondum tempus
 erat vt veniret medicus. non enim ab agròto fuiſſet
 acceptus, ſed contemptus; iſtaque ratione, medicinis
 importunè adhibita, exaſperaret morbum; non con-
 tuliſſet ſanitatiſ beneficium: Itaque debuerunt homi-
 nes per legem cognoscere imbecillitatem ſuam: vt ea
 explorata, intelligerèt ſibi cæleſtem medicum eſſe ne-
 ceſſarium; venientè que lubentes admitterent, ac mul-
 tiplicatis infirmitatibus ſuis, poſtea accelerarent. Nam
 ſi ſibi, inquit Auguſtinus, adhuc ſani viderentur, nun-
 quam accelerarent. Quare bohû eſt ſic humiliaci pec-
 catorem: & nemo eſt inſanabiliûs eo qui ſibi ſanus vi-
 detur. hoc in Pſalm. 58. Vnde & lex ſubintravit, vt
 abundaret delictum, Paulo teſte. Vbi autem abunda-
 uit delictum, abundauit & gratia. Et lex, eodem affir-
 mante Apoſtolo, præuaricationis gratia poſita eſt; vt
 ſimplici tranſgreſſioni cumulo præuaricationis adie-
 cto; ſola deprehenderetur minimè ſufficere, ad peſtom
 peccati fugiendam, cognitio veritatis. Propterea (ait
 Chryſoſtomus in cap. 3. ad Romanos) & iucundam;

Lib. de Spiritu
& Libera.

Aug. ep. 89.

postremis videlicet temporibus venit: ne, si statim à principio venisset, dixissent possibile fuisse, vt per legem quis, propriis que laboribus & meritis saluaretur, vt enim istam Iudeorum impudētiam obturaret, multum temporis tardando insumpsit. ita vt posteaquam omnino conuictum esset & clarum, neminē ex seipso saluari posse, tunc primū per ipsius gratiam salus adesset. Hæc Chrysostomus. Erant etiam homines duri & rebelles, minimeque assueti iugo Domini portādo. Fuerunt ergo primū edomādi iugo Legis, & terrore eius in officio continendi: quo sic à Lege tanquam pædagogō ad Christum magistrum ducerentur: & qui metu iam honestē viuere assueuerant, facilius, & ex amore iustitiæ, Christo præceptori deinceps obedirēt. Idcirco Iudæis quidem Lex pædagogus fuisse dicitur ad Christum, ad eumque vltimū ordinata esse in manu mediatoris, donec veniret semen: vt paulatim magnus ille qui per vniuersum genus humanum iacebat egrotus, præpararetur ad suscipiendū medicum Christum. Et hæc quidem prima sit ratio, quæ à diuo Augustino sæpe redditur.

CAPVT XVI.

Explicatur & alia ratio dilationis, inde petita, vt hominum genus variis interea significationibus præpararetur.

SECVND A eiusmodi est. non modò erat agendum hoc cum hominibus egris, vt intelligerent sibi medicum esse necessarium; verum etiam erant multo antè præparandi, vt crederent esse medicinam sibi repositā in Filio Dei, homine factō, & mortuo. Quia enim mira illa adeoque inuistata fuit medendi ratio, facile eam infirmi respicissent, non credentes se posse hac ratione sanari, etiam si laborare se grauibus vitiorum morbis non diffiterentur. Ea quippe de causa, crucis prædicatio Gentilibus stultitiæ loco fuit: quòd, tamēti
naturæ

naturæ vitia morbosque varios multi non ignorarent, tamen hac via reduci hominum animos ad virtutis ac iustitiæ sanitatem posse non existimarent. Hanc Leo tradit rationem Serm. 3. de Natiuitate; eandemque explicat eiusmodi verbis: Sapiētia, inquit, & benignitas Dei, hac salutiferi operis mora, capaciores nos suæ vocationis effecit: vt quod multis signis, multis vocibus, multisque mysteriis per tot fuerat secula prænunciatum, in his diebus Euangelij nō esset ambiguum: & natiuitas, quæ omnia miracula omnemque intelligentiæ erat excellura mensuram, tanto constantiorem in nobis gigneret fidem, quanto prædicatio eius & antiquior præcessisset, & crebrior. Et iterum Serm. 13. de Passione Domini: Sic, inquit, congruebat illos populos erudiri, vt quæ reuelata non caperent, obumbrata susciperent: & major Euangelij esset auctoritas, cui tot signis totque miraculis atque mysteriis veteris Testamenti paginæ deseruissent. Sic Leo Pontifex. Hinc arbitror tempore Christi dici regiones albas ad messem fuisse: quòd essent populi circumcisionum præ Gētiū nationibus, Prophetis prænunciationibus instructi atque præparati ad suscipiendū Euangelium. Proptereaque increpiti iure Pharisei, quòd non à seipsis, rebusque in medio positis, iudicarent quòd iustū esset: ac quicumque recusarunt Christum recipere, pertinaciter obfirmateque Mosaicis decretis insistētes, ex ipsa Lege per Apostolos redarguti conuictique sunt. Itaque tam diuturna, tam varia prænunciatio mortis resurrectionisque Domini, & redemptionis per crucem futuræ, multum valuit apud vel mediocriter intentos, ad Christū, venientem in propria, complectendum. Eademque modò animos nostros confirmat in fide ratio, vt non dubitemus esse diuinum, quòd tanto antè tam variè fuerit prænunciatum. Sic omnino nostræ infirmitati suæ Dominus benignitate consuluit, ne resiliamus

mus ab Euangelio propter stupendam rerum magnitudinem & nouitatem: ut & nihil detrimenti paterentur priores, & in posterioribus fides isto modo stabiliretur, eiusque reuincerentur hostes, qui admodum multi futuri erant. Hoc, inquit Augustinus, totum prophesandum fuit, prænunciandum fuit, venturorum commendandum fuit, ut non subito ueniens horreretur, sed creditum expectaretur. Sic breuiter in Psal. 109. Pharisei uero plerique puerorum more fecerunt: qui cum tanquam elementis & disciplinis inferioribus præparati debuissent ad superiores capeffendas; his contentis, illis inhæserunt. Ideoque ut semper paruuli sub elementis mundi seruiantes, nunquam in viros euaserunt, imò & in sua iniquitate perierunt. Adijciuntur & aliæ causæ minoris momenti. Quia nempe doceret, ut tantum nostræ libertatis principem, longa præconum series anteiret. Rursumque ideo tardius consulto uenisse, ne prolixitate temporis fidei seruor tepesceret. nam id solere tandem euenire conspiciamus: ut & propterea dictum uideatur Lucæ 17. Filius hominis ueniens, putas inueniet fidem in terra? In paucis enim tum inueniet fidem, incredularum comparatione turbabarum; in paucissimis perfectam, uereque excellentem. Quanto igitur grauius ac diuturnius id fuisset malum, si nullam Christus ueniendi moram fecisset? Ac illi quidem aduersus hunc languorem in promptu fuissent remedia. Qui enim dat hominibus fidem, faciliè etiam conseruat, & in quibus uult, & quamdiu uult: uerum sic ordinatiõ suã dona largitur, ut tamen penitus quæ sunt humani moris, non auferat. Item & illa iungi potest ratio: ut declararetur ueneritas diuinæ uisitæ, quæ ad tantos luctus & clamores & miseriam hominum, noluit statim commoueri ut ueniret: sed multo tempore hominũ genus dereliquit, paucissimos quosdam saluans per fidem: ut palam fieret quid mereretur præ-

catum

catum, & quam graue fuisset delictũ, cui sic indignaretur Dei iustitia. Ob hoc etiam, non statim per Christum restituit hominem pristino statui: sed cum multis uitiorum fibris, innumeras relinquit huius uitæ pœnas & ærumnas. Ac seruati quidem fuissent tum forsitan multi qui nunc in damnatione sunt, si Christus antè multo uenisset. Verum eripere illos ab interitu funestaque seruitute non absolute statuerat Deus: atque in id maximè tempus distulit ortus electorum plurimorum, quo erat ipse uenturus. Istoque modo & serò ueniens, tam multos saluos fecit quam uoluit.

CAPVT XVII.

Rationem dilationis æstimandam proprie ex ordine publicæ curationis.

BONVM præterea publicum anteposuit priuato. proinde cum hoc ordo publicæ curationis exiget, ut serò ueniret; hanc utilitatem communem præposuit priuatae saluti quorundam: quos si libertate donare uoluisset, nullo id negotio potuisset per fidem uenturi, sicut pauculos illos saluos fecit. In alios ergo iustum iudiciũ declarauit: in alios gratiæ suæ & summæ miserationis beneficium. ut hoc quidem præcipuè loco, illa Apostolicæ admirationis exclamatio, usurpanda uideatur. O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia eius. Publicæ autem curationis ordinem explicauit Augustinus libro octoginta trium questionum, questione 44. Sicut, ait, absurdus est qui iuuenile tantum ætatem uellet in homine temporibus subdito: sic absurdus est, qui in ipso uniuerso genere humano, uiam ætatem desiderat. Nam & ipsum tanquam unus homo, ætates suas agit: nec oportuit uenire diuinitus magistrum, cuius imitatione in mores optimos formaretur, nisi tempore iuuentutis. Ad hoc ualet quod Apo-

stolus

stolus dicit, sub lege tanquam sub pædago paruos custoditos: donec veniret cui seruabatur, qui per Prophetas promissus erat. Aliud est enim quod diuina prudẽtia quasi priuatim cum singulis agit: aliud quod generi vniuerso tanquam publicè consulit. Nam & quicumque singuli ad certam sapientiam peruenerunt, non nisi ab eadem veritate, suarum sigillatim ætatum oportunitate illustrati sunt. A qua veritate, vt populus sapiens fieret, ipsius generis humani oportuna ætate, homo susceptus est. & quæstione 63. tractans illud Ioannis, vbi dicitur, hora sexta Dominum venisse ad puteum; Hora sexta, inquit, tanquam senectute generis humani. nam sexta ætas, senectus est: quoniam prima infantia, secunda pueritia, tertia adolescẽtia, quarta iuuentus, quinta grauitas. Veteris itaque hominis vita, quæ secundum carnem temporali conditione peragitur, sexta ætate senectutis concluditur. Qua senectute, vt dixi, humani generis, Dominus noster & creator nobis & reparator aduenit: vt moriente videlicet veterẽ homine, nouum in se constitueret, quem exitum labẽ terrẽna in cælestia regna transferret. Hæc Augustinus: Cuius rationes illæ pertinere mihi videntur ad primas præcipuas. Hoc vnum turbare potest, quod vno in loco, senectute dicit hominem suscipi conuenisse; alio iuuentute. Sed idem hominum status atque conditio, & senectus vocari, & iuuetus, alio atque alio respectu potest. Iuuentus quidẽ, propter sui collectam ex lege notitiam; senectus verò, propter lapsum temporum, propinquantemque mundi finem. Igitur vt in optimos mores, hominum genus reformaret, venit tanquam in ipsa hominis iuuentute, cum ille per sui notitiam legisque pædagogiam, qua rudis antè pueritia præmebatur, maximè esset ad eiusmodi reformationem capiendam idoneus. & senescente interim venisset mundo: præcipitãtẽ iam omnia in finem, ipso tem-

porum

porum cursu: vt eum se esse môstraret, per quem omnis vetustas solueretur. Augustinus porrò in eo libro qui inscribitur de sex quæstionibus contra Paganos, quem librum se dicit scripsisse aduersus Porphyrium, sub titulo de tempore Christianæ religionis. In eo ergo libro, dilatae incarnationis hanc reddit rationem: Quia tunc voluerit hominibus apparere Christus, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat & vbi sciebat esse qui in eum fuerant credituri. quod idem ait sub finem capitis noni, sic dici potuisse: tum hominibus voluisse apparere Christum, quando sciebat & vbi sciebat esse, qui electi fuerant in ipso ante mundi constitutionem. Neque hanc causam improbat, ne capite quidem nono libri de bono perseuerantiæ: sed ait hoc se tunc pro temporis ratione respondisse, sine præiudicio tamen latentium cautarum. Et indubiè tunc misit Christum Deus, quando voluit plurimos saluare per Christum, quorum natiuitatem vltimis temporibus seruauerat. Hoc tamen dum illam causam redderet Augustinus, falsò positum vidit ipse quod ait, in ijs locis & temporibus, quibus non est Euangelium prædicatum, tales omnes futuros præscisse Deum, quales multi fuerunt in præsentia Christi, qui ne miraculis quidem ad credendum commoueri potuerunt. Nam Tyrij quidem & Sidonij Euangelium non audierunt, quos tamen Dominus pronunciat fuisse credituros, si facta fuissent eis signa quæ aliis edita locis memorantur. Quidam autem non satis eruditi id persuasum aliquando habuere, Christi aduentum in vltimam hanc ætatem esse dilatum propter seculorũ superiorum scelera, & ea maximè quæ contra naturam esse dicuntur: aut propter cordis quam præuidebat duriciem, qua non essent oblatam sibi gratiã acceptaturi. quod nullo modo est sentiendum. Primùm, quia æterna Dei prædestinatio, hominum peccatis mutari non potest; sed quicquid

Cap. 9. lib. de
prædest. san-
ctorum.

Cap. 9. lib. de
bono perseuer.

quicquid decreuerit facere, id eo ipso tempore facit certissimè, quo facere constituerat, non obstantibus vllis omnino peccatis. Deinde venit Christus ad tollenda quantacunque peccata: nõ igitur impedit vlla scelerum magnitudo quo minùs citò veniret qui citiùs alioqui fuerat venturus. An quia Paulus persecutor erat, & in Ecclesiam sæuiebat: idcirco distulit Christus eius uocationem? Si in vno homine nõn impedierunt curationem grauissima scelera, aut cor tanta superbia obduratum, nec id ipsum in populis ne fieret impedire potuerunt. Quid? qui venit in ciuitatem multæ experientiaë medicus, nunquid is differt curare ob grauitatem frequentiamque morborum? sed hoc ab illis dictum est qui non satis intellexerunt vim gratiaë Christi: quæ tanta est, vt à nullo quamuis duro corde repellatur: quia & ad hoc ipsum propriè valet, vt cordis durities auferatur. Omnipotenti enim medico, inquit Augustinus, nihil est insanabile, non renunciat alicui; opus est vt tu curari velis, opus est vt manus eius non refugias; sed etsi nolis curari, vulnus tuum admonet vt cureris, & auersum te uocat, & refugientem quodammodo ad se redire compellit & attrahit. In omnibus implet quod dictum est: Misericordia eius præueniet me. Sic ille. Quòd si gratia nihil esset, nisi externa uocatio & prædicatio, vel etiam interior admonitio & pulsus, tunc meritò expectata fuissent ea tempora, quæ tulissent homines ingenio minùs malo prauoque. Sanè diuus Prosper docet, tempore Christi, inuentam esse iniquitatem robustiorem, vt gratia Christi manifestaretur. An, ait, fortè (vt plerique garrunt) meliora quam veterù ingenia, nostris seculis orta sunt, & aptiores diuinis donis animas tempora extrema pepererunt? Quod etiam si ita esset, ad bonitatem id referendum esset auctoris: qui vocandis ad vitam æternam, ea quæ non reniterentur corda finxisset. Sed nihil prorsus nouatum

Solent medici in desperatiu arri sua potentiam ostendere, inquit August. in Psalm. 130.

August. lib. 5. Confess. cap. 1. & cap. 8. lib. de prædest. sanctorum. in Psalm. 58

Lib. 1. de uocat. gent. c. 15.

uatum est in generatione carnali: nec generosior auis minorum orta successio est: cum potius in hominibus illius temporis, quo mundi Redemptor aduenit, quanto erat propago tardior, tanto sit iniquitas inuenta robustior. Et infra: Igitur ad manifestandam gratiaë Dei, quæ ex æterno eius incommutabiliq; consilio, in salutem omnium gētium disponebatur, nõ priora quasi incapacia declinata sunt tempora: sed ista electa, quæ tales populos ediderunt, quorum ferox & voluntaria iniquitas, non consulendi affectu, sed intentione sæuendi, persisteret facere quæ manus Dei & consilium decreuerunt fieri: vt mirabilior esset gratia & potentia Dei, quæ de tam duris animis, tam tenebrosis mentibus, tam inimicis cordibus, fecit sibi populum fidelem, subditum, sanctum, qui nõ per sapientiam huius mundi peruenit ad lumen sapientiaë Dei, sed per illius donum. de quo testatur Ioannes Apostolus, dicens: Scimus, quia Filius Dei venit, & dedit nobis sensum, vt cognoscamus verum Deum & simus in vero Filio eius. atque hætenus quidem diuus Prosper. Cui & à Leone Pontifice in eandem omnino sententiam subscribi, videre licebit circa principia Sermonis tertij de Epiphania Domini. Paulus quoque ad Romanos tertio, dicit uenisse Christum propter remissionem, & longam tabem, natam ex delictis præcedentibus. Quem in locum diuus Chrysostomus scribens, Cum enim iam, inquit, desperassemus, tempus que esset ferenda sententia; vt quo cumulata iam erant mala, & quicquid peccatorum est, suam nactum erat plenitudinem & maturitatem; tunc potissimum potetiam suam ostendit, vt discas quanta sit apud illum iustitiaë abundantia. Neque enim tam fuisset mirabile & præter opinionem, si statim à principio fuisset factum, atque nunc est: quando scilicet omnes curationis modi frustra ad deplorationem usque explorati sunt. Hæc ille. Quòd si ob pecca-

peccatorum magnitudinem, Christus aduertum suum distulisset, nunquam profecto venisset: quia nunquam inuenisset meliores. Sed expectare ipse non debuit, ut inueniret bonos, qui quos vult facit bonos, etiam ex pessimis. Vnde illa clarissima Basilij oratio, quam penè vniuersus quondam Oriens frequentabat, inter cetera sic habet: *Dona Domine virtutem ac tutamentum. Malos quæsumus bonos facito, bonos in bonitate conserua. Omnia enim potes, & non est qui contradicat tibi. Cum enim volueris, saluas, & nullus resistit voluntati tue.* Sic ille, ut videre est apud Perrum Diaconum in libello De incarn. & gratia Christi, cap. 8. Atqui in Psalmis est, inquit, Distulisti Christum tuum. Verum differri dicitur aliquid duobus modis: vno eoque proprio differtur, quod certo quidem tempore statueramus facere, sed impediti, quia nõ fecimus, distulimus, ac reiecimus in aliud tempus. Sic non distulit Dominus, quasi impeditus interturbatusque hominum peccatis, ne tam citò mitteret Christum quàm alioqui decreuisset. Ast alio modo differtur, quod reponitur in longius tempus, quàm videatur hominibus fuisse faciendum. Cùm enim plerique censent tempus adesse ut quippiam fiat, nec sit tamen, differri dicunt: cùm is qui facit, non eo tempore statuerit facere, quo facturus antea putabatur. Iuxta posteriorem hunc modum Propheta dixit, Distulisti Christum tuum. Quia enim Dauidi factæ erant magnificæ illæ promissiores, quæ prius commemorantur in eodem Psalmo, passim credebantur implendæ in Dauid: expectabaturque hoc per illum Regem præstandum quod erat promissum. At cùm nihilominus præstitum id nõ est, eoque maximè tempore, quo plurimum egere liberatoris ope viderentur, oppressi nimirum & dissipati ab hostibus, dictum est à Propheta ex persona eorum qui moram ferebant impatientius, Deum distulisse Christum suum: non quia non eo tem-

pore

pore miserat quo statuerat, sed quod decreuerit implere promissum, non quo tempore hominibus impleri oportere videretur. Quomodo & illud interpretatur Augustinus dictum Psalm. 77. Excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino. Nullus, inquit, hoc de Deo dicere auderet, nisi spiritus eius. Dixit enim, sicut videtur impiis insultantibus quòd velut ebrius diu dormiat, quando non tam citò quàm putant, hominibus subuenit.

CAPVT XVIII.

Futurae fuisset incarnatio filij Dei, si primus homo in accepta conditionis sua libertate persistisset.

IAM quod quærunt aliqui, venturumne in mundum, & carnè generis nostri suscepturus fuerit Dei Filius, si non seipsum in miserandam seruitutem homo præcipitasset, sed in eo in quo conditus fuit honore permansisset: tamen nonnullis videatur esse curiosum, hoc tamè vtilitatis affert, ut principalis & propria Dominicæ incarnationis causa noscatur. Quam nos quidem non dubitamus esse eam quæ celeberrimis illis Christiani symboli verbis expressa est, quibus dicitur: Qui propter nos homines, & propter nostram salutem, descendit de cælis. Ac rectè quidem propter nos homines. Non enim vsquam angelos, inquit Paulus, sed semen Abrahæ apprehendit. hoc est, interprete Chrysostomo, Non angeli naturam suscepit, sed hominis. Quare ergo, inquis, non dixit, Suscepit; sed illo verbo vsus est, Apprehendit? Nimirum ex metaphora insequentium eos qui auersi sunt, & omnia facientium ut fugientes occupent, & ut resiliens apprehendere valeant. Aufugientem quippe ab ipso naturam humanam & procul aufugientem insecutus, apprehendit ostendens quoniam misericordia sola & gratia & cura quæ de nobis habuit, hoc fecit. Idcirco addidit deinde

Hebr. 2.

Homil. 4. in
epist. ad Hebr.

P

Sym-

Symbolum: Et propter nostram salutem, Perieramus enim, neque à Deo poteramus, nisi in nostram perniciem, aufugere. Ea igitur propriè de causa Filius Dei naturam nostram assumpsit, vt funesta perditam seruitute, libertati restitueret ac saluti, nunquam id profectò facturus, nisi tanta nos ruina depressisset. Sed quidam existimant assumptionem humanæ naturæ à pœnis & miseriis liberæ futuram fuisse, etiamsi homo integer permanisset. Præcipuam enim causam simplicis eiusmodi incarnationis existitisse, exaltationem & gloriam humanæ naturæ, & alias quasdam utilitates quæ commemorantur à Bonauentura copiosè, quæ quidem utilitates & causæ etiam in statu integro locum habituræ fuissent. quæcunque autem obijciuntur eis argumenta, siue de Scripturis, siue de Patribus, hæc eludunt, intelligi commentantes incarnationem qualis facta est: hoc est, assumptionem naturæ miseræ & obnoxia mortis, non autem eam quæ futura fuisset si homo non peccasset. Ac Bonauentura quidè dicit hanc sententiam magis esse consentaneam rationi, aliam vero pietati fidei: additque nescire se vtra sit alteri anteponenda. quod tamen satis mirum est ab eo dici: cum indubitater in eiusmodi causa anteponendum sit, quod pietati fidei magis deprehendatur esse consentaneum. Thomas quoque in tertium Sententiarum dicit hoc probabiliter posse sustineri, quòd futura fuisset incarnatio propter exaltationem humanæ naturæ, & perfectionem totius vniuersi. Nos verò dicimus, Christianam religionem non nisi vnam incarnationem nosse, quæ facta est. eius autem causam in literis sacris querendam esse, non humanis ratiocinationibus indagandam. Cum enim ea res ad altissima diuinæ sapientiæ consilia pertineat; non potest eius ratio cognosci, nisi quantum ille nobis paterfacere dignatus est, quoniam autem ad nos magnopere pertinebat, vt sciremus cur præci-

præcipuè conditor noster homo fieri dignatus esset, apertè nobis frequenter quæ sui consilij rationem literis sacris expressam reliquit. nimirum ob hoc factum id esse, vt hominum genus erueretur de potestate tenebrarum, vt vitiosa peccatis natura instauraretur & sanaretur, vt mortuus peccatis homo viuificaretur, perditus recuperaretur, atque ad amissam felicitatem reuocaretur. Neque vsquam insinuata nobis est alia ratio & causa aduentus Dominici, quæ esset à ratione liberandi hominis seiuncta; neque profectò, sine periculo humanæ temeritatis, aliam causam fingere posse videmur tantæ rei. Venit, inquit Scriptura, Filius hominis quærere & saluum facere quod perierat. Venit in hunc mundum peccatores saluos facere. In Epistola quoque ad Hebræos, Quia, inquit Apostolus, pueri communicauerunt carni & sanguini, propterea & ipse participauit iisdem: vt per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium, id est diabolum; & liberaret eos qui timore mortis per totam vitâ obnoxij erant seruituti. Et est quidem in Scriptura diuina significatum, incarnationis Dominicæ finem fuisse, naturæ humanæ in Christo exaltationem & gloriam; sed ad quam humilitatis & passionis via veniretur: quemadmodum ille indicat Lucæ locus: Nonne hæc oportebat Christum pati, & ita intrare in gloriam suam? passionis autem viam non conueniebat ingredi Filium Dei, vt sic naturam in se humanam extolleret, nisi peccatum præcessisset. His sacrarum literarum testimoniis, Veterum doctrina valde consentit. Chrysofomi in Epistolam ad Hebræos: Propter hoc, inquit, carnem assumpsit nostram, propter misericordiam solam, vt miseretur nostri. Non est enim alia quæpiam causa dispensationis, quàm hæc sola. Vidit quippe humi iacere proiectos, pereuntes, mortisque tyrannidem patientes, & miseratus est. Et iterum homil. 67. in Mathæum: Hæc, inquit;

Lucæ 19.

1. Timot. 1.

Hebr. 1.

Ultimo cap.

Homilia 5.

Cap. 6.

inquit, curationis sola causa est, propter quam in hunc mundum descendit. Ambrosij, in libro quem scripsit De incarnationis Dominicæ sacramento, Didicisti, inquit, quia sacrificium de nostro obtulit, nam quæ erat causa incarnationis, nisi ut caro, quæ peccauerat, per se redimeretur? Et libro de Paschæ mysterio, Pascha nostrum, inquit, immolatus est Christus: ad hoc enim humanum corpus Christus accipiens, se in passionem Paschæ mysterio consecrauit. Et rursus in eodem: Interitum hominum, inquit, dolens diuina censura, non per feruum vatem, nec per Angelum inuisibilem, sed ad hoc per substantiã humanæ carnis in homine Deus veniens habitauit, ut honestam viuendi formam mortalibus daret, & æternam vitam exemplo suæ mortis & resurrectionis aperiret. Augustini, Serm. 9. de verbis Apostoli: Nulla causa, inquit, fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores saluos facere. tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est causa medicinæ. si venit de cælo magnus medicus, magnus per totum orbem terrarum iacebat ægrotus. Et Serm. 8. proferens illud ex Luca: Venit Filius hominis quærere & saluum facere quod perierat: Si homo, inquit, non periisset, Filius hominis non venisset. ergo perierat homo, venit Deus homo. Et iterum, Quare paruulum adfers ad Christum, si non perierat? quare enim venit Christus in mundum, nisi peccatores saluos facere? Alia causa non fuit quare veniret in mundum. non enim de cælo ad terram merita nostra bona, sed peccata duxerunt. Et rursus in Psalm. 36. *Si tu, ô homo, non dimitteres Deum, non fieret pro te Deus homo.* Leonis: Si homo, inquit, ad imaginem & similitudinem Dei factus, in suæ honoris naturæ mansisset, nec diabolica fraude deceptus à lege sibi posita per concupiscẽtiã deuiasset; creator mundi creatura non fieret: neque aut sempiternus temporalitatem subiret, aut æqualis Deo Patri Filius, formam

ferui

ferui, & similitudinem carnis peccati assumeret. Ad hæc postremo & ipsa adiungi ratio potest. siquidem incarnatio etiam si miseria careat & afflictione, habet tamen quandam humiliationem & deiectionem Dei, eum natura humana ex ipsa sui conditione serua sit, ut taceam quanto interuallo sub naturæ diuinæ sublimitate iaceat, quantumcunque bonis dotibus ornata cogitur. Vnde ad Philippenses Apostolus: Cùm in forma, inquit, Dei esset, exinaniuit semetipsum, formam ferui accipiens. Et Leo Serm. 5. de Natiuitate, tractans eum Pauli locum: Propter nostram infirmitatem, inquit, extenuauit se in capacibus sui. Vnde etiam exinaniuit se dicitur, tanquam se propria virtute euacauerit, dum in ea humilitate, qua nobis consuluit, non solum Patre, sed etiam seipso factus est minor. Et Augustinus Tractatu secundo in Ioannem: Quod factus est Filius hominis, inquit, nõ fuit gloria eius, sed humiliatio. Multa quæ alia sunt quæ huc afferri possent, quò demonstraretur ne rationi quidem hoc consentaneum fuisse, ut filius Dei carnem susciperet, si homo non peccasset. Quòd si propter aliud Dei Filius proprie præcipueque venisset: quale esset ut id scripturæ silerent, Patres præterirent, ignoraret Ecclesia, pauci quidam philosophicis rationibus diuinarent? Validissimum autem inter argumenta quibus altera fulcitur opinio, hoc videtur esse, quod petitur ex eo loco vbi scriptum est in significationem futuri huius mysterij: Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adheret uxori suæ, & erunt duo in carne vna: & hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. id quòd Prophetice primus ille parens dixisse putatur. quin & Apostolus ipse ad futuræ incarnationis prænuntiationem hoc retulit in Epistola ad Ephesios, cùm ait: Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico, in Christo & in Ecclesia. Præuidit igitur Adamus incarnationem

Cap. 2.

Variis vtitur argumentis ad eius sententiæ probationem quidam Basilij Gronsingensis, cuius nomen est in classe hæreticorum.

Eph. 5.

Serm. 1. de Pentecoste.

nem Filij Dei futurā, neque tamen sui lapsus præsciū fuit. erat igitur futura incarnatio, etiamsi nullus eius lapsus extitisset. Respondēdum est primò: si Adamus tanquam Propheta præuidit hęc futuram incarnationem Filij Dei, ad id prænosendum diuino lumine oportet fuerit illustratus, Prophetarum more, qui diuino spiritu pleni, quæ ratione præuideri nō poterant, euentura præcinebant. Non potest igitur humana ratione colligi fuisse futurum, ad quod prænosendum etiam integro homini, maximeque in omni rerum cognitione vigenti, necessarium fuit prophetiæ donum. Vnum planè, imò hoc vnū maximè de his rebus fuit, quarum habet Deus causas in seipso absconditas, quas rebus conditis nō inseruit, & quæ præter vñtatum naturæ cursum mirabiliter fiunt, sicut docet Augustinus libro nono de Genesi ad literam. Deinde non est necesse aut consequēs, vt is qui effectum norit, eius continuò causam vel deprehendat vel etiam suspicetur. Ideoque potuit Adamo patefieri diuinitus incarnationis mysterium, occultata adhuc tantæ rei causa. Quod si quis intempestiuum putet ante morbū, cuius vitādi summa erat homini primò potestas, medicinæ significationem dari; nō erit alienum dicere, diuino quidem spiritu Adamum hæc verba protulisse, in quibus ex dispositione Dei inesset huius mysterij significatio: sed hanc illum significationem nescisse, quoniam adhuc sciri minimè cōueniret. siquidem & aliorum quorundam in mulieris formatione gestorum dictorumque sacramētum, certum est illum ignorasse. vt eius quod de latere dormientis Adæ mulier formata est: id quod interpretantur veteres significasse, de latere Christi in cruce mortui edificandā Ecclesiam: vt videre est apud Augustinum tractatu 15, in Ioannem. & libro duodecimo contra Faustum cap. 37. & 38. & in Psalm. 56. Quin & Apostolus indicauit fuisse hoc sacramentum

eius

eius rei, cap. 2. epist. ad Ephesios, alludens ad verba Genesis, cū ait: Quia membra sumus corporis eius, de carne eius & ossibus eius: quemadmodum videlicet Eua os fuit de ossibus Adæ, & caro de carne eius. Et Augustinus capite vltimo libri noni de Genesi ad literam, dicit Apostolū interpretari mysterium magnum in eototo quod sic expressum est: Hoc nūc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, &c. Atqui nemo dicturus est Adamum præuidisse, Christū esse in cruce moriturum, vt ex eius latere flueret sanguis & aqua, ex quibus ædificaretur Ecclesia. Tum enim lapsum suum facillè omnes dant præuisurum fuisse: quem vel cauere noluisset, & fuisset prauus; vel non potuisset, & fuisset miser antè quàm malus. Cū igitur hæc ibi gesta sint in figuram nostræ redemptionis & instaurationis per Christum, fueritque mysterium hoc Adami verbis comprehensum, quibus ait: Hoc nunc os ex ossibus meis, &c. nec tamen quid allegoricè significaretur intellexerit, nihil mirandū est, si etiam propheticè dixerit: Propter hoc relinquet homo patrē & matrem, &c. probè quidē intelligens, in posteris deinceps futurum coniugū, neque id nisi spiritu prophetico cognoscens: ignarus tamen eius mysterij quod per allegoriam significabatur ipsa re coniugij. Nam & propheticè Caiaphas dixit, Expedire vt vnus homo moreretur pro populo, quamuis nescius quātam rem vaticinaretur. hoc sanè interest inter hunc & illum, quod hūc mysterium illud conueniebat habere non ignoratum, quo ad salutem indigebat. ad illum verò adhuc sanum & integrum, nondum pertinebat huius tam necessariæ ægris medicinæ cognitio. ideoque hunc quidem turpe fuit prophetare nesciētem: illum verò non dedecuit. tametsi & in hoc etiam spiritus propheticus rectè intelligitur, quod vxore conspecta, mox cognōrit ex reuelatione Dei, quomodo fuerit ei formata, quod alioqui

Q 4

scire

scire non poterat, arctissimo videlicet somno consopitus. neque enim futura solum, verum etiam præterita prophetiæ (spiritu enarrantur: sicut Moyses prophetauit de creatione cæli & terræ. Diuus interim Augustinus hanc Adami propheticam reuelationem etiam ad vltimarum rerum prænotionem retulit, sic scribens libro nono de Genesi ad litteram: Illa, inquit, extasis quam Deus immisit in Adam, ut soporatus obdormiret, rectè intelligitur ad hoc immissa, ut & ipse mens per extasim particeps fieret tanquam Angelicæ curiæ; & intrans in sanctuarium Dei, intelligeret nouissima. Denique euigilans, tanquam prophetiæ plenus, cum ad se adductam costam suam mulierem videret, eructauit continuo quod magnum sacramentum cõmendat Apostolus: Hoc nunc os ex ossibus meis. quæ verba cum primi hominis scriptura fuisse testetur, Dominus tamen in Euangelio Deum dixisse declarauit. ut hinc intelligeremus, propter extasim quæ præcessit in Adam, hoc eum diuinitus tanquam Prophetam dicere potuisse. His Augustinus verbis Adamum quidem significat vidisse nouissima: sed quæ, & quousque, non expressit. Nam quod auctor Libri promissionum & prædictionum sub nomine Prosperi, dicit Adamum ex latere Christi in cruce pendētis formandam vidisse Ecclesiam, id ne omnino repudiandum putetur, sic accipi potest, ut intelligatur præuidisse, propterea quod prænunciando ad modum præuidentis sese habuerit quomodo & irasci Deus, & pœnitentia duci intelligitur, quod sese ad modum irati pœnitentis que gerat. Sed quoniam huius quoque nunc Libri mēsuram implessē videmur; finem facimus, ad explicandam Christianæ libertatis rationem festinantes.

DE

249

DE CHRISTIANA LIBERTATE

LIBER SEXTVS.

PROOEMIUM,

*Quo declaratur unde nominata sit
Christiana libertas.*



SUPERIORIBVS libris dixisse videmur ea quæ magnum adiumentum ad veræ libertatis cognitionem allatura videantur. Ut enim libertas hæc nouissima, solet ijs esse iucundior, quos paulo antè vincula seruitutis impedi-

*tuandiuem
facit liberta-
tem, seruitutis
recordatio.*

tos constrictos que grauabant ita veræ libertatis rationem is perspiciet multo facilius atque iucundius, qui aduersam ante seruitutem explicatam acceperit: Non potest, ait Ambrosius, plenè quis intelligere quid acceperit; nisi meminerit, antè quid fuerit. Ideoque (ad dit) quoties Pascha celebramus, meminisse debemus veteris seruitutis & nouæ libertatis, quid fuerimus, & quid acceperimus. Neque enim de v̄sitata hac & cognita mundo libertate, dicere propositum est: sed de ea quæ sola vera est, quam Christianam appellamus. Libertas enim, ait Augustinus, nulla vera est, nisi beatorum & legi æternæ adhærentium. Sed quædam libertas nominatur, qua se liberos putant qui dominos homines non habent: & quam desiderant ij qui à dominis hominibus manu mitti volunt. Hæc illa est igitur exoptata notaque mundo libertas, de qua apud Plautum in Aulularia: Omnes libertati naturâ student.

*Serm. 12. in
E. salm. 116.
versu 9.*

Q 5

Omni

Ioannis 8.

Omni malo, omni exitio peior seruitus. Et quem Iupiter odit, seruum hunc primum facit. Illa verò altera quid sit, animalis homo non percipit, cui insipida sunt omnia quæ non mundi huius illecebris condiantur. Ideoque cum assertor noster Christus Dominus, Iudæis veram libertatem, eiusque adipiscendæ expeditam rationem demonstrasset; Si enim vos, inquit, manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos: Illi remotam hanc à sensibus libertatem, non intelligentes, & tamen pressius notantes quod dixerat, Liberabit vos, (vbi Græca vox emphasim habet, pertinetque ad ingenuitatem, & eam libertatem quæ seruituti opponitur: alioqui Latinis liberari dicuntur qui subducuntur à periculis aut morbis) Tāquam ergo dictum foret planius à Christo: veritas liberos vos & ingenuos reddet, vilemque illam & veram remouebit seruitutem: propterea cum stomacho & indignatione, quasi iniuria affecti, quòd serui appellati viderentur, responderunt: Semen Abrahæ sumus, nemini seruiuimus vnquam; quomodo tu dicis, liberi eritis? Remota adhuc erat à rudioribus, nec satis instructis cordibus, veræ & stabilis perpetuæque libertatis cognitio: propterea quòd ignorarent veram esse illam seruitutem, quæ sub peccati & diaboli mortisque dominatu infeliciter ageretur: nec aliam cogitarent aut nossent, quam hanc vulgarem mundoque optabilem, fluxam tamè seculi percurrentis & caducam libertatem. Nemini, inquit, seruiuimus vnquam. Et tamen seruos fuisse illos Christus significat, frustra que sibi de libertate placuisse, qui humanis occupationibus intèrione vanissima seruiuebant. Idcirco doctrinæ medicinam liberator adhibens, ad veramque libertatem intuendam aperiens oculos mentis: Amen, ait, dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Ac ne leue putaretur,

tur, paruoque cum damno coniunctum, seruum esse peccati: adiungit continuò terroris stimulos, quo facilius adducat ad veræ libertatis amplexum. Seruus, inquit, non manet in domo in æternum. Filius autè manet in æternum. Quis autem non manere in domo velit? quis proijci foras pedibus manibusque religatis, vbi tristissimæ seruitutis illud extremum subeundum est, non totus perhorrescat? Ne verò nescirent, cuius beneficio tantum consequi possent libertatis bonum, addidit per se id præstari posse, si modò propositis ab eo sermonibus aures accommodarent. Neque verò aliam patere ad veram libertatem viam, quàm si per ipsum eam assequi credendo parendoque niterentur. Si vos, inquit, Filius liberauerit, reuera liberi eritis. Eam ob rem, cum esset ipse Dominus, utpote Deus, ut nos à seruitute perpetua liberaret, atque ad veram libertatem educeret, fieri dignatus est seruus, accipiens, quem admodum Apostolus ait, formam serui. Finxit me, inquit per Prophetam, ex vtero seruum sibi, ad congregandum Iacob. Quis enim Dei populum congregauit, nisi Christus? qui suscepit in suo corpore seruitutem, imo verò maledictum, peccatum, & opprobrium factus est, ut nostræ obrunderet mortis aculeum, ut nostram seruitutem aboleret, ut maledicta, peccata, opprobriaque nostra deleret. Propter te, inquit Ambrosius, dominationi mortis se Christus subdidit, ut te iugo dominationis erueret. Ille suscepit mortis seruitutem, ut tibi tribueret vitæ æternæ libertatem. Et alibi: Qui sub lege, inquit, generatus est, ut eos qui sub lege erant redimeret pretio sanguinis sui, & libertatem quam tribuerat primo illi Adam, reformaret: ut iam genus hominum sine lege esset seruitutis. Ex hoc igitur vno tantæ felicitatis auctore ac liberatore Christo, nominata est Christiana libertas, quanquam ob id quoque meritò Christiana vocetur, quòd sit propria Christi-

Iſaie 49.

Serm. 18. in
Pſalm. 118.Lib. 3. in Luc.
ad cap. 3.

ſtiano-

stianorum: neque ea frui alij quàm ij qui in Christum verè ac penitus credant, villo modo possint. His itaque solis potestatem dedit, filios, ac proinde liberos fieri, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt.

Iohannis 1.

CAPVT I.

Quid sit Christiana libertas, quibusq; partibus constet.



ST autem Christiana libertas (vt ab ipsa definitione totius tractationis nascatur exordium) qua quis cupiditatis dominatu liberatus, atque ab ipso quoque peccati reatu, seu vinculo damnationis exsolutus, diuinis præceptis lubens obsequitur. Est enim Christiana libertas, non ab illa naturæ necessitate qua pecudes impelluntur; non à lege, qua & Angeli beati felicissimè constringuntur; sed propriè à malo libertas, quam quotidie oratione Dominica petimus, cum precamur: Libera nos à malo. Tametsi enim illic in ipso liberandi verbo non sonet ea libertas quæ seruili conditioni opponitur: ea tamen intelligitur in ipsa re quæ petitur: propterea quòd vlli malo subijci, seruire sit. Cum autem tria sint malorum genera quæ nos grauissimè premunt; peccatum, mors, diabolus: tribus partibus intelligitur nostram contare libertatem, quanquam & bipartita fieri hoc modo potest. Etenim cum duo generatim sine mala, vnum ex quo mali & prauī sumus, alterum ex quo miseri: pars vna est nostræ libertatis, qua liberamur à peccato, eoque ipso à diabolo: altera qua è miseria educimur. vtramque D. Augustinus expressit, cum ait in Enchiridio: Quæ maior est post ruinam misericordia Dei, quando & ipsum liberum arbitrium liberandum est à seruitute, cui dominatur cum morte peccatū? verum posterior illa pars libertatis, in spe hinc obtinetur, nondum in re. Spe enim salui facti sumus.

Cap. 106.

Tunc

Tunc verò demum suis numeris erit absoluta libertas, cum & ipsa creatura, quæ hic vanitati subiecta fuerat, liberabitur, quemadmodum Apostolus ait, à seruitute corruptionis, in libertatē gloriæ filiorū Dei. Itaque gratiæ quidem libertate, qua iustitiæ seruitur, Christi quæ liberatoris suauē portatur iugum, hic vtrūque Dei beneficio fruimur. Gloriæ verò libertas, futuri seculi est; cum mortale hoc induerit immortalitatem, & corruptibile hoc corpus, quod circumferimus, induerit incorruptionem. Vnde Isidorus, Qui nunc, inquit, filiorum Dei nomine homines fideles vocantur, tamen ex eo quòd hanc seruitutem corruptionis patiuntur, adhuc iugo seruitutis addicti sunt: accepturi plenam filiorum Dei libertatem, dum corruptibile hoc induerit incorruptionem. Tunc enim continget expectata illa redemptio corporis nostri, hoc est, perfecta consummataque gloria: neque verò simplex libertas, sed planè talis, ait Chrysostomus, vt non simus denuo ad priorem seruitutem reuersuri. Propter te enim, ait Ambrosius, suscepit Christus mortis seruitutem, vt tibi tribueret vitæ æternæ libertatem.

Rom. 8.

Lib. 1. de summo bono. c. 29.

Serm. 14. in Epist. ad Rom. In Psal. 118. Serm. 18.

CAPVT II.

Quæ sit Christiana libertatis ratio, ex diuinis literis ostenditur.

CVM igitur multiplici seruitute genus hominum premeretur: cupiditati turpiter obsecūdans, diabolo perniciosè subditum, morti miseranda necessitate obnoxium: neque suppeteret in humanis quidem auxiliis, vnde iugum hoc suis ab humeris reijceret: missus est liberator Christus, qui antiquæ captiuitatis vincula dissolueret, ex quo supra demonstrauius, libertatem nominari Christianam: quæ nihil aliud est quàm regni cupiditatis euersio, principis tenebrarum è credentium cordibus eiectio, & beatæ immortalitatis hinc quidem spes certa, post hanc verò vitam secura possessio.

Galat. 4.

possessio. de qua scriptum à Paulo est : Itaque non sumus ancillæ filij, sed liberæ: qua libertate nos Christus liberavit. Ac rursum : Vos in libertatem vocati estis fratres, tantum ne libertatē in occasione carnis detis. Ac iure quidem nos hac libertate donavit ille, cuius in Psalms vox est : Factus sum tanquam homo sine adiutorio, inter mortuos liber. Solus enim liber, quia solus erat ab omni contagio peccati remotus. Ideoque in Euangelio dicit : Ecce venit princeps huius mundi, & in me non habet quicquam. Tanquam autem ei diceretur : si in te nihil inueniet, quare te occidet? continuo subiunxit, & ait: Sed ut sciant omnes quia voluntatem Patris mei facio; surgite, eamus hinc. Nō, inquit, mortem, ceterorum more, mei peccati necessitate persoluo: sed in eo quod morior, Patris mei facio voluntatem. Qua quidem Patris voluntate, redempti sumus de vana conuersatione paternę traditionis: non corruptibilibus auro vel argento, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & in regnum suum nos transtulit. Qui cum essemus mortui in delictis & præputio carnis nostrę, hoc est, originali peccato: vitę nos reddidit, donans omnia peccata, delensque quod aduersus nos erat chirographum decreti, & exspolians principatus & potestates, traduxit confidenter palam, triumphans illos in semetipso. Hanc per Christum futuram libertatem, lætus Propheta canebat, cum diceret: Iudicabit pauperes populi, & saluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem. Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna: id est, omnis mutabilitas, per quam in modum lunę proficimus atque deficimus. Et dominabitur à mari vsq; ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum. Hęc autem eius dominatio, regnumque toto terrarum orbe dilatatum, veram afferet credentibus, sub

eoque

eoque se humiliantibus libertatem. Quia liberabit, inquit, pauperem à potente, & pauperem cui non erat adiutor. Cum enim nos opprimeret ille, cuius in libro Iob virtus & potentia describitur: Non est potestas super terrā, quę comparetur ei; qui factus est, ut nullum timeret. omne sublime videt, ipse est Rex super uniuersos filios superbię. Cum igitur nos ille oppressos seruitute teneret, quę spes esse potuisset recuperandę libertatis, nisi nobis diuina miseratio per Christum adfuisset? Hic igitur parceret pauperi & inopi, & animas pauperum saluas faciet. Ex vsuris & iniquitate redimet animas eorum, & honorabile nomen eorū coram illo. Quid ni proinde gaudio incredibili perfundantur, tam tetra tyrannide & seruitute liberati? Lætabuntur, inquit Isaias, coram te, sicut qui lætantur in messe: sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia. Iugum enim oneris eius, & virgā humeri eius, & sceptrū exactoris eius superasti, sicut in die Madian. Superauit Dominus gentium iugum, quando illas à dæmoniaca tyrannidis seruitute liberavit: & virgam humeri, cum percussione pro opere malo peressam, compescuit. Sceptrum autem exactoris extorsit, cum regnum diaboli peccatorum tributa exigentis, ex credentium cordibus dissipauit. Quodd si propter libertatis initia lætandum est, cum in via Domini alacriter quidem ambulantes, salutem tamen nostrā cum metu adhuc & tremore operamur, expectantes redemptionem corporis nostri: quantam fore putamus exultationem, cum ipsius libertatis consummatione beatè regnabimus? In die enim illa, inquit Isaias, cum requiē dederit tibi Deus à labore tuo, & à concussione tua, & à seruitute dura qua antè seruisti, sumes parabolam istam contra Regem Babylonis, & dices: Quomodo cessauit exactor, quieuit tributum? Contriuit Dominus baculum impiorum, virgam dominatium, & den-

tem

tem populos in indignatione plaga insanabili, subijcientem in furore gentes, persequentem crudeliter. Conquieuit & siluit omnis terra gauisa est & exultauit, abietes quoque latatae sunt super te, & cedri Libani. Ex quo dormisti, non ascendit qui succidat nos.

Cap. 51. Et rursum: Nunquid non tu percussisti superbum, & vulnerasti draconem? Superbus autem hic & draco, vnus idemque diabolus est. Draco propter insidias & violentiam: sed percussus & vulneratus ligno crucis, dominatum amisit. pergensque Propheta subiungit: Nunquid non tu siccasti mare, aquam abyssi vehementis, qui posuisti profundum maris viam (hoc est, in mundo Ecclesiam, etiam ubi abundantissima & altissima erat impietas) vt transirent liberati? Et nunc qui redempti sunt à Domino, reuertentur, & venient in Sion laudantes, & lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium & lætitia tenebunt, fugiet dolor & gemitus: quod electis tunc plenè præstabitur, cum nulla remanebit causa lugendi, ipso etiam malorum metu sublato. Alio quoque in loco: Faciet, inquit, Dominus exercituum omnibus populis in mōte hoc, id est, in Ecclesia, conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemiæ defæcatae. Hoc illud est conuiuium, in quo Dominus recubituros dixerat Abraham, Isaac & Iacob, in regno cælorum: ad quod conuiuium ij omnes congregantur, qui fidem eorum iustitiamque studiosè sectantur. In quo præparatas delicias quis explicet? quando scriptum est; Neque auris audiuit, neque oculus vidit, neque in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se. Sed eas tamen Propheta, ad homines sese atemperans, quasi paruulos, notissimarum rerum metaphoris adumbravit, pingues & medullatas carnes, vinumque optimum ac præstantissimū exprimens. Ne verò cuiquam in mentem venire possit, in hoc conui-

conuiuio, omni licet genere ferculorum instructissimo, aliquem semper fortasse stimulatorum dolorem, metumve sollicitos & anxios animos habiturum, secutus adiunxit: Et præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos. Hanc, inquit, multiplicem variamque humanæ vitæ miseriam, cuius toto in orbe ceu facies quædam, & tristis vultus apparet, cuiusque omnes omnium gētium homines, quasi vinculis constricti & colligati tenentur, suis ab electis Dominus tanquam ex alto præcipitans, celerrimè potentissimeque reijciet, ac subito euanescere faciet ex oculis: telamque seu fasciam calamitosi huius status, qua totum opertum atque obuolutum est genus humanum, omni ex parte detrahet, ac mortem ipsam præcipitabit in sempiternum. Et auferet Dominus lachrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de vniuersa terra, quia Dominus locutus est. Et dicit in die illa. Ecce Deus noster (visibilem & conspicuum significat hominibus fore Deum, quem etiam demonstrare digito, & eius sui præsentia possint) expectauimus eum, & saluabit nos. Quia verò, salus hæc libertasque nostra, sine hostium nostrorum singulari deiectione constare non poterat: de illa quanta futura esset, non tacuit: Et triturabitur, inquit, Moab sub eo sicut teruntur paleæ in plastro, & extendet manus suas sub eo sicut natans ad natandum, & humiliabit gloriam eius cum allisione manuum eius. Impiorum, his verbis, vnà cum suis principibus & incensoribus dæmonibus, vltimam deiectionem, & abiectissimam extremamque seruitutem significat. Quorum hinc quidem piis Dei cultoribus semper est infesta multitudo; sed tunc non modò vincendi, verum etiam nocendi & oppugnandi potestate detracta, victi prorsus & debilitati iacebunt. Libertatem igitur veram, quam primi hominis peccato perditam, per

R homi-

hominem secundum Christam recuperauimus, breuiter & quasi cursim ex literis sacris descripsimus. Nunc de partibus eius tribus dicendum est separatim; ac primum de libertate à peccato, quòd ea prima sit, ac veluti ianua cæterarum.

CAPVT III.

Quanam sit ea qua dicitur à peccato libertas.

1. Cor. 3.
Lib. de Spir.
et litera, c. 16.

VBI Spiritus Domini, ait Apostolus, ibi libertas. Huius enim Spiritus dono, inquit Augustinus, quo iustificamur, fit in nobis vt non peccare delectet, vbi libertas est: sicut præter hunc spiritum peccare delectat, vbi seruitus: à cuius operibus abstinendum, id est, spiritualiter sabbatizandum est. Spiritus itaque sanctus, qui vbi vult spirat, cuius secretam & intimam atque ineffabilem operationem nulla repellit cordis humani duricies, sed soluit eam cum vult, & non est qui se abscondat à calore eius, deiectâ seruitute voluntatem erigit, duplicique peccati constrictam vinculo, solutam & liberam reddit. Namque à cupiditate seculi, vitiosoque amore, quo quasi vinctâ & incuruata tenebatur, correctam atque immutatam, primum liberat vt amet veritatis & iustitiæ bonum, quod delectabatur; errorem verò & iniquitatem quam amabat, excretur: quæ sanè mutatio est dexteræ excelsi. Tum verò contractum ob priores offensas reatum soluit, charitatem infundens, vereque Dei Filium & amicum efficiens: qui deinceps Patri cælesti lubens atque alacris obtemperet. Cum enim (ait S. Basilius) data fuerit remissio peccatorum, tunc accipit homo libertatem à peccato: vnde intelligitur, eum qui facit peccatū, non solum concupiscentiæ in ipso regnantis, neque solum peccati in genere; verumetiam peccati, quod fecit, seruum esse. quod etsi transeat actu, tamen reatu maneat vsque ad remissionem peccatorum, necesse est. Tunc ergo

Lib. 1. de bapt.

ergo efficiunt verè liberi, inquit Augustinus, cum Deus nos fingit, id est, format & creat: non vt homines, quod iam fecit, sed vt boni homines simus, quod nunc gratia sua facit: vt simus in Christo Iesu noua creatura, secundum quod dictum est: Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum inuoua in visceribus meis. Vnde perspicitur, eam demum veram esse libertatem, quam oratione Propheta poscebat, dicens: Dirige gressus meos secundum eloquium tuum, & non dominetur mihi omnis iniquitas. Vbi quid aliud dicit; inquit Augustinus, quam rectum & liberum me fac secundum promissum tuum? quanto enim magis regnat in vnoquoque Dei charitas, tanto minus ei dominatur iniquitas. Quam libertatem Apostolus habere nos cupiebat, cum his adhortaretur verbis: Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentiis eius. Et rursus: Peccatum vobis non dominabitur. Tunc enim, ait Augustinus, ipsum nostræ voluntatis arbitrium verè fit liberum, dum à carnalium concupiscentiarum dominatione liberatur, dicente Domino: Si vos Filius liberauerit, verè liberi eritis. Et rursus: Non est libera dicenda voluntas humana, quamdiu est vincens & vincens cupiscentibus subdita. A quo enim quis deuictus est, huic & seruus additus est. Et, Si vos Filius liberauerit (ait ipse Dei Filius) tum verè liberi eritis. Præclare igitur Leo: Sunt, inquit, intra nosmetipsos multa certamina: & aliud caro aduersus spiritum, aliud spiritus aduersus carnem concupiscit. In qua dissensione, si cupiditates carnis fuerint fortiores, turpiter animus amittet propriam dignitatem, & perniciosum erit ei seruire, quem decuerat imperare. Si autem mens rectori suo subdita, & supernis muneribus delectata, terrenæ voluptatis incitamenta calcauerit, & in suo mortali corpore regnare peccatum non fuerit: ordinatissimum

Enchirid. 31.

Psal. 50.

Psal. 118.

In Psal. 118.

Epistola 902.

Epistola 144.

Serm. 1. de

Quadrages.

tenebit ratio principatum, & munitionem eius nulla spiritualium nequitiarum labefactabit illisio. Quia tunc est vera pax hominis, & vera libertas, quando & caro animo iudice regitur, & animus Deo præsidente gubernatur. Sic Leo, doctrinam Apostolicam planissime nobis exprimit: quia debitores, inquit Paulus, sumus, non carni ut secundum carnem vivamus. Hoc autem, ne secundum carnem vivamus, nihil aliud est, interpreti diuo Chrysostomo, quam ne dominam illam vitæ nostræ faciamus. non enim decet ut illa imperet, sed obediendo sequatur: neque ut vitam nostram dirigat, sed ut spiritus leges quibus ipsa regatur, accipiat. Idcirco enim præsident vnusquisque sibi, quemadmodum diuus Ambrosius ait, quadam potestate regali: si coercet in se corporis luxus, & in seruitutem redigat carnem suam, atque ob eam causam dictum esse vult: Regnum Dei intra vos est. & illud item in Canticis ad animam: Exi, id est (inquit) exi à seruitio, exi à carnis imperio & dominatu; atque exi non in carne, sed in spiritu, exi ad regimen potestatis. Neque verò dictis repugnare putandum est, quòd hæc ipsa res, quam libertatem definimus, iustitiæ seruitus diuinis in literis appelletur. Sic enim ait Gentium Apostolus: Gratia Dei, quòd fuistis serui peccati; obedistis autem ex corde, in eam formam doctrinæ in quam traditi estis: liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiæ. Et paucis interpositis: Cùm serui fuistis peccati, inquit, liberi fuistis iustitiæ. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? nam finis illorū mors est: nūc verò liberati à peccato, serui autem facti Deo; habetis fructum in sanctificationem, finē verò vitam æternam. Sed cùm verissime dictum sit, Domino seruire, regnare est: nulla potest homini maior aut melior naturæque eius conuenientior libertas cōtingere, quam Deo iustitiæque seruire. Subiectus enim Deo, citatibus

Roman. 8.

Serm. 14 in
epist. ad Rom.Lib. de Isaac
& anima, c. 4.

Luc. 17.

Cap. 1.

Roman. 6.

Prosper in
epist. ad De-
positariū.

tatibus imperat, eaq. ratione regnat, & liber est. Ideoq. sic liberis, & seculi cupiditates strenuè decertando vincuntibus, coronæ tanquam Regibus prōmittuntur: non quales erant illæ, quibus inter gentes, ait Tertullianus, consignari libertas solet, sed æternæ illæ & immarcescibiles, quibus acceptis, in seruitutem relabi nemo potest. Qui vicerit, inquit, dabo ei coronam vitæ. Et Apostolus sibi, haud segniter in agone certanti, coronam exspectat. Sedent & seniores coronari, eodē auro & ipse Filius hominis supra nubem micat. Demique & Reges nos Christus & Sacerdotes fecit Deo suo: Reges, propter dominatum spiritus in carnem; Sacerdotes, propter piam, qua Deo nos offerimus, subiectionem. Abusuè ergo illa seruitus dicitur, cùm sit libertas vera: sicuti è diuerso libertas abusuè & improprie nominatur, pro sua libidine, cùm nemo prohibeat, viuere. Quid enim hoc aliud est, quam infelicitissime propriissimeque seruire? quomodo interdū scriptura libertatem vocat eam, per quam, nemine prohibente, miserum esse liceat. velut Hieremiæ 34. Vos non audistis me, ut prædicaretis libertatem vnusquisque fratri suo, & vnusquisque amico suo. Ecce ego prædico vobis libertatē, ait Dominus, ad gladium, ad pestem, & ad famem. Erat hæc libertas per Ironiam sic dicta ad malè patiendum, cùm magna esset miseræ seruitus: sicuti est libertas abusuè & per Ironiam dicta, ad male faciendum; cùm vera sit seruitus sub ingo peccati. Propterea in Enchiridio beatus Augustinus; Quæ potest, inquit, serui addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat? Apud Deum verò; ut idem ait, semper est libera seruitus; cui non necessitas seruit, sed charitas. Quapropter audiunt à Domino Discipuli; Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Jam non dicam vos seruos, quia seruus nescit quid faciat dominus eius; vos autem dixi amicos, quia omnia

Lib. de coron.
militis.

1. 10.

Cap. 10.

In sent. Pro-
speri 124. ex
erratione
Augustini in
Psalm. 99.
Iohannis 15.

quæ audiui à Patre meo, nota feci vobis. Simul ergo, inquit Augustinus, & seruus es & liber: seruus, quia factus es; liber, quia amaris à Deo, à quo factus es. imò etiam inde liber, quia amas eum à quo factus es. Hæc ille in Psalm. 99. Quibus similia reperies in Psalm. 122. vbi tractans illud, Sicuti oculi seruatorum in manibus dominorum suorum: Primò, inquit, fecit nos seruos quos redemit. Deinde etsi iam filij per gratiam ipsius, serui tamen propter creaturam; quia vniuersa creatura Deo seruit. Vt igitur Deus & Pater est iustorum & Dominus: ita illi & serui sunt & filij, proindeque liberi: serui per naturam; liberi per gratiam. Qui enim vocatus est à Domino seruus, inquit Apostolus Gentium, is libertus est Domini. Similiter qui liber vocatus est, seruus est Christi. Cuius occasione loci non nihil discriminis inter libertatem & libertinitatem D. Ambrosius explicauit, libro primo de Iacob & vita beata: Ei propriè tribuens libertatem, qui nunquam seruus fuit, quomodo Adamus liber conditus est: libertum verò vocans eum qui ex seruitute eductus est in libertatem. Reuera, inquit, omnes Christi liberi sumus, nemo liber. Omnes enim in seruitute generati. Quid seruilij conditioni arrogantiam libertatis assumis? Nescis quòd te Adæ & Euz culpa mancipauerit seruituti? nescis quòd te redemerit Christus, non emerit? Seruus igitur es, cum sis redemptus; Deoque seruitutè & quasi Domino debes, & quasi redemptori. Sed non inferiorem, inquit, putes libertinitatem sub Christo quàm libertatem esse: ad dignitatem equalis, ad tuitionem præstantior est, ad gratiam par, aduersus lapsum cautior, aduersus superbiam rector. Et rursum: Vtraque conditio, inquit, est esse sub Christo, sub quo & pretiosa seruitus, & gloriosa libertas. pretiosa seruitus, quasi tanti sanguinis pretio comparata: gloriosa autem libertas, quòd nulla seruitus culpæ, nulla peccatorum vincula

constrin-

constringant; nulla flagitiorum onera, nulla criminum commercia degeneris nexui seruitutis addicant. Hactenus diuus Ambrosius pulchrè omnino Christianæ seruitutis nobilitatem, hoc est, veram beatamque iustorum libertatè explicauit: quam gloriosam ipse quidem, Augustinus verò, piam ac liberam seruitutem vocat. Ipta est, inquit, vera libertas, propter recti facti lætitiã: simul & pia seruitus, propter præcepti obedientiam. Sed ista libertas ad bene faciendum, vnde erit homini vendito & addicto, nisi redimat ille, cuius vox est: Si vos Filius liberauerit, tunc verè liberi eritis? Constat igitur, & veram libertatem esse, cum bonum cum delectatione operamur, lætique & alacres virtutis officium facimus: & simul non veram, sed piam seruitutem, Deo parere, eiusque obedienter mandata suscipere: cui subijci æquissimum esse, omni ratione doceatur. Si enim iustum est, homines seruire hominibus dominantibus, quòd hoc ipsum vtile sit seruitutibus, cum sic improbis auferat iniuriarum licentia, domitique se melius habent, quia indomiti se deterius habuerunt: quanto æquius est hominem Deo seruire, non modò quia ipse verus & legitimus piusque Dominus est, verum etiam quia totum hoc ipsum seruire Deo, non illi, sed nobis ipsis, incredibilem affert vtilitatem? Sicut enim qui versantur in lumine, nihil ipsi quidem lumini præstant beneficij, sed ab eo potiùs beneficium accipiunt: sic & seruitus erga Deum, inquit Irenæus, Deo quidem nihil cõfert, qui bonorum nostrorum nõ eger: ipse autem sibi seruentibus, vitam & incorruptelam præbet: & idcirco exegit ab hominibus seruitutem; vt, quoniam est bonus & misericors, beneficiat eis qui in eius seruitute perseverant. Bene igitur diuus Prosper sic ait: Nemo seruit, nisi cum aliqua libertate: & nemo liber est, nisi cum aliqua seruitute, dicente Apostolo: Cum enim serui essetis peccati,

R 4 liberi

Lib. 1. conp.
duas epistolae
Pelag. cap. 3.

Lib. 4. conp.
Iheros. cap. 28.

Contra Collet.
cap. 21.

9. Cor. 7.

Cap. 3.

liberi fuitis iustitiæ. Bene etiam Augustinus in Psalmum 103. Quos, inquit, liberos fecerat, seruos fecit: non conditione seruili, sed tamen Christi redemptione: non necessitate, sed charitate. Seruum enim suum te fecit, qui te suo sanguine liberum fecit.

CAPVT IIII.

Qui solo metu, non amore iustitiæ, quod præceptum est faciunt, hos nondum esse liberos à seruitute peccati.

EXISTVNT autem nonnulli, qui licet Deo seruire, eiusque præceptum implere videantur: nondum tamen ad veram hanc, quæ à peccato est, peruenere libertatem: sed adhuc inter seruos à Scripturæ sanctæ diuinis auctoribus numerantur. velut ij qui Deum quidem verum norunt, easque ex præceptis non tenent modò certa cognitione voluntatem, verum etiam illam quadam specie probandæ conuersationis, hominum oculis subiiciunt, vt viri esse boni videantur: sed totum id metu pœnarum, aut terrenorum amore præmiorum agunt, ac proinde non libenter neque ingenua voluntate: cum præceptum non ametur, sed carnali cupiditati seruiatur. Etenim duæ res sunt quæ seruitutem animo veram afferunt: altera, si lubens ei pareas, cui parendum non sit, hoc est, non legitimo domino, sed tyranno hostiliq; potestati. vnde etsi sunt qui, verbi gratia, Mammonæ lubentes seruiunt, tamen non ille nouit, inquit Ambrosius, aliqua iura dominatus, sed ipsi sibi iugum seruitutis imponunt. neque enim iusta est potestas, sed iniusta seruitus; & ideo ait: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Idcirco & per Ieremiam sic est prænnunciata seruitutis abiectio, vt diceretur: Cõteram iugum eius de collo tuo, & vincula eius dirumpam, & non dominabuntur ei amplius alieni, sed seruient Domino Deo suo. Altera quæ seruitutem facit res est, si, cui parendum sit eius iussis in-

Lib. 8 in Luc.
cap. 67.

uitus & grauatim obtemperes. præceptum enim liber facit, inquit Augustinus, qui lubens facit, atque idem ait angelos æterno Dei imperio liberaliter seruire, quia suauiter: suprâ quoque produximus illud quod ait, Veram esse libertatẽ, propter recti facti lætitiã. Quin & Seneca sæcularis auctor: Qui imperia, inquit, lubes excipit, partem acerbissimam seruitutis effugit, facere quod nolit. Non enim qui iussus aliquid facit, miser est, sed qui inuitus facit. Cicero quoque in Paradoxis, eum demum liberum esse pronunciat, qui recta sequitur, qui gaudet officio, qui legibus quidem non propter metum parer, sed eas sequitur, quia salutare id esse maximè iudicet; qui denique nihil facit, nihil dicit, nihil etiam cogitat, nisi libenter ac liberè. Nec verò ad seruitutem pertinet, adactum metu officium facere, tristem videlicet ac inuitum, propterea tantum, quia seruile sit metu coërceri, verum etiam quod, vbi solus animus metus occuparit, etsi ab opere nefario manus cohibetur, quia tamen cogitur homo aliud habere in opere, quàm gerat voluntate, nondum effugerit dominantis cupiditatis & peccati seruitutem. Sic enim præcepta qui facit, cum ea inuitus faciat, proculdubio in animo & coram Deo, non facit. Mallet enim non facere, si secundum ea quæ cupit & metuit, sineretur impunè. ideoq; violati mandati in ipsa voluntate reus deprehenditur, vbi qui præcipit, inspicit Deus. Foris proinde nitet ille quidem splendore virtutis:

Sed videt hunc omnis domus & vicinia tota,

Introrsum tu pem, speciosum pelle decora.

Horat lib. 1.
Epistola.

Quonam ergo modo liber est, cuius in animo peccadi adhuc, quamuis occultior, regnat affectus? Non facio inquit. quare? quia timeo, nondum amas iustitiã, adhuc seruus es, inquit Augustinus in Psalm. 32. Idcirco læulentissimè beatus Gregorius: Si adhuc à praua actione, inquit, formidata pœna cohibet, profectò

Past. par. 5.

formidantis animum nulla spiritus libertas tenet. Et
 rursum: Ignorat mens gratiam libertatis, quam adhuc
 ligat seruitus timoris. Hinc igitur vetus testamentum,
 cuius in ancilla Agar quædam adumbratio præcesse-
 rat, in seruitutem generasse à Paulo dicitur: propterea
 quòd metum incutiens tantummodo, non amorem
 sanctum ingenerans, seruos faceret, qui iram Domini
 & flagra formidarent; non liberos, qui pium Patrem
 offendere vererentur. Sic enim Apostoli sententiam
 D. Augustinus explicauit, scribens in hunc modum:
 Hæc planè distinctio est, inquit, quod faciunt ista (Dei
 videlicet præcepta) sub lege positi, quos litera occidit,
 terrenam felicitatem vel cupiditate adipiscendi, vel ti-
 more amittendi: & ideo non verè faciunt; quia carna-
 lis cupiditas, qua peccatum augetur, cupiditate alia
 non sanatur. Hi ad vetus, inquit, pertinent Testamen-
 tum, quod in seruitutem generat: quia facit carnalis
 timor & cupiditas seruos, non Euangelica fides, spes,
 & charitas liberos. Sub gratia verò positi, quos viuifi-
 cat Spiritus, ex fide ista faciunt, quæ per dilectionem
 operatur, in spe bonorum non carnalium, sed spiritua-
 lium; non terrenorū, sed cælestium; non temporalium,
 sed æternorum: præcipuè credentes in Mediatorem,
 per quem sibi non dubitant & spiritum gratiæ submi-
 nistrari, vt bene ista faciant; & ignosci posse cum pec-
 cant. Hi pertinent ad Testamentum nouum, filij prom-
 missionis, & regenerati à Deo Patre & libera Matre.
 Atque in eodem capite: In veteri Testamento, inquit,
 sunt promissa terrena; quia & hoc ad Dei misericor-
 diam pertinuit, ne quisquam vel ipsam terrenam qua-
 lem cunque felicitatem, nisi à Domino creatore vni-
 uersitatis, putet cuique posse conferri. Sed si propter
 illam colatur Deus, seruilis est cultus, pertinens ad fi-
 lios ancillæ. Si autè propter ipsum Deum, vt in æterna
 vita sit Deus omnia in omnibus; liberalis est seruitus,

perti-

pertinens ad filios liberæ, quæ est mater nostra æterna
 in cælis; quæ prius tanquam sterilis apparebat, quando
 peripicuos filios non habebat. nunc autem videmus
 quod de illa prophetatum est: Lærare sterilis quæ non
 parit, erumpe & clama quæ non parturit: quoniam
 multi filij desertæ magis, quàm eius quæ habet virum:
 id est, magis quàm illius Hierusalem, quæ Legis quo-
 dammodo vinculo maritata est, & seruit cū filiis suis.
 Hæc diuus Augustinus, ex quibus intelligitur, eos li-
 beros esse solos, qui ad Legem implendam, Dei virtu-
 tisque amore ducuntur, non solo impelluntur metu, aut
 cupiditate trahuntur. Cuiusmodi affectionem petebat
 is, cuius in Psalmis precatio est: Inclina cor meum in
 testimonia tua, & non in auaritiam. nimirum vt Do-
 mino suo non propter terrenas res, quas auaritia con-
 cupiscit; sed propter ipsum Deum, cui charitas seruit,
 proposita legis præcepta seruaret. Qui autem remun-
 erationem terrenam expetit, idem illa metuit quæ ei
 aduersa sunt, incommoda atque detrimenta: hoc quæ
 ipso metu seruit & officium facit, aut potius facere vi-
 detur. Hunc metum, cū in Deum respicit, hoc est,
 cū timentur plagæ temporales, tanquam à Deo in-
 ferendæ si non eius præceptis pareatur, scriptura spiri-
 tum seruitutis appellauit, vbi dicitur: Non accepistis
 spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spi-
 ritum adoptionis filiorū, in quo clamamus, Abba pa-
 ter. est enim quidam timor seruilis, ait Augustinus, in
 quo quamuis Domino creditur, non tamen in iustitia di-
 ligitur, sed timetur damnatio. Filij verò clamant, Abba
 Pater; quarum duarum vocum, vna est ex circumci-
 sione; altera ex preputio. Cū autem clamant, aliquid
 petunt: & quid petunt, nisi quod esuriunt & sitiunt? &
 hoc quid? nisi quod de illis dictum est: Beati qui esu-
 riunt & sitiunt iustitiam. Amant igitur liberi iustitiam,
 cuius ad perfectionem, charitatis conatu contendunt;

& cū

Galat. 4.

Lib. 3. contra
 duas Epistolae
 Pelag. cap. 4.

Isaie 54.

Psal. 118.

Rom. 8.

Lib. de Spiritu
 & litera, c. 31.
 & sermo 13. de
 verbis Apost.

& cum filij Dei sint, spiritu Dei aguntur; de quo dictum est, Vbi spiritus Domini, ibi libertas: quæ legem, inquit Leo, non timore exequitur, sed amore. Obedientiam enim mollit imperium, nec dura ibi necessitate seruitur, vbi diligitur quod iubetur. Est enim hic spiritus adoptionis filiorum, per quem, interprete Isidoro, iam non peccati pœna seruos comprimit, sed amor iustitiæ liberos reddit. Spiritus enim ipse, qui filium obedientem & orantem, idem omnino & libetum efficit: hoc est, Domino, cui eum natura subiecit, liberaliter ac libenter seruientem. Ac veteris quidem Testamenti homines, filios interdum appellatos esse legimus, ex quo illud: Filios enutriui, illi autem spreuerunt me. verum sicuti vmbra tantum libertatis, in eo quod gentibus non seruebatur; ita & adoptionis ac filiationis duntaxat imaginem gerebant. Erat, ait Chrysostomus, apud Iudæos adoptio, honor quidem in verbis; apud nos verò etiam re ipsa secuta est: nimirum purgatio quæ est per baptismum, donum Spiritus sancti, aliorumque bonorum suppeditatio. Idcirco dicit beatus Apostolus: Habentes hanc ministracionem spiritus: amoris videlicet, non timoris, iuxta quod misericordiam consecuti sumus, non deficiamus, sed abdicamus occulta decoris: vt hoc non dubitemus veræ esse libertatis, non ab opere modò illicito sibi temperare coram hominibus, verumetiam coram Deo animum habere à vitiorum inquinamētis repurgatum, & à cupiditatis etiam occulta dominatione liberum. Id quod nemo sub lege adhuc positus assequitur per spiritum timoris; sed ijs qui sub gratia sunt, præstatur per spiritum dilectionis: quo solo facta carnis mortificantur, vt viuamus. Nec ob aliud, inquit Augustinus in Psalm. 67. rectè intelligitur dictum: Onus meum leue est: nisi quia dat Spiritum sanctum, per quem diffunditur charitas in cordibus nostris; vt amado liberaliter faciamus, quod

timendo

timendo qui facit, seruiliter facit. Vtinam tamen, ait idem, vel pœnam timeas. Timor seruus est, charitas libera est: & vt sic dicamus, timor est seruus charitatis. Ne possideat diabolus cor tuum, præcedat seruus in corde tuo, & seruet dominæ venturæ locum. Fac, fac vel timore pœnæ, si nondum potes amore iustitiæ. Veniet domina, & seruus abscedet: quia perfecta charitas, foras mittit timorem: quod non solum de illo timore verum est, qui dicitur humanus, cuiusmodi Petrus negare compulit timor; verumetiam de illo, quo propter pœnam metuitur Deus. Vterque enim seruorum est; & ideo charitas quæ libera est, cum perfecta fuerit, vtrumque foras expellit. Ad priorem aliquando respexit D. Augustinus: velut Tractatu 92. in Ioanem: Petrus, inquit, contra suam pollicitationem, timore magno compulsus est ter negare. Timor autem iste non est in charitate: sed perfecta charitas foras mittit timorem. Denique ante passionē Domini timor eius seruilis interrogatus est à femina seruitutis: post resurrectionem verò, liberalis eius amor à principe libertatis. Hæc eo pertinēt, vt intelligamus, vbi charitas in sit, ibi verā inesse à peccato libertatem. Quò vt transeant, eos qui sub Lege sunt, adhortamur: vt ex seruis filij fiant. nec sic tamen, vt serui omnino esse desistant, sed vt tanquam filij, domino & patri liberaliter inseruiant. Quippe duplicem seruitutem, duplex efficit timor: sed cum pœna duntaxat metuitur, seruitus vera est: quem timorem attendebat Apostolus, cum diceret: Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore. & aliàs, cum diceret, à perfecta charitate foras mitti timorem. cum verò ex dilectione iustitiæ, Patris cœlestis offensa timetur, non vera, sicuti est dictum, sed pia liberaque seruitus est. Ideoque non foras, vt prior illa, mittenda: quia timor Domini sanctus, permanet in seculum seculi: sed ad eum perueniens, cui dicitur: Euge serue

serue bone, intra in gaudium Domini tui. Est ergo & hæc seruitus quædam: sed qualis est filiorum, qui suis progenitoribus morem amanter gerant. est seruitus, sed libera, homineque libero & ingenno dignissima. Denique qui sic seruus est, idem, cum sit amicus & filius, paternæ hereditatis particeps, manet in domo in æternum.

CAPVT V.

Non coli Deum seruiliter ab ijs qui æterna mercedis intuitu præceptis eius obtemperant.

MAGNO verò in errore versantur, qui seruiliter coli Deum prædicant ab ijs hominibus, qui propter æternam felicitatem, regnumque beatum, illi seruiunt, huiusque mercedis intuitu opera sua bona faciunt. Quid enim charitas, qua sola esuritur & sititur iustitia, rectius quærat quam iustitiæ consummationem? Cur non ad hanc, ceu finem, imperfecta huius vitæ iustitia ordinatissimè referatur? Quid autem à patre filius exoptet liberalius, quam vt illi indiuisè & stabili coniunctione adhæreat, in illo conquiescat, eiusque præsentia & perfruitione læretur? In his autem, situm est beatum illud regnum, propter quod adipiscendum, sancti omnes verique cultores Domino seruiuerunt. Non enim, quemadmodum Apostolus ait, Regnum Dei est esca & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu sancto. Hanc mercedem Prophetæ quærebat, cum diceret: Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas, propter retributionem. Hanc Moyses spectabat remunerationem, cum illecebrosis Ægypti deliciis, ærumnas populi fidelis & afflictiones anteponeret. Hanc fidelium patres, non acceptis repromissionibus mortui, à longe aspexerunt, & salutarunt, confitentes quia peregrini essent super terram. Ad hanc coronam adipiscendam, dicit gentium Apostolus, eos qui in agone contédunt Christiani certaminis,

taminis, ab omnibus sibi temperare quæ illius consecutionem impedire queant. Denique dux fidelium & Imperator Christus Dominus, primùm quærere Dei regnum iubet ac iustitiam eius. & quoniam studia ipsa virtutis iustitiæque sine remuneratione torpescunt, quemadmodum D. Ambrosius ait; idcirco mercedis pollicitatione suos milites subinde excitat ac confirmat, ad certaminum labores in fractis animis subeundos. Atque idem cum operatis in vineam suam euocatis, de denario diurno paciscitur, per quem vitæ æternæ proportionata significatur æqualitas. Quærentibus quoque discipulis, quæram ipsos maneret remuneratio. qui relictis omnibus eum secuti fuissent; non illos modò, verùm & alios omnes qui idem facere instituisent, proposita mercede amplissima excitans atque inflammans, respondit, eos non in hac modò vitæ cætiæ tantum quantum reliquissent accepturos, verum etiam (quod propriè loco præmij expectandum est) vitam æternam possessuros esse. Non enim dixi (ait Dominus per Isaiam) semini Iacob, frustra quærite me; nullo scilicet præmio, quod me iustitiæque mea dignum esset, proposito: sed insignem meis cultoribus promisi mercedem. Qui enim ambulat in iustitiis, & loquitur veritatem; qui proijcit auaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere; qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos ne videat malum, iste in excelsis habitabit, munita saxorù sublimitas eius; panis ei datus est, aquæ eius fideles sunt, Regem in decore suo videbunt oculi eius, cernent terram de longè. Atque hoc pacto (ait diuus Chrysostomus) magnus nobis ex operibus nostris fructus proueniet, cum ea mète omnia faciamus, vt clariores nobis coronas præparemus. Non enim, quemadmodum diuus inquit Ambrosius, insolentis arrogantia, sed innocentis est conscientia, ab eo cui seruietis,

Rom. 14.

Psalm. 118.

Hebr. 11.

1. Cor. 9.

Math. 6.

Lib. 5. in Luc.

Math. 20.

Math. 19.

Isaia 45.

Isaia 33.

In esp. 8. prioru ad Corinth.

In T. sal. 118. ad vers. Retrib. bene scripto 118.

feruieris, petere mercedem. nam desperare, segnitiei materia; sperare, incentiuum laboris. Quid verò diuus Cyprianus? Hæc sit, inquit, armorum nostrorum præparatio, hæc diurna & nocturna meditatio, ante oculos habere & cogitare semper ac sensibus voluere iniquorum supplicia, & merita ac præmia iustorum; quid negantibus Dominus comminetur ad pœnam; quid contrâ confitentibus promittat ad gloriam. Augustinus quoque dicit, illum ex tentatione victorem euadere, qui attendit opus ex Dei præcepto faciendum, & præmium ab eodem promissum facienti: rursusq. ex altera parte, fugit escam à diabolo porrectam, & laqueum ab eodem præparatum. At gratis colit Deum à filiis oportere, compluribus locis docet Augustinus. Nempe hoc ille docet, qui tamen non dubitat scribere, homines fieri debere Christianos propter adipiscendam vitam æternam, & gehennæ tormenta euadenda, qui alio loco ait, in nouo Testamento docedum fuisse, non propter temporale in hac vita, sed propter æternam, post hanc vitam, felicitatem, Deo esse seruiendum. qui liberalem affirmat esse seruitutem, atque ad filios liberæ pertinentem, si propterea colitur Deus, vt in æterna vita ipse sit omnia in omnibus. hoc ille dicit, qui docet interim quemadmodum Iacob accepta prius Lia, pro sui laboris præmio formosam quæ fuit Rachel, & accepit: ita sanctos in hac vita tanquam solam consecutos Liam, quæ huius vitæ peregrinationem deformem laboribus adumbrabat, Deum colere, & agere pati que multa, vt ad pulchræ perfectæque sapientiæ delicias, & beatæ contemplationis quiete perueniant, quæ nobis est in Rachele figurata. Non igitur Deum seruiliter aut non gratis colit, qui intuetur beatæ vitæ mercedem; quam dum quærimus, nihil aliud quam ipsum præcipue quærimus Deum, qui suis cultoribus merces est magna nimis: ad quam dum opera nostra;

vt finem

vt finem referimus, nihil expetimus aliud, quam, vt qui hîc imperfectè seruius, illic omni ex parte seruiamus: qui hîc adhuc carnali infirmitate languemus, deorsumque trahimur, illic Deum nostrum flagrantissima charitate cõplectamur: qui hîc in multis offendimus, & ruinam lapsusque timemus, illic iustitiæ perfectione ita saturemur, vt nec sit quod addi cupiamus, & ita semper fore, exploratum habeamus. In vita beata, inquit Augustinus, vna erit virtus, & idipsum virtus præmiûque virtutis. Sed is demum colit Deum non gratis & seruiliter, qui terrenam ab eõ remunerationem & felicitatem expectat; frustra se Deum coluisse existimans, si hanc nõ fuerit assecutus. Non gratis & seruiliter ille colit, qui aliud præter Deum quærit, quod nõ propter ipsum Deum amet, sed ob id quæritissimum, vt sibi bene sit ac commode. Talem enim suæ adhuc cupiditati mancipatum, non iustitiæ Dei quæ seruum vltro neum, finis ipse vltimus conuincit, quem cura præcipua, primariaque intentione consecratur. Quo proposito, tantum abest vt obseruatione præcepti, seruitus peccati fugiatur, vt inquitur etiam peccato præclarissima alioqui opera officiaque virtutis. Peccatum enim, inquit Augustinus, non solum illud est quod in turpi aut iniquo facto apparet hominibus, sed etiam si habeat speciem boni operis, & tamen propter mercedem temporalem fiat, non propter requiem sempiternam. Quodlibet enim quisquis facit, si hoc animo facit: vt terrenum emolumentum cõsequatur, seruiliter facit, & ideo sabbatum non obseruat. Grátis enim amandus est Deus; nec anima potest, nisi in eo quod diligit, requiescere: æterna autem requies di non datur, nisi in dilectione Dei, qui solus æternus est: & ipsa est perfecta sanctificatio, & spirituale sabbatum sabbatorum. Hæc cum dicit Augustinus, non tibi tibi videtur eius dicere seruilem esse cultum, qui propter

Epistola 92.

Serm. 26. in
scorsum Leu-
tanicj excussis.

S

sem-

Lib. 4. epistol.
epist. 6. in fine.

In Psal. 143.

Lib. de cathed.
chris. in du rudi-
bus, cap. 17.Lib. 22. contra
Faustū, c. 76.Lib. 3. contra
duas epist. Pe-
lag. cap. 4.Lib. 22. contra
Faustū, c. 52.

in loco, quid sit non gratis seruire, declarat. Quod tibi, inquit, pro magno præstat Deus, non præponas illi qui præstitit; & cum voluerit tibi subtrahere, non tibi ueliscat, quia gratis amandus est Deus. Quod enim dulcius a Deo præmiū, quam ipse Deus? Et rursum: Hoc effectū, inquit, & desiderio colendus est Deus, ut sui ritus ipse sit merces. Nam qui Deum ideo colit, ut aliud malus quam ipsum Deum promereatur, non Deum colit, sed id quod assequi concupiscit. Item quæ etiam cum illam uersiculū explanat Psalmi 118. In elina cor meum in testimonia tua, & nō in auaritiā. Omnis, inquit, a nobis circumciditur auaritia, si gratis colatur Deus. Ad quod, sanctum Iob in agone temptationis ipse prouocat inimicus, cum de illo dicit: Nunquid colit Iob gratis Deum? putabat enim diabolus, quod in eo colendo uir iustus cor inclinatum haberet in auaritiā, & causa emolumentū uel utilitatis rerum temporalium, quibus eum ditauerat Dominus, uelut mercenarias ei pro tali mercede seruiret; sed quā gratis coleret Deum, tentatus aperuit & apparuit. Si ergo non habemus cor in auaritiā incuruātū, Deum non colamus, nisi propter Deum. Adhibet etiā exemplū quoque mulierum, quarū altera maritum amat propter diuitias, eundemque deserit paupertate deiectum; altera uerē amat, & pauperem plus etiam diligit, cui misericordiæ officia deesse non patitur. Sicut igitur quibus seruos se mercenarios exhibent, qui non quum salutem curant ex animo, sed suis commodis inhiant; ideoque si lupum uiderint uenientem, fugæ se mandare consueſcunt; de quibus per Ezechielem dictum est: Vt pastoribus Israël qui pascebant semet ipsos: ita mercenarium se Deo seruum & tutorem præbet, qui ex eius cultu sua potissimum emolumenta conquirunt, nihilque habet prius, quā ut sibi bene sit.

Quo

Quo fit ut si illius blasphemetur linguā nomen, aut deprauatis moribus polluat, neque angatur magnopere, neque prohibeat, quamuis facile possit, tantam iniuriā; modò interim sua lucra in solidū obtineat. Istiusmodi hominum genus etiam Poëtæ uersibus reprehensum est:

Cura quid expediat prior est, quā quid sit honestum,

Et cum fortuna statq; caditq; fides.

Non facile inuenies multis è millibus unum,

Virtutem pretium qui putet esse sui.

Ipsè decor recti, facti si premia desunt,

Non mouet, & gratis panites esse probum.

Nil nisi quod prodest charum est, en detrahe menti.

Spem fructus auida, nemo petendus erit.

At redius iam quisque suos amat, & sibi quid sit

Vtile, sollicitis computat articulis.

Nec uerò diuus Ambrosius, aliā quā temporariam exclusit mercedem, cum ait, propositum piæ mentis non expetere mercedem, sed pro mercede habere boni facti conscientiam & iusti operis effectum; angustas mentes inuitari promissis, erigi speratis mercedibus. Quod ex uerbis consequentibus licet agnoscere, quibus ait: Dei quoque in eo prædicatur iustitia, qui remunerationem piis mētibus non ex necessitate promissis, sed ex æquitatis suæ contemplatione, largitur: iudicans dignum fore, quod hi qui militat sine aliqua mercedis humane remuneratione, repositum habent præmium in eius bonitate, cui deuouedus animas suas æstimauerint. Idcirco cum & in Lucam scriberet, hæc annotata reliquit; Mercenarij sunt, qui ad mercedem seruiunt; non id quod bonum est probitatis studio persequentes; inæ virtutis gratia, sed utilitatis studio prouocati. At uerò filius qui habet sancti Spiritus pignus in corde, secularis mercedis, bycellam non querit, quia ius seruat hæredis. Vides eū nihil aliud quā

S 2

tempo-

Quid Eleg. 3.
De Pontico.

Libro 2. de
Abraha Patriarch. cap. 8.

Lib. 7. cap. 60.

temporariam mercedem humanamque remunerationem se iungere ab expectatione eorum qui verè filij sunt, & liberaliter seruiunt? Alioqui vbi de excessu fratris Satyri verba facit, in laudis parte reponit, erectionem præmio fieri: vti & aliàs, ad pudicitiam conseruationem, considerare iubet iudicium Dei, & testimonia de præmiis castitatis. Quocirca minùs ea quoque perturbant, quæ posuit libro tertio de Interpellatione, hunc in modum: Qui Christum sequitur, non præmio ducitur ad perfectionem, sed perfectione consummatur ad præmium. Imitatores enim Christi non propter spem boni sunt, sed pro amore virtutis. Christus enim per naturam bonus, non propter præmij cupiditatem. Minus, inquam, iam ista nos verba perturbant. Nam si præmium intelligi voluit quod reuera iustitiæ præmium est, ipsum Deum, siue beatificam & iustitiæ consummationem diuinæ essentiae visionem: quoniam modo propter spem bonus non est quicumque est bonus? Aut quo pacto non is virtutem amare, eoque ad benefaciendum amore duci videri potest, qui Deum vti summum bonum amet; quem si non amet, sperare non possit? Solos itaque illos Ambrosij monita reprehendunt, qui non virtutis amore benefaciendo, sed præmia sola sequuntur: quæ profectò temporaria esse; aut si æterna cogitantur, ad corporis aliquam voluptatem, non ad iustitiæ consummationem pertinere necesse est. Quo loco adhuc erat diuus Augustinus, cum, sicuti de seipso confitetur, quæreret, si essemus immortales, & in perpetua corporis voluptate sine vllò amissionis terrore viueremus, cur non essemus beati; aut quid aliud quæreremus? Nesciens, inquit, id ipsum ad magnam miseriam pertinere, quod ita demersus & cæcus, cogitare non possem lumen honestatis, & gratis amplectenda pulchritudinis, quam non vidit oculus carnis, & videtur ex intimo. Nam & Iudej, videntur, aut

resur-

resurrectionem sperant, sed ad tales voluptates corporis se sperant resurrecturos quales hic viuentes amant. Exigitur autem abs te, inquit, vt gratis eum colas; non quia dat temporalia, sed quia præstat æterna. Sed ipsa, inquit, æterna vide ne aliter cogites; & cogitando æterna carnaliter, nihilominus Deum nõ gratis colas. Hæc ille in Psalm. 43. Quod ergo pertinet ad ea quæ corporis sunt in felicitate sanctorum, sicuti qui ad miracula credit Deo, bonus est; sed melior atque perfectior, qui illa vt credat non requirit: sic qui illis excitatus corporis bonis, ad Deum currit, bonus est; at ille perfectior, qui eiusmodi non eget prouocatione, soloque Deo contentus est, qui sit ei merces magna nimis. qualem fuisse Paulum diuus Chrysostomus insinuat homilia secunda de laudibus eius. Non dico, inquit, quia nihil præsentium desiderabat, sed nec ipsorum aliquid futurorum. Ardentissimo enim in Christum amore raptus Paulus, nihil eiusmodi requirebat ad ministrulorum. Quod si tamen vitiosum esset, regni futuri gloriam, & corporum immortalitatem benefaciendo quærere: non diceret idem Apostolus ad Romanos, illis vitam æternam esse præparatam, qui gloriam & honorem & incorruptionem quærunt. Si securissimam illam stabilissimamque quietem & munitissimam sedem vitiosum esset à Deo pro virtutum operibus expectare & petere; non diceret sanctus Propheta: Vnam petij à Domino, hanc requiram: vt inhabitem in domo Domini, omnibus diebus vitæ meæ. Quamuis autem diuus Chrysostomus sermone quinto in Epistolam ad Romanos, præmij spem & expectationem vituperet, cum sic scribit: Maior erit merces, si bonum non spe præmij feceris: quid enim opus est de mercede verba facere, præmiumque operis curiosè spectare? Mercenarij magis hoc est, quàm grati & ingenui famulj. Oportebat enim omnia propter Christum fa-

S 3 cete

cere, non propter mercedem. Etenim & gehennam ideo minatus est, & regnum promisit, ut à nobis diligeretur. hæc ergo tamen si eo quidem loco scripta reliquerit, tamen ut quid vellet non relinqueretur obsecrum, in Epistolam ad Hebræos scribens, homilia 13, notare se eos significat, qui non amore virtutis, sed mercedis cupiditate ducuntur. Nemo, inquit, sicut mercenarius, nemo sicut ingratus aggrediatur virtutem, nemo sicut graue quiddam & importabile. Cum alacritate igitur hanc aggrediamur, & gaudentes. Si enim merces nobis non esset proposita, nonne oportebat esse bonos? Saltem cum mercede iam efficiamur boni: & quomodo non erubescis? In hoc maior est reprehensio ista, nisi mihi mercedem dederis, inquis, non efficior modestus. Proinde audeo aliquid dicere, nunquam eris modestus, ne tum quidem quando modestus es. Si quidem pro mercede facis, nihili æstimas virtutem, si non ipsam amas. Sed Deus propter multam nostram infirmitatem interim, vel propter mercedem ea fieri voluit. nos autem neque sic eam aggredimur. In illum quoque Evangelij locum, ubi reprehensi sunt qui Christum querebant propterea quod de panibus eius manducassent: Illos (ait Chryostomus homilia 50. in Matthæum) accusari videmus; non quia propter panes, sed quia propter id solum atque principaliter eum quærent.

CAPVT VI.

Quònam modo Bernardus dixerit non sine premio quidè diligi Deum, sed absque præmij tamen intuitu diligendum esse.

QUID autem Bernardus? cuius illa oratio, quid vellet, indicauit: Qui magis, inquit, aut certe solum diligit suum, conuincitur non castè diligere bonum, quod utique propter se diligit, nō propter ipsum. Et hic talis non potest obedire Prophete, qui ait: Confitemini

fitemini Domino, quoniam bonus. Confitebatur enim, quia bonus est sibi, non quia bonus est in se. Quapropter nouerit in se dirigi illud ab eodem Propheta opprobrium: Confitebitur tibi cum benefeceris ei. Est qui confitebatur Domino, quia potens est: & est qui confitebatur, quoniam sibi bonus est: & item qui confitebatur, quoniam simpliciter bonus est. Primus seruus est, & timet sibi. Secundus mercenarius, quia cupit sibi. Tertius filius est & defert Patri. Itaque & qui timet, & qui cupit, utriusque pro se agunt. Sola quæ in filio est charitas, non quærit quæ sua sunt: Sic Bernardus. Quocirca nec ipsam quæret corporum immortalitatem, nisi propter eum quem summè amat, cuique vnice cupit inhærere. Quia enim corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem; idcirco ipsa corporis incorruptio seruit charitati: ut eius in Deum motum, nihil omnino ex carne retardet, nihil quæ eius retardat ardorem, nihil intentionem, quo minùs iugis & assidua sit, impediatur. Quod si quidquam in ipsa sanctorum creatura beatitudine peteretur, sic ut quod inde homini bene esset, id tanquam primum quæreretur: non hoc iam charitatis esset, quæ sua non quærit, sed immoderati sui amoris, propria Deo antepontis commoda, & quasi ipsum sibi seruire cogentis, cui potius omnibus & corporis & animi dotibus seruire debemus. Neque enim Deus cum summè & incommutabiliter bonus sit, propter aliud diligendus & quærendus est, in quo finem amoris nostri constituamus. Nam, quem admodum verissimè Bernardus ait, Quicquid propter aliud amare videaris, id planè amas, quo amoris finis petendit. Quapropter si Deum amamus propter aliud, iam illud magis, quod nefas est, quam Deum amabimus. Id ipsum & Augustinus in Psal. 72. Qui aliud, inquit, præmium petit à Deo, & propterea vult seruire Deo carius

hominis 6.

Epist. 11. quæ est ad Carthaginienses.

Sapient. 9.
Vide Leonem
serm. de co
quod scriptum
est, Videns te
suis turbatus.

garius facit quod vult accipere, quam ipsum à quo vult accipere. Atque hoc modo verat Bernardus, Deū diligere propter præmium, quod aliud videlicet quiddam sit ab ipso Deo, quod hoc ipsum quod Deū diligimus, & ei obsequimur, referamus. Eum verò qui sincerè amet, dicit non aliud præmium quærere quam ipsum Deum, propter quod assequendum diligit: sed ipse amet Deo, cuius est infinita summeque amabilis bonitas, ad amandum excitari: quemadmodum qui esurit, non alio præmio debet ad cibum capiendum prouocari, nec aliud quam cibum quærat quo satietur. Igitur, quemadmodum ille ait, Non sine præmio diligitur Deus, quia ipse diligenti præmium est amplissimum; quamuis sine præmij intuitu sit diligendus, quod præmium diuersum sit à Deo, propter quod adipiscendum tanquã dilectionis vltimum finem, ille diligitur. hoc enim esset Deo non frui, sed vti velle: nec illum summè amare, sed aliud potius ducere, in quo esset dilectionis vltimus finis constitutus. Et his quidem satis demonstratū arbitror, non seruili cupiditate, sed planè libera charitate ab ijs Deum coli, qui propter regnum caelorum, vbi perfectissimè colatur & ametur, illius iussis obtemperant. Quod regnum idcirco etiam aduenire nobis quotidiana oratione precamur, vt cuius aliqua hinc per fidem fundamenta iecimus, illius tum perfectionem assequamur.

CAPVT VII.

Vnde Christiana libertas sumat initium, qualesq; habeat progressus.

SED initium sapientiæ, timor Domini: atque vt is qui sine timore est, non potest iustificari: ita prorsus nec fieri liber: Nisi autem & timor ille qui seruili dicitur, esset perutilis peccatori, plurimumque ad excutendam seruitutem, & introducendam libertatem,

conduceret: nõ eum à Paulo in Epistola quam ad Romanos scripsit, nomine spiritus seruitutis commendatum legeremus. Quo loco significatum est, non alium esse spiritum qui charitatem infundat quæ liberos facit; alium qui timore incusso, peccatorum corda percellit; sed eundem: à quo tamen spiritu, malæ voluntatis seruitus per timorem non aufertur, sed premitur, ideoque etiam spiritus seruitutis appellatur. Qui enim metuit, inquit Ambrosius, reprimitur, non emédatur. Idem ergo spiritus esse credendus est, sed in tabulis lapideis semel in timore: in tabulis cordis carnalibus semel in dilectione. Qui enim in mōte Sina spiritum dedit seruitutis, vbi longè positam plebem ignis, fumus, tonitrua que terrebant; idem in die Pentecostes, spiritum libertatis suauissimum, in linguis igneis credentium cordibus inspirauit. Timor enim ille seruus est, charitas libera est, atque, vt sic dicamus, Timor est seruus charitatis. Quem seruum cur spiritus ille præmitteret, nisi ad charitatem introducendam, cui seruit, prodesse cognosceret? vnde illa quorundam liberatorum vox est: A timore tuo Domine, concepimus, & quasi parturiuimus & peperimus spiritum salutis. Et quod Ioannes ait: Nemo venit ad me, nisi quem Pater attraxerit: interpretatur Augustinus fieri in cordibus omnium qui se ad eum diuinæ iracundiæ timore conuertunt. Ne ergo diabolus possideat cor tuum (ait idem auctor) præcedat seruus in corde tuo, & seruet dominæ venturæ locum. Fac, fac vel timore pœnæ, si nondum potes amore iustitiæ. Veniet domina, & seruus abscedit: quia consummata charitas foras mittit timorem. Veruntamen quando solus mentem occupat hic seruus, nihil est in homine libertatis: quæ à bona voluntate sumit initium. bonam autem voluntatem, sanctus amor efficit. quo remoto, cupiditatem dominari, & introeunte, illam abscedere; & crescente, eandem

Cap. 8.
Lib. 8. in Luc.
Cap. 67
Serm. 13. de verb. Apost.

minui magis & debilitari necesse est; donec ad illam veniatur perfectionem, ubi cor totum & animum absolutissima possideat charitas, quæ amplius non possit augeri. Itaque sanctus Fulgentius: Libertas, inquit, quæ non ex humano arbitrio nascitur, sed gratuita Dei miseratione confertur, à bona voluntate sumit exordium: & per fructum sanctificationis, in vita æterna plenum sui sortitur effectum. Quocirca in hac libertate, eo quisque maiores progressus facit, quo magis in eo proficit, quod per Prophetam præcipitur: Seruite Domino in lætitia. Hilaræ enim datorem diligit Deus, magna proinde libertate, quia magna prorsus alacritate & hilaritate Domino seruebat, qui dixit: Viã mandatorum tuorum decurri, cum dilatasti cor meum. Crescente igitur delectatione iustitiæ, libertas quoque ipsa crescit, & quidem eoque sensim, vt ille tandem animus fiat, ad quem dicit Augustinus, verum Christianum posse peruenire, vt plus amet Dominum, quam timeat gehennam: vt, etiamsi dicat illi Deus, vt ere delictijs carnalibus sempiternis, & quantum potes pecca, nec morieris, nec in gehennam mitteris, sed mecum tantummodo non eris: exhorrescat, & omnino non peccet, non iam, vt in illud quod timebat non incidat, sed ne illum quem sic amat, offendat. in quo vno est requies, quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quam præparauit Dominus diligentibus se.

CAPVT VIII.

Libertatem à peccato in hac mortali vita esse imperfectam.

PROPTER charitatem igitur, qua Dei præceptum sincere diligitur, diligendoque completur, vera est in hac mortali vita libertas à vitijs: sed tamen imperfecta est, propterea quod, quadiu vita hæc agitur, aliqua ex parte captiui teneamur. Prima libertas (vt ait D. Augustinus)

gustinus) est carere criminibus. His quisque carere (debet autem carere omnis Christianus) incipit caput erigere ad libertatem. Inchoata enim est & non perfecta libertas. Liber erat Apostolus, qui Domino suo Christo liberaliter libenterque seruebat: sed si tota plenaque libertate frueretur, non diceret, videre se aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ. Caro enim, quemadmodum eiusdem habet sententia, concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem; vt non quæcunque velimus, ea faciamus. Quod scriptum est de ijsipis, quibus & illud dicitur: Qui ergo tribuit vobis spiritum, & virtutes operatur in vobis, ex operibus legis, an ex auditu fidei? Unde constat eum baptizatis loqui & Christianis, quibus suum Deus spiritum tribuerat: absurdeque statuisse Pelagium, fieri non posse, vt cuiusque baptizato sit caro contraria, propterea quod Apostolus dixerit, iam eos in carne non esse. In carne quippe esse negauit eos, quibus non dominatur caro, hoc est, concupiscentia carnalis. Rectè enim, inquit Leo, serm. 1. de resurrectione Domini, dicimur in carne non esse, si carnales nobis non dominantur affectus; & merito eius depouimus nuncupationem, cuius non sequimur voluntatem. Id autem fit propter lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus sancti, per quod spiritu liberati, adhuc tamen carne seruimus. Quatenus enim spirituales sumus & iusti, liberi etiam sumus: sed qua parte adhuc carnales remanemus, seculique amoribus implicamur, seruos esse nos, ea quidem ex parte, non possumus diffiteri. Neque enim corporis substantiã Apostolus carnis nomine designauit, cum dixit, Carnem aduersus spiritum concupiscere: sed ipsum hominem, qua parte carnalis est, & vetustati subiectus. Sicut & Propheta, cum ait, Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri: exsiccatum est fœnum, & cecidit flos,

Cap. 19. lib. de
incarnat. &
gratia.

Cap. 17. lib. de
catechizandis
rudibus.

Rom. 7.

Apud Aug.
lib. de natura
& gratia,
cap. 52. & 53.

Tractatu 41.
super Ioannem.

flos, quia spiritus Domini sufflauit in illud. Quo loco & D. Ambrosius illam carnem significatam accepit, à qua debemus cordis renouatione circumcidi: & Augustinus ipsam hominis corruptionem: quomodo & apud Apostolū euidentiùs accipitur, cum ait, (id quod nonnulli magno errore contra veram & tractabilem corporum resurrectionem facere putauerunt) Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt. Porro homini si carnalis cupiditas dominetur, totus caro est: quemadmodum legitur: Quod natum est ex carne, caro est. & Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Sin ex parte renouatus, spiritualis efficitur (quod enim natum est ex spiritu spiritus est) vt iam per inhabitantem Spiritum sanctum facta carnis mortificet, quia nondum in eo tota est absorpta vetustas; habet ille vnde secum ipse luctetur, vt spiritus aduersus carnem concupiscat, id est, spiritalis effectus homo, tantum se oppugnet tantumque sibi displiceat, quantum se adhuc sentit esse carnalem. Quomodo sibi quondam beatus Paulinus Episcopus displicuit, veracique & humili confessione, Christiani in se hominis pium luctum expressit his verbis: Pauper ego & dolens, qui adhuc terrenæ imaginis squalore concretus sum, & plus de primo quam de secundo Adam carnis sensibus & terrenis actibus refero, quomodo tibi audebo me pingere, cum celestis imaginis inficiator prober, corruptione terrena? vtrumque me concludit pudor; erubescio pingere quod sum, non audeo pingere quod non sum: odi quod sum, & non sum quod amo. Sed quid misero mihi proderit odisse iniquitatem & amare virtutem, cum id potius agam quod odi, nec elaborem piger id esse quod amo? ipse discors & intestino bello distrahor, dum spiritus aduersus carnem, & caro aduersus spiritum dimicat, & lex corporis, lege peccati, legem mentis impugnat. Infelix ego, qui in me venenatum

inimicæ

inimicæ arboris gustum, nec crucis ligno digessi. Durat enim mihi illud per Adam virus paternum, quo vniuersitatem generis sui pater præuaricatus infecit. Hæc illius viri vera, humilis, & pia deploratio, ipsius quoque Augustini literis magnoperè collaudata. qui tantum abfuit ab illa Cassiani opinione, bonum esse quod aduersus spiritum caro concupiscat, (quæ Collatione quarta explicata reperitur) vt propterea sese affligeret, lugeretque vt miserum. pacem enim habere, quam tam periculoso bello, contra seipsum præsertim, luctari maluisset. Hoc autem spiritus bellum aduersus carnem, vniuersis vitiorum generibus indictum esse putandum est: cum ad carnem vniuersa vitia pertineant. vt hoc ipsum etiam quod superbiam humilitate, quod inimici odium charitate, quod acediam deuotionis alacritate & ardore, quod auaritiam liberalitate, quod iracundiam mansuetudine expugnare nitatur, ad eam pertineat consuetudinem, de qua scriptum est: Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Siquidem opera carnis beatus Apostolus enumerans, etiam illa posuit quæ nobis sunt cum demonibus communia: velut inimicitias, emulationes, dissensiones, inuidias, sectas. Secum itaque dissidens animus pugnantibus affectionibus inter sese, quarum alias ex reliquiis vetustatis inherentes, alias ex primitiis nouitatis insitas habet, verè quidem liber est, præualente atque superante in animo spiritus nouitate: sed plene liber non est, qui ne superiore quidè sui parte ex qua homo propriè nominatur, totà exuerit vetustatem. Vicit ille quidem hostem, suoque de principatu deturbauit, sed ille victus; tenet aliquid victoris sui captiuum. Quod ipsum Apostolus deplorauit expressius, cum ita scriberet: Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in

Lib. 9. Epist. epistola 77.

Epistola 146.

1. Cor. 3.5.

Ioannis 3.

Rom. 8.

Epist. 106.

Galat. 5.

Rom. 7.

me in lege peccati, quæ est in membris meis, Captiuam autem dixit, aut captiuare conantem, id est, ad consentiendum implendumque cogentem, aut potius, quod non habet controuersiam, captiuam secundum carnem: quam nisi teneret carnalis concupiscentia (quam legem peccati vocat) non utique in ea vllum desiderium, cui mens obedire non debeat, commoueret. Inerat igitur vera quidem Apostolo libertas, in quo mens captiua minime tenebatur: nec iam peccati seruus censendus erat, cuius dominatum, iustitiæ seu dilectionis spiritus euertierat. Neque enim sic accipiendum est illud: Qui facit peccatum, seruus est peccati; ut qui vel vnum è quotidianis admiserit (quæ nec ab hominibus excellenti iustitia præditis esse hic constat aliena) is peccati simpliciter seruus esse existimandus sit. Etenim cum seruus Domini cuiuspiam seruus sit, non potest peccati seruus appellari, cui non peccatum dominetur. Est etiam hoc in Pelagianis assertionibus iure damnatum, non posse filios Dei vocari eos, qui non omnis omnino peccati sint expertes. Quod si filij sunt, non obstantibus eiusmodi peccatis venialibus, non ergo serui peccati esse dicendi sunt. Licet interim quantum peccent, in tantum etiam peccato seruiant & carni. Quod nisi sic esset, non impedirent peccata venialia, quo minus plena & integra esset à peccati seruitute libertas. Sed interest permultum, quos secundum quid seruire, & quos simpliciter seruos esse iudicemus. Itaque non amplius peccati seruus erat Apostolus, sed plena tamen non erat in eo à peccato libertas, in quo concupiscentia, vel caro seruebat. Quæ reliquæ antiquæ seruitutis vsque adeò illi graues erant ac molestæ, ut in hac deplorationis vocem erumperet: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Non enim sibi sufficit, qui hoc dicit, aut plenam libertatè habere dicendus est, qui se adhuc postulat

*Apud Aug.
Epist. 106.*

lat liberari. Sed qui dedit primam libertatis partem, ut in mente seruiremus legi Dei, daturus est aliquando, ut nec carne legi peccati seruiamus. Vnde subiungens Apostolus, in quo repositam haberet spem perfectæ huius libertatis, posteaquam dixisset, Quis me liberabit de corpore mortis huius; continuo addidit, Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum. Prima proinde libertas est (quod ipse quoque repetit Augustinus) Carere criminibus: sed ista inchoata est, inquit, non plena libertas. habemus enim ex parte infirmitatem, ex parte accepimus libertatem. Ideoque idem alibi, tractans id quod Apostolus seruum se Christi vocat, Libertas, inquit, quæ nunc præstatur sanctis, nondum plena libertas est: sed velut per speculû & in enigmate. Et ideo Sancti seruos se esse dicunt; ad comparationem illius libertatis, quæ facie ad faciem tribuitur. Quomodo enim potest in carne qui positus, integram adipisci libertatem, ut in nullo seruiat carni? Sic ille. Quod spectans & sanctus martyr Ignatius in epistola quam ad Romanos scripsit: Non sicut Petrus & Paulus, inquit, præcipio vobis; illi enim Apostoli sunt Iesu Christi: ego autem vsque nunc seruus; sed si passus fuero, libertus ero Iesu Christi, & resurgam in eo liber. Hoc ille ad eum modum, ad plenam videlicet adspirans libertatem: quam hic non solum se non affectum esse, verum etiam Apostolis in eius profectu multo inferiorum, tanto viro digna humilitate sentiebat. Tunc ergo plena erit atque perfecta libertas, quando nullæ erunt inimicitia; tantaque erit abundantia charitatis, ut omnes terrenæ libidinis motus absorbeat; nec solum iam fiat bonum, verum etiam perficiatur. hic enim & Apostolus velle quidem ipsum adherere sibi sentiebat, sed, Perficere, inquit, non inuenio. Quia tunc demum perfici bonum dicendum est, cum non modò non consentitur concupiscentiæ, sed ne motus quidem

*In inchoata
expofit. Epist.
ad Roman.*

cuius vllus, rationi sentitur aduersus: quæ tanta boni perfectio, sanctis quidem mortalem vitam agentibus in desiderio est: sed quamdiu vel carne concupiscitur, re ipsa non habetur. Tunc ergo plena erit libertas, ait Augustinus, quando erit perfecta sanitas ac totius boni consummatio, victo omnî ex parte peccato.

CAPVT IX.

Quantum inter sit inter libertatem vitæ huius ærumnosa, & eam qua primi homines ante suum lapsum fruebantur.

P R I M I S autem hominibus plenam & integram dederat libertatē, qui fecerat rectos. Illi enim nullâ tali rixa, qualem supra descripsimus, aduersus seipsos tentati atque turbati, in illo beatitudinis loco sua se cum pace fruebantur. Illi in bonis erant, quæ bonitatē sui conditoris acceperant, in quibus nullum prorsus patiebantur malum. vbi autem nihil sit mali, nihil etiam est omnino seruitutis. Quam igitur iucunda libertas, bonisque mentibus optabilis, Dei voluntatem per omnia suauissimè summaque felicitate sequi, nulla aliorum cupiditate retrahente! Quantæ autem & quam tranquillæ potestatis fuerint, etiam in ijs motibus quibus alimenta sumuntur & digeruntur, in illa felicitate Paradisi, quæ possit, vt certum est indagare? quis vt dignum est explicare? vbi absit vt credamus aliquid fuisse, vnde sensum nostrum siue intrinsecus, siue extrinsecus, aut dolor pungeret, aut labor fatigaret, aut pudor confunderet, aut ardor vreret, aut stringeret algor, aut horror offenderet. Nûc verò quoniam illam libertatem primi hominis culpâ perdidimus, vix sine repitationum experimentis & molestia reluctandi, quod bonum est operamur. vbi concupiscentia, etsi non ad hoc vicerit, vt perdat de sorte sanctorum; tamen vel ob id nocet, quòd sanctarum mentium minuat in bono delectationem. Quæ & quando nolumus, nec ei

nec ei membra nostra, vt impleat quod appetit, consentimus: habitat tamen in eis, & mentem resistētē repugnantemque sollicitat: vt ipse confictus etsi non sit damnabilis, quia nō perficit iniquitatem; sit tamen miserabilis, quia non habet pacem. Quod incommodum eo grauius redditur, quo plus fuerit concupiscentiæ, vitæ prioris consuetudine tributum. Idcirco enim scriptum est, bonum esse homini, cum tulerit iugum Thron. 31 Domini ab adolescentia sua. Ea nimirum nostra libertas est, iugum Domini ferre. Verum non solum hoc tollere iugum, sed etiã in iuuentute debemus. Quippe eis qui post decursæ iuuentutis annos iugum subierint, etsi vera, tamen valde adhuc imperfecta plerumque libertas est. Stimulant eum peccata sua; exagitat conscientia; consuetudo delinquendi, & vsus erroris instabilem facit. Luctandum est diu huiusmodi viro, vt diuturna atque inueterata aboleat. huic in periculo res est, illi in tranquillo. denique sedebit ille singulariter (quemadmodum Propheta subiunxit) & silebit quietus & feriatu ab interpellatione mundanæ sollicitudinis & voluptatis, & diuinis suauiter vacabit oraculis. Iugo ergo Domini maturè suscepto, iucundior quidem sit ac plenior libertas, quam ijs plerumque sit qui post longam seruitutem, nuncium vitiis iam primum remiserint. Attamē nemo est post primum illam primorum hominum lapsum, quantumcunque profecerit, quem non suis motibus inturbet concupiscentia: sæpe obstrepera, sæpe molesta est, & in suis collationibus maiore spiritus robore superanda. Itaque nunc magna illa perdita libertate, homines etiam per Christum aliquosque restituti, ex ingenita nihilominus prauitate infirmi, & hostibus circumfusi, iisdemque merito primæ præuaricationis obnoxij, & morti addicti, multum se arbitrantur adeptos, si id præstiterint quod fraticidæ dicitur: Subter te erit appetitus tuus, Genes. 4.

& tu dominaberis illius. Namque sancti modò, ad quos pertinet liberationis gratia, adhuc in malis sunt variis, ex quibus clamant ad Dominum: Libera nos à malo. Tenemus, ait Augustinus in Psalm. 64. lucem, umbra transiit; sed tamen adhuc in quadam captiuitate sumus: quamdiu enim sumus in corpore, peregrinamur à Domino. Si autè hìc se quis inuenerit ciuem Hierusalem, toleret captiuitatem, speret libertatem. Ille verò primus, quo cadente nos quoque corruimus, in suis bonis morte Christi non egebat, nec opus habebat eo adiutorio quod implorant isti, cùm dicunt: Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. In quo certamine laborantes ac periclitantes, dari sibi pugnandi vincendique virtutem per Christi gratiam possunt.

CAPVT X.

Quemadmodum dicat Augustinus maiorem nunc libertatem necessariam esse quam fuerit in primo statu.

MAIOREM sanè Augustinus libertatem nunc sanctis necessariam esse docet, quam primis hominibus donata sit. verùm maiorem, id est, potentior, non plenior, atque integriorem dixit. Sic enim scriptum reliquit cap. i. lib. de corrept. & gratia: Proinde etsi non interim lætior nunc, veruntamen potentior gratia indigent isti. Et quæ potentior gratia, quam vnigenitus Dei Filius pro eis homo factus, & ab hominibus peccatoribus crucifixus? Itaque maior, inquit, libertas est necessaria, aduersus tot & tantas tentationes, quæ in Paradiso non fuerunt, dono perseuerantiæ munita atque firmata: vt cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus suis vincatur hic mundus. hoc sanctorum martyria docuerunt. Denique ille Adam & terrente nullo, & insuper contra Dei terrentis imperii libero vsus arbitrio, non stetit, in tanta felicitate, in tanta

in tanta non cadendi facilitate. Isti autem, non dico terrente mundo, sed sauiente ne starent, steterunt in fide: cùm videret ille bona presentia quæ erat relictu- rus; isti futura quæ accepturi erant, non viderent. Vnde verò hoc, nisi donante illo, à quo misericordiam consecuti sunt, vt fideles essent? à quo acceperunt spiritum non timoris, quo persecutibus cederent, sed virtutis & charitatis & continentie, quo cuncta minantia, cuncta inuitantia, cuncta cruciantia superarent. Illi ergo sine peccato vllò data est voluntas libera: & eam fecit seruire peccato. horum verò cùm fuisset voluntas serua peccati, liberata est per illum qui dixit: Si vos liberauerit Filius, verè liberi eritis. Et accipiunt tantam per istam gratiam libertatem, vt quamuis dum hìc viuunt, pugnent contra concupiscentias peccatorum, eisq; nonnulla subreant propter quæ dicant quoridie, Dimitte nobis debita nostra; non tamen vltra seruiant peccato, quod est ad mortem: non prima conditione sicut ille liberi, sed per secundum Adam Dei gratia liberati, & ista liberatione habentes liberum arbitrium, quo seruiant Deo, non captiuentur à diabolo. Liberati enim à peccato, serui facti sunt iustitiæ: in qua stabunt vsque in finem, donante sibi illo perseuerantiam, qui eos præsciuit & prædestinauit, & secundum propositum vocauit, & iustificauit, & glorificauit. Vt autem non acciperet hoc donum Dei primus homo, sed perseuerare vel non perseuerare in eius relinqueretur arbitrio, tales vires habebat eius voluntas, quæ sine vllò fuerat instituta peccato; & nihil illi ex seipsa concupiscentialiter resistebat: vt dignè tantæ bonitati & bene viuendi facilitati, perseuerandi committeretur arbitrium. Nunc verò posteaquam est illa magna, peccati merito, amissa libertas, etiam maioribus donis adiuuanda remansit infirmitas. Hactenus diuus Augustinus. cuius quòd esset in hoc argumento luculenta

292 DE CHRISTIANA LIBERTATE
prorsus oratio, propterea prolixius commemoranda
& inferenda verba putauimus.

CAPVT XI.

*Pleniorum multo fore libertatem in vita futura, quam
fuerit primorum hominum ante lapsum.*

QUANTUM igitur nunc Spiritus sancti potente-
tore gratia fideles indigeant, qua fiat etiam vt
velint, & tantum velint tantoque ardore diligant, vt
carnis voluntatem contraria concupiscentem, volun-
tate spiritus vincant: tamen in illo primo felicitatis
statu, lætior gratia fuit, plenam & integram à peccato
omniq̄ alio genere malorum afferens homini liber-
tatem. Tamen autem ita tum plena libertas fuit, vt
nulla hominis pars premeretur seruitute: erat tamen
homini, si perstitisset, paratum quo illa mirificè auge-
retur. Quid enim liberius fuisset libero arbitrio, quan-
do id iam omnino non posset seruire peccato? Quæ li-
bertas futura erat homini, sicut facta est angelo, mer-
ces meriti sui: sed eo per inobedientiam sic perditio, vt
ad promerendi recuperandam facultatem, ope libera-
toris egeremus: sicut per Christum ad eum hic libera-
tis gradum adducimur, vt legi Dei vel mente seruiam-
us; ita ad illam perfectionem libertatis, eiusdem be-
neficio sumus euehendi, in qua peccare omnino non
queamus: quando videlicet animus tanta satiabitur
visione, & tanta inflammabitur charitate superioris
boni, vt ad seipsum sibi placendo deficere ab illius de-
lectatione non possit: quando videbit summum & in-
commutabile bonum, in cuius comparatione se sper-
niat, sibi que illius charitate vilescat; tantoque eius spi-
ritu implebitur, vt id sibi non ratione sola, sed æterno
quoque amore præponat. Neque verò tunc idcirco li-
berum non habebit arbitrium, quòd eum amplius de-
lectare peccata non poterunt. Quippe cum vitium sit
arbitrii humani, cum delectatione peccare: tanto erit

libe-

liberius, quanto magis habebit indeclinabilem in non
peccandi delectatione voluntatem. sed hoc erit de Dei
munere, non de solius vigore naturæ. Aliud enim est
esse Deum, aliud participem Dei. Ille natura peccare
non potest; particeps verò Dei, ab illo accipit vt pec-
care non possit. Seruandi autem gradus erant diuini
muneris, vt primum daretur liberum arbitrium, quo
non peccare posset homo: nouissimum, quo peccare
non posset. Illud ad comparandum meritum, hoc ad
recipiendum præmium. sed quia peccauit ista natura
cum potuit non peccare, largiore gratia liberatur; vt
ad eam perducatur libertatem, in qua peccare non
possit; quemadmodum verissimè docuit Augustinus
cap. 30. lib. 22. de ciuitate Dei. Sicut igitur prima im-
mortalitas fuit, posse non mori; & nouissima erit mul-
to maior, non posse mori: ita prima hominis libertas
erat, posse non peccare; nouissima verò erit multo ma-
ior, non posse peccare. Proinde ex iis quæ dicta sunt,
pro triplici iustitiæ statu, triplex potest à peccato liber-
tas constitui: vt iustorum quidem post lapsum, duran-
te vitæ huius cursu, vera sit per Christum liberatorem
donata libertas; sed non plena atque integra; Ante la-
psum verò, simul vera integraque fuerit, sed non con-
summata, nõdumq̄. securâ & æterna firmitate stabilis:
post hanc denique vitam in regno illo beato; & vera &
integra & consummata, cui nihil addi possit; ideoque
stabilis securaque futura sit. vbi videlicet tanquam
præmium per seuerantiæ sancti accipiant, vt magna per
spiritum sanctum data abundantia charitatis, cadere
ulterius omnino non possint, & hoc de se certissimè
norine. quam plenitudinem beatitudinis non habe-
bant primi homines. Qui enim nesciebant suam fu-
turam miseriam, beatitudine quidem vera, sed ea mi-
nore tamen, sine vlllo fruebantur vitio.

Libertate à peccato, cum perfecta fuerit, non minui vel destrui liberum arbitrium, sed perfici.

TAMETSI autem Christiana libertas eò perfectionis, sicuti suprà diximus, euasura quãdoque est, vt nullam esse sinat ad vitia repetenda libertatem: non idcirco tamen liberum arbitrium minuere aut destruere censenda est, eo quòd ad liberi arbitrij naturam minimè pertineat peccare posse. Est enim peccare libero arbitrio, deficere & cadere, vt homini, mori. Proinde quemadmodum ad hominis naturam & rationem nihil pertinet posse irori, seu mortalem esse, neque eo quicquam hominũ naturæ detrahetur, quòd immortales aliquando futuri sunt: ita liberi arbitrij ratio non hoc complectitur, vt queat peccando deficere; sed ad quendam eius statum minùs perfectum adhuc & beatum pertinet. E quo transferetur eò, vbi iam nullum possit sentire defectum, Vt enim summa naturæ perfectio in natura diuina reperitur, quod nequeat omnino deficere, atque id illi yj propria non aliunde competit: ita in nobis natura liberi arbitrij, participatione quadam diuinæ bonitatis, tum multo perfectior efficitur, cum summi & incommutabilis boni possessione, in bono stabilitur atque firmatur. Etenim liberi arbitrij naturalis operatio est secundum virtutis dictamen agere: peccare verò, contra naturam est. quo fit vt quanto bonum agitur perfectius, tanto maior sit arbitrij libertas in exercitio functionis sibi naturalis: quantoque est liberum arbitrium deprauatius & peccato corruptius, tanto eius libertas est minor in officio naturæ suæ congruèti. Atqui hæc cuiusque rei perfectio est, naturæ suæ quàm conuenientissimè operari. Libertatem proinde Christianam tantum abest vt esse à libero arbitrio alienam dicamus, vt illi

eam

eam putemus aptissimè conuenire; qua nimirum corrigatur, sanetur, illuminetur, perficiaturque. Idcirco Augustinus Epistola octogesima nona, Voluntas, inquit, libera, tanto erit liberior quanto sanior; tantoque sanior, quanto diuinæ misericordiæ gratiæque subiectior. Ipsa quippe fideliter orat & dicit: Itinera mea dirige secundum verbũ tuum, & non dominetur mihi omnis iniquitas. Quomodo enim libera est, cui dominatur iniquitas? vt autè ei nõ dominetur, vide quis ab illa inuocetur. non enim ait: Itinera mea dirige secundum liberum arbitrium, quia non dominatur mihi omnis iniquitas: sed, Itinera mea dirige secundum verbum tuum, vt non dominetur mihi omnis iniquitas. Precatur, non pollicetur: confitetur, non proficitur: optat plenissimam libertatem, nõ iactat propriam potestatem. Non enim omnis qui viribus suis confidit, sed omnis qui inuocauerit nomẽ Domini, saluus erit. Hinc & illud est apud eundẽ Augustinũ: Vt quid ergo miseri homines, inquit, aut de libero arbitrio audent superbire antequam liberentur, aut de suis viribus, si iam liberati sunt? nec attendunt in ipso nomine liberi arbitrij vtique libertatem sonare. vbi autem spiritus Domini, ibi libertas. Si ergo serui sunt peccati, quid se iactant de libero arbitrio? A quo enim quis deuictus est, huic & seruus addictus est. His locis Augustinus eam spectauit arbitrij libertatem, quæ est à seruitute: secundum quam, tanto est liberius, quanto à peccato alienius. quam sonare dixit in nomine liberi arbitrij, non quòd inde essentialiter liberum arbitrium nominetur, sed quòd qualitas quædam sit naturæ liberi arbitrij aptissimè conueniẽs, eamque perficiẽs: vt quando liberum arbitriũ in sua perfectione cogitatur, tum etiã à peccati seruitute intelligatur esse liberum. Tamen autem libertas hæc, posteaquam suam perfectionem fuerit adepta, ita voluntatem in recti bonique

Cap. 29. de
spiritu & lit.

complexu firmatura sit, vt diuelli ab eo non possit : est tamen in particularibus bonis suscipiendis, libera futurata semper electio. Quod in ipso summo & vero soloque Deo; primùm intueri licet : quem ita inter omnes bona mente præditos sapientem & iustum constat esse, vt præ se nihil facere, nec operando omnino deficere possit. Dei enim perfecta sunt opera, nec potuit vnquam sub reprehensionem iustam cadere quod fecit : & tamen circa res creatas quidquid agit, quis eum dicat non summa agere libertate ? Aliud enim est, non posse operando à recto & bono deflectere : aliud quicquid agatur boni, id necessariò perficere. Christi deinde redemptoris nostri, secundùm eam naturam quam assumpsit, ille fuit in bono status, vt exploratum haberet ita semper fore, neque se omnino inde posse decidere. Atque is interim, cum posset rogare Patrem, qui subministraret supra duodecim legiones Angelorum, non fecit : cum mortem effugere posset. Oblatus est quia voluit. At cognita, inquis, Dei voluntati repugnare non potuit, si fuit in iustitia confirmatus, sed quemadmodum non ea Dei libertas est, vt suis æternis decretis possit contraria facere ; suæque voluntati & præsentis repugnare agendo ; quòd ea res mutabilitatis habeat defectum à diuina excellentia longè alienum : ita non hoc Christi libertas postulabat, vt posset cognito Patris præcepto non parere ; id quòd esset deficere posse, per inobedientiam ; sed vt quòd faceret, id posset non facere, sicut potuit Pater non præcipere quòd præcepit, neque velle quòd voluit, neque facere quòd fecit. Accuratè sanè duo hæc discernenda sunt ; vnum constituto Dei præcepto, verbi gratia, de subeunda cruce, parere huic posse recusare ; aliud ita subire crucem, vt possit eam simpliciter non subire. Quemadmodum hæc manifesto discrimine separantur : Cum præuiderit Deus ad nundinas te esse

pro-

profecturum, cum eo nihilominus constare posse, vt domi maneat : & ita te ad nundinas esse profecturum, vt possis domi remanere. quorum illud falsum est, hoc verissimum. Sic enim multa iunguntur, vt altero posito, simul alterum non possit non esse : quorum tamen vtrumque separatim ita fiat, vt queat non fieri. velut hominem currere si posueris, vt simul loco moueatur necesse est : at neque vt currat, neque loco moueatur, vlla necessitas cogit. Ita prorsus quòd Patrem Filius velle sciebat, id simul non potuit non facere. atque horum necessaria connexio fuit : Voluit ac præcepit Pater, faciet ergo Filius : sed neque voluit neque præcepit necessariò Pater, quem nefas est necessitati subijcere : neque fecit necessariò Filius, qui, quòd fecit, potuit simpliciter non facere. vtrumque enim separatim est liberum, etsi alterum cum altero collectionis sit necessitate coniunctum : quòd in argumentatione quidem, sed non in rebus agendis, necessitatem esse ostendit. Qua in re, tradendæ cura disciplinæ, hanc distinctionem adhibuit, vt alia cõsecutionis, alia consequentis esse necessitas diceretur : itemque alia absolute necessaria, alia non simpliciter necessaria, sed quibusdam positis. Itaque sanctorum Angelorum & beatorum spirituum voluntas, libertatis perfectione iam donata, licet non possit patefactam sibi Dei voluntatem non per omnia promptissimè obedientissimeque amplecti, potest tamen in bonis agendis, quòd faciat, non facere, etsi hoc illi Deum præcepto requirere nõ ignorent : propterea quòd vnumquodque sic suscipiunt faciendum, vt id norunt præceptum esse, liberè autem à Deo præceptum esse norunt. Quamobrem vt hoc potuit Deus non præcipere, sic illi possunt idem non facere. quanquã & illud interim quæri possit, agantne beati spiritus cuncta ex diuinæ constitutionis præscripto sibi cognito ; an pro suo iudicio atque voluntate

T 5

faciant

faciant multa, qui iam neque errare iudicando, neque malè velle quicquam possunt. Augustinus quidem in Psalmum 78. dicit eos ineffabili modo consulere de actibus suis æternam veritatem, tanquam legem incommutabilem. & iterum in Psalm. 103. concione 4. Intuentur, inquit, legem fixam iubentem sine scriptura, & ex illa faciunt quicquid hîc fit. Ut igitur demones & damnati infelicissima peccati seruitute ita sunt obfirmati in vitio, ut abstractam à Deo voluntatem non possint ad iustitiæ amorem conuertere; & tamen in his aut illis malis designandis, velut hunc aut illum sollicitando ad peccatum, aut his aut illis insidiis adoriendo, solutos habent à necessitate conatus: ita qui libertate Christiana iam cõsummata absolutaque fruuntur, ab ipso quidem iustitiæ fonte discedere, bonique genere excidere, nullo modo possunt; sed inter ea quæ huic generi subiecta sunt particularia bona, eligendi aut omittendi libera potestate versantur. Et hætenus quidem doctrinam protulimus Catholicam de prima Christianæ libertatis parte, quæ est à peccato. de qua diui Hieronymi illa sententia est: Sola apud Deum libertas est, non seruire vitiis: summa apud Deum nobilitas, clarum esse virtutibus. Et illa Augustini: Bonus, etiam si seruiat, liber est. Illa Chrysostomi, Solus is liber est, qui libertatem intrinsecus habet: sicut ille seruus est, qui succûbit irrationabilibus vitijs. Denique & illud Calani Philosophi, ex epistola ad Alexandrum meritò celebratur, vna in virtute libertatem nobis beatam esse. Subnectam coronidis loco sancti Paulini carmen ad Licentium, quo eum Licentiùs viuere cupientem, falsæque libertatis captum illecebris, ad veram libertatem, quæ in Christo est, reuocare conatur in hunc modum:

*Inter epistolas
Aug. epist. 16.* *Quid retrahis fera colla iugo? mea sarcina lauis,
Suaue iugum Christi est, vox pia, crede Deo:*

Et caput

*Et caput adde iugum, da mollibus ora capistris,
Demissoq; leui subde humeros oneri.
Nunc potes hoc dum liber agis, dum nulla retentant
Vincula, nulli thori cura, nec altus honor.
Hæc bona libertas Christo seruire, & in ipso
Omnibus esse supra: non dominis hominum,
Non vitijs seruire, non Regibus ille superbis,
Tantum qui Christo se dederit Domino.
Nec tibi nobilitas videatur libera, quam nunc
Sublimem attonita conspicis vrbe vehi,
Quam cernis tanta sibi libertate videri,
Ut dedignetur flectere colla Deo.
Multis ille miser mortalibus, & quoque seruis
Seruit, & ancillas, ut dominetur, emit.*

DE CHRISTIANA LIBERTATE

LIBER SEPTIMVS.

PROOEMIUM.



DE libertate quæ est à diabolo, propterea mihi teorim. differendum esse putauimus, quòd propria nonnulla contineret ea consideratio. Cætera verò quæ habet cum libertate à peccato communia, dum huc tanquam rejecta persequemur; & huius mensuram Libri complebimus, & quæ priori poterant deesse videri, non oblivione vel incertitia præteritisse, sed consilio alium in locum distulisse putabimus.

CAPIT

Liberari à diabolo eos qui regenerantur in Christo.



LIBERTATEM igitur à peccato, de qua libro superiore dictum est, comitatur libertatis pars altera, vt à diabolo quoque liberi simus. Cùm enim ille nos per peccata seruos haberet; simulatque à peccatis liberati, serui iustitiæ effecti sumus, sub illius esse potestate desijimus, vsque adeò vt nec illud carnis nostræ, quod adhuc concupiscentiæ subiacet, sub diabolo captiuum teneatur, propter factam peccati remissionem, qua non imputatur id quod Lex peccati propriè nuncupatur. Idcirco beatus Apostolus, cùm hanc libertatem commédans, in Epistola ad Collossenses capite primò dixisset: Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filij dilectionis suæ: pro tanti boni causa subiunxit, In quo Filio habemus redemptionem & remissionem peccatorum. Etenim morte sua Christus vno verissimo sacrificio Deo Patri pro nobis oblatò, quicquid erat culparum, vnde nos principatus & potestates ad luenda supplicia iure detinebant, purgauit, aboleuit, exstinxit; & sua resurrectione in nouam vitam nos prædestinatos vocauit, vocatos iustificauit, iustificatos glorificauit. istoque modo diabolus, hominem, quem per consensionem seductum tanquam iure in regno possidebat, cuique tanquam parricidioso & atropinoso, nulla ipse carnis infirmitate leuitus, superbo dominabatur imperio, in ipsa morte carnis amisit. Natura quidem fortior, id est, angelica, inferiorem naturam humanam vitij societate subditam detinebat: sed mediator angelis fortior, iustus propter homines factus, prædonis superbiam redemptionis humilitate destruxit: vt qui super filijs hominis angelica fortitudine gloriabatur, à Filio Dei suscepta humana infirmitate,

mitate, illosus vinceretur. Sed cùm adhuc multos sub diaboli potestate agere nõ ignoremus, quibus ad hanc libertatem nihil hæctenus Christi mors contulisse videatur; intelligendum est, eum qui semel mortuus est ad multorum exhaurièda peccata, vnicuique tum primum mori, cùm in eius morte, qualibet fuerit aetate, baptizatur. Hæc enim cuique propriè dies est redemptionis, de qua loquitur beatus Apostolus, cùm ait: Nolite contristare Spiritum sanctum Dei, in quo signati estis in die redemptionis. Ideoque nemo prius de potestate tenebrarum eripitur, quàm in Christi nomine baptizatus, veterè hominè exuerit, nouumque induerit, qui secundum Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis. vtq. Ægyptiorum primogenita ab angelo percussore necabatur, Israelitarum liberis per agni sanguinem conseruatis: ita in quibus inuenit diabolus quod prima natiuitate contractum est, id est, originale peccatum, in quo inest omnium nascetium infelix quædam primogenitura; hos, nisi Dei gratia liberetur, tanquam suos ad mortem pertrahit, damnationemque communem. Qui verò, cùm essent in eo primum peccato concepti & editi, postea sunt Dei beneficio regenerati; de quibus scriptum est, Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt; & Voluntariè genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius: hi à diaboli quoque dominatione & potestate purgati sunt. qui non solum antea coercetur ne regenerationem impediatur, sed etiam per regenerationem postea ex hominum cordibus eicitur; ne iam eos, tanquam vasa sua, & quasi mancipia, veteri illo suo iure & more possideat. Hi demum; Agni immaculati sanguine postibus eorum illitis, id est, crucis signo frontibus signatis, à perditione huius seculi tanquam à captiuitate vel interemptione Ægyptia liberantur; aguntque saluberrimum transitum, cum

cùm à diabolo transeunt ad Christum, & ab hoc instabili seculo, ad eius fundatissimum regnum, & ab operibus luti & lateris, in quibus terrenis desideriis seruientes, multùm & infeliciter laborabant, ad suauē Christi iugum, opesque iustitiæ, omni argento & auro & lapide pretiosiores. Quamuis igitur, quod ad magnitudinem & potentiam pretij, vt Prosper ait, & ad vnam pertinet causam generis humani, sanguis Christi redemptio totius sit mundi: quia tamen à redemptione constat alienos esse, neque de captiuitate & seruitute sua erutos, qui hoc seculum sine fide Christi, & sine regenerationis sacramento pertranseunt; colligitur redemptionis proprietatē, libertatisque veritatem penes eos esse, de quibus princeps huius mūdi missus est foras, & non iam vasa diaboli, sed membra sunt Christi. Quod proinde circa baptizandos in vniuerso mundo sancta Ecclesia consimiliter agit, non otioso nobis est intuitu contemplandum, vbi, siue paruuli, siue iuuenes, cùm ad regenerationis ducuntur sacramentum, non prius vitæ fontem adire sinunt, quàm exorcismis & exsufflationibus clericorum, spiritus ab ijs immundus abigatur: vt tunc verè appareat, quomodo princeps mundi huius mittatur foras; priusque alligetur foris, & deinceps vasa eius diripiantur, in possessionem trāsata victoris, qui captiuā ducit captiuitatem, & dat dona hominibus. De potestate namque tenebrarum, cui per illius primi hominis tuinam subiectum est hominum genus, non adulti modò, verum etiam reuera paruuli eruantur, cùm regenerantur in Christo: tamen id non appareat in eorum arbitrio liberato, nisi cùm ad annos peruenerint ratione ventis ætatis, tum primùm re ipsa demonstrantes consentientem doctrinæ salutari, in qua nutriti sunt, voluntatem, & in ea finientes hanc vitam, si electi sunt in Christo ante constitutionem mundi, vt essent sancti & immaculati

Obiectio prima in Vniuersionis.

Matth. 12.

Ephes. 4.

culati in conspectu eius in charitate. Hæc quidem potestas tenebrarum, id est, diabolus, qui etiam dicitur princeps potestatis aëris, operatur seu efficax est in filiis diffidentiae. & quid operatur, nisi opera sua mala, & in primis maximeque ipsam diffidentiam & infidelitatem, qua sunt inimici fidei? per quam scit eos posse mūdari, posse sanari, posse perfectissimè liberos (quod eis vehementer inuidet) in æternam vitam regenerari? Sed ipse mediator intrans in domum fortis, id est, in hoc seculum mortalium, sub potestate diaboli, quātum ad ipsum pertinet, constitutum; de ipso quippe scriptum est, quod potestatem habeat mortis. intrat, inquam, mediator hic in domum fortis, id est in suo dominatu habentis genus humanum: & prius alligat eum, hoc est, eius coërcet ac cohibet potestatem, potestatis suæ fortioribus vinculis. Deinde vniuersa eius aufert arma, in quibus confidebat; sicut apud Lucam expressum est, hoc est, errores & peccata: atque hoc pacto eripit vasa eius quæcunque prædestinavit eripere; id est, homines quos ille veneno suo repleuerat, ac propter medullitus inhærentē iniquitatis amorem, longa & alta pace tenuerat: arbitrium eorum ab eius potestate liberans, vt, illo non impediēte, credent in istum libera voluntate: credentes autem inuocent liberatorem, qui dat potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.

Vide Aug. epist. 107.

Lucæ 11.

CAPVT II.

Regeneratos in Christo ita effici filios Dei, vt non remaneant aliqua ex parte filij diaboli.

FILII autē effecti Dei, eius deinceps spiritu aguntur, vt bene viuant; omninoque in diaboli potestate esse desistunt: nec eius amplius filij dici possunt, cuius imitationem atque similitudinem respicere. Falsoque Pelagiani calumniabantur dicere Catholicos, qui

qui baptizarentur, eos ex parte fieri filios Dei, ex parte verò filios diaboli remanere. Tamen si enim reliquæ quædam non percuratæ penitus infirmitatis, aut humanæ vincula necessitatis efficiunt, ut adhuc filij huius seculi iusti quoque nominentur (propterea namque & matrimonia celebrantur, & per artes varias atque industrias, vitæ necessaria commodaque parantur, quæ ad figuram pertinet seculi huius, mira celeritate transuolantem) tamen filij diaboli, cuius abiecerit societatem, esse procul dubio desierunt. Cum proinde calumniarentur Pelagiani, respondens Augustinus, Mentiantur, inquit, insidiantur, tergiuerantur. Non hoc dicimus: omnes enim homines qui sunt filij diaboli, etiam filios seculi; non autem omnes filios seculi, etiam filios diaboli dicimus. Absit enim ut filios diaboli dicamus fuisse sanctos Patres, Abraham, Isaac, & Iacob, & alios huiusmodi, quando per nuptias generabant: & eos fideles qui usque nunc & deinceps adhuc generant. non tamen Domino possumus contradicere dicere: Filij huius seculi nubunt, & tradunt ad nuptias. Quidam ergo filij seculi huius sunt, & tamen filij diaboli non sunt. Quamuis enim diabolus sit auctor & princeps omnium peccatorum, non tamen filios diaboli faciunt quæcunque peccata. Peccant enim & filij Dei; quoniam si dixerint se non habere peccatum, se ipsos seducunt, & veritas in eis non est: sed ea conditione peccant, qua sunt filij adhuc huius seculi; qua verò gratia sunt filij Dei, non utique peccant: quia omnis qui natus est ex Deo, non peccat. Hactenus Augustinus. Quotquot igitur accepto iustitiæ munere liberi effecti sunt, ij quoque diaboli excussere principatum: ut qui in regnum & corpus Christi transferunt, iamque ad societatem pertineant lucis, quæ se à vitio sæ vitæ tenebris longè remouit: estque ea cum Patre cohærens, & cum Filio eius Iesu Christo; cuius & san-

guine

guine pretioso emundatur assidue, & virtute sub eius pedibus tenebrarum princeps validè conteritur. Prædixerat hoc futurum Regius psaltes, Christi beneficio & potentia singulari. Ipse enim, inquit, liberabit pauperem à potente, & pauperem cui non erat adiutor. *Psalm. 71.* Parcet pauperi & inopi, & animas pauperum saluas faciet. Ex vsuris & iniquitate redimet animas eorum, & honorabile nomen eorum coram illo. Quo quidem loco Propheta pauperem vocat humilem, sua peccata contrito corde submissè confitentem, qui proinde se agnoscat suis viribus in libertatem non posse redire, sed ad eam rem egere gloria & gratia Dei per Iesum Christum. hunc igitur Christus liberat à potente, hoc est, diabolo, quem potentem ad homines sibi subdendos; & in captiuitate retinendos, non eius virtus, sed nostra peccata fecerunt. Quæ proinde cum sublata & abolita sunt, redimente nos ab vsuris & iniquitate, eodem nostræ libertatis auctore Christo, vim protinus illæ suæ in nos dominationis & potestatis amittit. Maxima enim eius virtus est (ait diuus Chrysostomus) peccati amplificatio. Id igitur si destruxeris, neruos diaboli omnes incidisti, caput eius contriuisisti, vires resoluisisti, ac vniuersum eius exercitum fudisti atque fugasti. Et Augustinus in *Psalmum 84.* Si quis liberatus fuerit à peccatis suis, non habet vnde ei dominetur princeps peccatorum. Dicit enim *Psalmista:* Auertisti captiuitatem Iacob, remisisti iniquitatem plebis tuæ. Ecce vnde auertit captiuitatem. Quia remisisti iniquitatem. Iniquitas tenebat captiuum: remissa iniquitate, liberaris. hoc ille eo loco: breuissimè verò libro contra Iulianum sexto, cap. 8. Expulsio, inquit, est dæmonum, remissio peccatorum. Deletis igitur per iustificationem peccatis, iam diaboli serui non sumus, qui honorabile filiorum Dei nomen suscepimus. Ideoque omnis in posterum cum eo vitanda so-

V

cieras

Lib. 9. contra
duas Epistolas
Pelag. cap. 3.
de contra Iu-
lianum, lib. 6.
cap. 5.

Lucæ 10.

Homil. 47. in
Matthæum.

cietas est, ut nihil cum eo commune habeatur: & nec tum quidem audiatur, cum vtilia suaserit. propterea, quanquam esurij: Christus, non tamè suggerenti diabolo, ut è lapidibus faceret panes, obediit: nos profectò (Chrylòstomo interprete) erudiens, ne vnquam diabolo credamus.

CAPVT III.

Eiectionem diaboli è credentium cordibus, variè nobis in sacris literis declaratam esse.

EIECTIONEM autè hanc damnationemque diaboli, qua illos quos in vniuerso mundo captiuos tenebat, fortiori cedere coactus est, variis modis sacra nobis litera declararunt. De Christi namque victoria & triumpho Propheta, prænuncians, Operuit caelos, inquit, gloria eius, & laudis eius plena est terra. Splendor eius ut lux erit, cornua in manibus eius: id est, trophæum crucis, Augustino quidè interprete. Ibi abscondita est fortitudo eius. Erat enim vis in cruce maxima ad diabolum è cordibus hominum proturbandum, deiiciendumque de suo principatu: ut hic merito possit intelligi illud Apostoli, Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus, sed virtus hæc abscondita & recta crucis humilitate fuit, ne illam posset diabolus habere suspectam. Si enim eam principes tenebrarum cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent: hoc est, nunquam nos redimi, inquit Ambrosius, Domini morte fecissent. Hæc igitur crucis virtute per carnis infirmitatem velata, ille Dei & hominum inimicus eiectus est. De quo apud Prophetam verbis consequentibus dicitur: Ante faciem eius ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius: iam videlicet ipse captiuus, qui capiebat, & regno spoliatus atque deiectus, qui superba tyrannide infelix hominum genus subiugarat: iure ut propheticam insultationem audire possit, Quomodo cecidi-

cecidi de celo Lucifer, qui manè oriebatis? corruisti in tertam, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo: In caelum conscendam, supra astra Dei exaltabò folium meum: ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Veruntamen ad infernum detraheris, in profundum lacu. qui te viderint, ad te inclinabuntur, teque prospicient. Nunquid iste est vir, qui conturbauit terram? qui concussit regna? qui posuit orbem desertum, & vrbes eius destruxit? vincis eius non aperuit carcerem? Hæc quoque pertinet quod in Apocalypsi describitur prælium Michaëlis, celestis exercitus ducis, cum dracone & angelis eius. Ille enim angelus sanctus, conditori suo sese subiciens, eiusque præ eximia celsitudine, digna sibi humilitate vilescens, aduersus diabolum toto orbe dominantem, & suæ quoque dominationis occasione sibi de diuinis placentem honoribus, iustitiæ instructus armis prælium mouit: hoc præ se ferens, proque eo fortiter dimicans. vnde illi nomè dicitur etiam auctoritate tributum est: Quis ut Deus? Nec verò dubio aut infelici pugnauit euentus. Nam proptio per mediatorem hominibus Deo, relinquentem diabolum suis sedibus expulit: & quem hæc sibi de mortalium obsequiis honorem tanquam Deo superbissimè arrogabat, vni omnium effectori & moderatori Domino, ille præliando restituit. Antea enim Dij gentium daemonia, quibus crucis virtute potritis, eum qui caelos fecit, palam terra vniuersa & agnouit, & coluit, & glorificauit. Itaque factum est prælium magnum in caelo, inquit Ioannes, Michaël & angeli eius præliabantur cum dracone: & draco pugnabat, & angeli eius, & non præualuerunt, neque locus inuentus est eorum amplius in caelo: & proiectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus & Satanas: qui seducit vniuersum orbem, & proiectus est in terram. Atque ut ea de re illustrem Ecclesie præ-

Homil. 13. in
Matthæum.

Abacuc 3.

Iob. 18. de
ca. 32.

1. Cor. 1.

Initio lib. 2. in
Lucam.

Isaie 14.

Apoc. 12.

dicationem & iucundissimam gratulationē agnoscas, subiungitur: Et audiui vocem magnam in cælo dicentem: Nunc facta est salus, & virtus, & regnum Dei nostri, & potestas Christi eius: quia proiectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die & nocte. Ne verò terras illas malignorum spirituum legiones sic deiectas angelorum sanctorum prælio putes, vt non etiam liberatorum hominum in pugna virtus enituerit, sequitur: Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni, & propter verbum testimonij sui; & non dilexerunt animas suas vsque ad mortem: propterea latamini cæli, & qui habitatis in eis. Non modò igitur diabolus semel ab initio superbiz suæ, de supremis beatorum spirituum ordinibus præceps actus est in hunc caliginosum aërem, æterno in die iudicij stagno ignis ac sulphuris destinatus; quemadmodò hoc diuus Petrus expressit: verùm etiam hic regnum amisit, & de cælo, id est, electorum cordibus, in terram deiectus est. Quod ipsum ita Saluator ait: Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras. Et rursus: Princeps huius mundi iudicatus est. qua, quidem illius eiectione & condemnatione fit, ne captiuos amplius teneat liberatos ad suam ipsius voluntatem, ne in illis sit efficax, suaque peragat molimina, ne illos velut cribrando exagitet, vt secreto salutiferæ veritatis flore, præter errorum quisquillas remaneat nihil, ne illius circūueniantur astu, & fraudibus implicentur, ne accusationes eius aduersus filios suos, placatus iam Pater admittat. Denique sic foras eiectus est, vt iam per Agni sanguinem vinci possit: nec vinci solùm, verùm etiam tanquam prostratus conculcari. Ecce enim, ait Dominus, dedi vobis potestatem calcandi super scorpiones & serpentes, & super omnem potestatem inimici, & nihil vobis nocebit. Id quod & in Psalmis promittitur habitanti

in ad-

in adiutorio Altissimi, & in protectione Dei cæli commoranti. Super aspidem enim, inquit, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Cur enim hoc non possit in damnatissimum illum draconem, eius per semè mulieris capite iam còtrito? Ipsum, inquit, semen conteret caput tuum, neque plus omnino tibi relinquetur, quàm vt ad tempus, etiam eius tu calcaneo insidiari possis. Dominus enim, inquit Leo, denunciauit serpenti futurum semen mulieris, quod noxij capitis elationem sua virtute contereret: Christum scilicet in carne venturum Deum hominem que signas; qui natus ex virgine, violatorem humanæ propaginis, incorrupta natiuitate damnaret. Eodemque eius pertinet alligatio. Etenim alligatus est tanquam canis innexus cathenis; & neminem iam mordere potest, nisi eum qui sese illi mortifera securitate coniunxerit. Iarrare potest, sollicitare potest; mordere omnino nisi volentem, ac per summam stultitiam propius accedentem, nullo modo potest. Non enim cogendo, sed suadendo necet: neque à nobis extorquet, sed suggerendo blandè petit assensum.

Serm. 2. de
natali Domini.

CAPVT IIII.

Quod à filijs Dei, diabolo deinceps resistitur,
si peccato repugnetur.

POTENTISSIMA igitur Christi gratia liberat; & de potestate tenebrarum translati in regnum lucis, ab eo videlicet qui nos fecit dignos: in partem sortis sanctorum in lumine, in quo habemus redemptionem & remissionem peccatorum, aduersus peccatum nos deinceps erigimus. quod cum innatum nobis esset, iamque inueteratum, & tanquam in naturalem conuersum qualitè videretur; quoniam modo ei aut bellum vidissemus indicendum esse, nisi fide illustrati; aut vlla colluctationis contentione vincere,

2. Petri 2.

Ezechiel 12.

Luc. 10.

Psalm. 90.

nisi diuinę gratiæ ope firmati, possemus? Iure ergo qui
 peccatum vincit animoque suo dominatur, is fortior
 censetur vrbium expugnatore: quodd hic quidē alios,
 ille seipsum vincit: hic externum, ille domesticum su-
 perat hostem: ille aduersarii obstitit corporis viribus,
 hic blādam perniciem robore cælesti instructus expel-
 lit. Quæ quantopere fugiēda esset atque extimescenda,
 Sapiēs Ecclesiasticus hūc monitis suis declarauit: Fili,
 inquit, peccasti? non adijcias iterum, sed & de pristinis
 deprecare, vt tibi dimittantur. Quasi à facie colubri
 fuge peccata, & si accesseris ad illa, suscipient te. Den-
 tes leonis, dentes eius, interficientes animas homi-
 num. Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas, pla-
 ge illius non est sanitas. Itaque qui suas vicit cupidita-
 tes rationisquę sub iugum misit, simulque ne ante-
 actorum criminum obligatione teneatur, veniam im-
 petrauit, is demū est qui veram sibi reperit libertatem.
 Duplex quippe vinculo (vt antea quoq. significatum
 est) seruitus peccati tenet adstrictos: altero dominan-
 tis cupiditatis, altero reatus damnationis sempiternę.
 Quorū etiā posterius gentilitas ignorauit, prius tamen
 ignoratū sibi non fuisse, testatur illud quodd apud Epi-
 ctetum legitur Stoicem philosophum: libertatem &
 seruitutem hęc differre, quodd illud virtutis, hoc mali-
 tię nomen & vocabulum sit. corporis enim vinculum
 esse fortunam, animę autero malitiam. Eum igitur qui
 corpus solutum, animā vincam habeat, seruum esse
 qui verō anīmā solutam, quamuis corpus habeat
 vincum, hunc esse liberum. Denique vinculum cor-
 poris aut morte soltere naturā, aut pecuniis, malitiam
 animę verō vinculum, soluere virtutem disciplinis.
 Et ille quidē ad hunc modum. Nos verō plenius mul-
 to rectiusquę dicimus, vtrumque vinculum per Spiri-
 tum sanctum in fusa charitate resolui, h. m. nemque
 in veram restitui à peccato libertatem. Quia donatus

liber-

libertate, diaboli quoque è manibus elapsus est, nec ab
 eo tenetur, vt antè, captiuus. Sed ei ne in priorem reci-
 dat seruitutem, ad laborandum est. Vritur enim ille non
 mediocri dolore amissi principatus: ideoque vigilare,
 laqueos tēdere, sollicitare, quo in antiquam reuocetur
 possessionem, nunquam intermittit. Sed nihil in nos
 nisi nostris armatus vitis potest. quibus si vigilanter
 fortiterque ex fide resistitur, diabolo quoque eo ipso
 repugnatur. Non cernitur hostis ille quidem corporis,
 oculis, sed neque id quo caveatur vincaturque necesse
 est. Deuicta enim concupiscentia, diabolus quoque
 superatur, qui per eam in nos valet, cuius imperus non
 tantopere essent nobis extimescendi, nisi insidijs eius
 & artibus, illa nos redderet opportunos. Nō enim ten-
 tat diabolus vel angeli eius, nisi quod in nobiscarna-
 liter dominatur. Ideoque circuit nos singulos, ait Cy-
 prianus, & tanquam hostis clausos obsidens muros
 explorat & tentat, an sit aliqua pars membrorū minis-
 tabilis & minus fida, cuius aditu ad interiora pene-
 tretur. Offert oculis formas illices, vt visu destruat ean-
 sitatem: aures per canoram musicam tentat, vt sonus
 dulciori auditu soluat & molliat Christiani vigorem.
 Denique mouet per infirmitatem carnis nostre, omnia
 suę potestatis tela, cum ad lasciuiam accendit, cum ad
 ebrietatem illicit, cum ad auaritiā prouocat, cum ad
 odia stimulat, cū ad exedes instruit, cum ad maledicta
 exacerbatur, sed omnes hi conatus frustranci erūt, si con-
 cupiscentię, per quam nos deicere molitur, virtute res-
 sistimus. Non vident quidē homines, diabolum quod-
 cum pugnent: sed in promptu remedium est. Si enim
 seipfos intus vicerint, de illo foris triumphant. Quid
 enim tibi facturus est tentator extraneus, siue diabo-
 lus, siue minister diaboli? Quicumque proponit lucrum
 vt seducat, si auaritiā in te non inuenierit, quid fueris
 consecutus? sin auaritiā te deprehenderit, morbo laho-
 rantein.

V 4

rantein.

Cap. 21.

Vide Aug. in
Psal. 143.Serm. de zelo
& inuice.
Vide Chrysost.
lib. 6. de sa-
cred. cap. 16.

rantem, viso lucro inardescis, & vitioſæ eſcæ caperis laqueo. Fruſtra itaque dicitur à nonnullis: Quomodo poſſumus vincere diabolum, quem non videmus? Ibi enim vincuntur inimicæ nobis inuiſibiles poteſtates, vbi vincuntur inuiſibiles cupiditates: nec præualere poſſumus aduerſariis noſtris, niſi præualeamus & nobis. Non enim ſeducit ille aut trahit aliquē, niſi quem inuenerit ex aliqua parte iam ſimilē ſibi. Inuenit enim eum aliquid cupientem, & cupiditas aperit ianuam ſuggeſtioni diaboli. inuenit aliquid timentem, monet vt fugiat, quod illum timere perſpexerit: monet vt adipiſcatur, quod eum cupere inuenerit. hoc modo per duas ianuas, alteram cupiditatis, timoris alteram, hoſtis, ni caueatur, irrumpt. ſed claudēdæ illæ ſunt, omnique vigilantia faciendum quod beatus Apoſtoloſ admonuit: Ne detis locum diabolo. Quibus verbis oſtendere voluit, quod quamuis intret humanum cor poſſideatque diabolus, illi tamen prius homo locum dederit, vt poſſet intrare. Ex quibus intelligitur, quanta ſit Chriſtiano cura nitendum, vt ſui cordis ianuas obſeruet, ne callidiſſimus ſerpēs aliquo ſibi aditu patefacto, ſenſim irreat, atque in priſtinam poſſeſſionem dominationemque reuocetur.

CAPVT V.

Quid tantisper dum hic viuimus, variis demonum artibus oppugnemur.

NEQVE enim in hac mortali vita eoſque à peccato & diabolo liberamur, vt iam in poſterum illis hoſtibus cæteamus; ſed tantummodo vt liberi effecti, deinceps vincere pugnando poſſimus. Nam quia peccati merito, inquit Auguſtinus, humana natura ſubdita eſt hoſti; prius homo vt aduerſus eum pugnare poſſit, ab eius eruitur poteſtate: deinde, ſi vita eſt in hac carne prolixior, certans adiuuatur, vt ſuperet: poſtremo

poſtremo; victor beatificatur, vt regnet. hic ergo dum viuatur, tanta libertas eſt, vt adimat ſeruitutem, non remoueat pro ſua libertate pugnandi neceſſitatem. Non enim (ait D. Proſper) ad hoc datur continētia, vt concupiſcentijs non repugnet: nec ideo cuiquam tribuitur ſapientia & intellectus, vt non die ac nocte in Domini lege meditetur. quid autem agit donum dilectionis, ſi beneuolentiæ ſolicitudo non vigilat? quis fruſtus eſt patientiæ, ſi non habet fortitudo quod toletet? aut quomodo in Chriſto piè viuere oſtenditur, qui nulla perſecutione pulſatur? vel pax quæ eſt à Deo & cum Deo, nunquid bene quieta eſt, ſi non diſcordat à mundo? aut amor Dei poterit ſine diaboli inimicitijs obtineri? Neminem proſus Dei gratia intentabilem facit: neque ob hoc cæleſtium armorum præſidio à dextris & ſiniſtris inſtruitur Chriſtiana militia, vt nullo cum hoſte conſigat; cum laudabilius ſit atque felicius, pugnantem non potuiſſe vinci, quam deſidem non potuiſſe tentari. Sic ille. Itaque hoſtis noſtri circumſpiciendæ ſemper nobis ſunt inimicitia: qui ſi aperte non ſæuit, inſidijs aggreditur: ex quo & leo eſt appellatus, & draco, & tigris interdum. Nam leo quidem aperte ſæuit: draco occulte inſidiatur: tigris verò dictus eſt; propter multiformis aſtutiæ varietatem. omnem enim hanc vim & poteſtatem diabolus exercet. nam cum eius impulſu Martyres necabantur, leo erat aperto Marte ſæuiens: cum verò vel per hereticos vel ſeducutores alios inſidiatur; & tigris eſt, & draco ſubrepens. Huius ergo draconis aſtus cum beatus Apoſtoloſ intueretur, atque inde ſuis periculum impendere proſpiceret, Timeo, inquit, ne ſicut ſerpens ſe-

Lib. 2. de vocat. gent. c. 3. 5.

Gregor. lib. 5. Moralium, in cap. 4. 166.

2. Cor. 12.

fore putet immunem? Quis autem varias illius artes enumeret? Non enim definit hostis antiquus transfurās se in angelum lucis, deceptionū laqueos ubique prætere, & ut quoquo modo fidem credentium corrumpat, instare. Nouit cui adhibeat æstus cupiditatis, cui gulæ illecebras ingerat, cui admoneat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus inuidiæ. Nouit quem mœtore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione seducat. Omnium discutit cōsuetudinem, ventilat curas, scrutatur affectus: & ibi causas quærit nocendi (inquit beatissimus Leo), ubi quæque viderit studiosius occupari. Idcirco illum à Propheta vocatum reperimus serpētem vectem, seu teretem & lubricum, & serpentem tortuosum: quod mille per Mæandros sese voluens, cuncta exploret: quæque parum munita viderit, ea in primis oppugnet loca: ut cum illac irruperit, munitiora facilius capiat, & animæ cordisque ad arcem negotio minore perueniat. Sæpeque evenit (quemadmodū ait sanctus Gregorius) ut qui cognitus, resistentis virtute repulsus est, latens obtineat, quod certando non potuit. Quo fit ut fidelis dum in vno vincit, superetur in altero: & dum vnum attenditur, alterum non caueatur. Peruscacissimus enim hostis, ait Tertullianus, nunquam malitiæ suæ ortum facit, atque tunc maximè seipit, cum hominem plenè sentit liberatum: tunc plurimum accenditur, cum exstinguitur. Doleat enim & ingemiscat necesse est, venia peccatorum permessa, tot esse titulos damnationis erasos. Proinde serpentis huius & vigi-
lantissimi hostis quoniam insidiosos insultus varios ac frequentes Propheta patiebatur, exclamare coactus est ad auxiliatorem Deum: Vsq̄uequo Domine obliuisceris me in finem, vsquequo auertis faciem tuam à me? quamdiu ponam consilia in anima mea; dolorem in corde meo per diem? Vsq̄uequo exaltabitur inimicus

Serm. 7. de
Natiuitate
Domini.
Isaia 27.

Epistola 56.

Libro de per-
nitentia.

Psalm. 12.

cus

ejus meus super me? Verissimeque D. Ambrosius, nostram in hac vita iustitiam in quadam militia belloq̄. constituit, & aduersus æmulas æreæ potestates, & aduersus nostras cupiditates: per quas illi quoque exteriores inimici nos deicere vel penetrare moliantur, ut & quasi ciuili bello interiorum vitiorum laboremus, & propter hostiles impetus spiritualium nequitiarum, hæud mediocriter periclitemur.

CAPVT VI.

Etiam in hominum aduersantium conatibus, demonum impetus & æstus esse formidandos, nec tamen omnia que parentur ab hominibus mala, demonum impulsu necessarij fieri.

NAM etsi mundus sua quoque aduersus sanctos bella commoueat, id est, hominum impiorum atque in omni genere sceleratorum vniuersitas: tamen Apostolus dicit non esse nobis colluctationem aduersus carnem & sanguinem; sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi Rectores tenebrarum harum; contra spiritualia nequitia in caelestibus, nimirum, ut cum nobis aduersari homines iustitia causa cernimus, belli totius primarios duces atque incentores demones cogitemus. Non enim est, inquit, nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, id est, aduersus homines: Non aduersus eos quos videris, sed aduersus eos quos non videris, contra quos est inuisibiliter dimicandum. Hi enim & occultis instigationibus perditorum cupiditates inflammant, & consilia inspirant omnia his regentibus atque operantibus, decipit ac peruertit hæreticus, sequit tyrannus, conuertiatur improbus, derahit inuidia facibus agitur, his instigantibus atque impellentibus, iniquitas cum iustitia non habet pacem, temperantiam odit ebrietas, fallacii nulla est cum veritate concordia, non amat superbia mansuetudinem, non petulantia verecundiam, non

Apud Aug.
lib. 2. cont. Iu-
lianum, cap. 3.
& 9.

Ephes. 6.

aua-

auaritia largitatem. Si ergo persequentium hominum
 crudelitatem & ravidam feritatem perhorrescis, odium
 implacabile cogita diaboli, quod bonos ferre non potest.
 Si astus & callida miraris circumuentium consilia,
 illius recordare vafriem, qui & primos homines ser-
 pentino usus instrumento decepit. Si ad impudentissi-
 ma obstupescis mendacia, quibus pleni esse fidei ho-
 stes solent, siue ad bonos maculandos & traducendos,
 siue ad obscurandam cuiuslibet rei necessariam veri-
 tatem; ille tibi in mentem veniat, de quo scriptum est,
 quod mendax sit, & pater mendacij. Si mouet insignis
 ad tolerandum duricies, ut magnae speciem patientiae
 praeseferat, ille captiuos tenet ad suam ipsius volun-
 tatem. Si ostentatur liberalitas, si sermo profertur blan-
 dus, & Christi nomine saepe conditus, si clementia &
 omne humilitatis officium exhibetur, ille se & in mi-
 nistris ac satellitibus suis transfigurare nouit in ange-
 lum lucis. Denique homines suis deditos cupiditati-
 bus, atque hinc etiam facile repulsa bona conscientia
 erroribus obcaecatos, nemo in optimos quosque fure-
 re, nemo illos sacrilegia facere, patrare caedes, patriae
 prodiciones concipere; nemo oppressiones ciuium,
 constuprationes sanctarum virginum, diuinarum hu-
 manarumque legum contemptum pro nihilo ducere
 mirabitur, qui illos persuasum habebit a spiritualibus
 nequitis, quibus hic mundus plenus est, agitari ac velut
 animari. idcirco enim Rectores tenebrarum harum,
 id est, hominum infidelium ac prophanorum, Apo-
 stolus dixit. Neque tamen negandum est, homines per
 se prauos & odisse veritatem & persequi, nullo etiam
 daemone inflammante, posse: sicuti & sua quemque
 praua voluntate in malum ferri, certum est, etiam si
 nullus ad id spiritus nequam impellat. Tamen enim
 hominem exagitat & inflammat fallacibus visis, & sua-
 sionibus immundis, spiritus diabolicus, efficitque ho-
 minis

minis voluntatem vel errore dementem, vel appetitu
 cuiuslibet mundanae delectationis sic ardentem, ut
 etiam quaecunque videntur intolerabilia, mirabiliter
 sustineat: non tamen ideo voluntas mala sine instiga-
 tione alterius immundi spiritus, sicut voluntas bona
 sine adiutorio sancti Spiritus, non potest esse. Nam
 esse posse voluntatem malam etiam sine aliquo spiritu
 vel seducente vel incitante, in ipso diabolo satis osten-
 ditur, qui per nullum alium diabolum, propria volun-
 tate diabolus factus inuenitur. Vnde si penitus (ait
 Chrysostomus) atque diligenter his quae fiunt, animum
 intendere velimus, inueniemus minime nos ad omnia
 diabolum impellere. sed cum plurimorum ille nobis
 lapsuum sit auctor, plurimos item nosmetipsi per no-
 stram solam socordiam ac negligentiam patimur. Diuus
 etiam Augustinus diabolum scribit aduentitium esse
 ad tentandum: habere enim homines proprias tenta-
 tiones. Basilius quoque cum proposuisset interroga-
 tionem: Nunquid omnis peccati causa recte conferri
 in Satanam possit? Respondit eiusmodi verbis: In vni-
 uersum, opinor, Satanam non posse ipsum per se causam
 esse alicui ut peccet: sed cum modo insitis unicuique a
 natura motionibus, modo etiam interdictis cupidita-
 tibus, velut adiutricibus utatur, per haec ipsa eos qui
 negligetiores sunt, ad propria vitia conatur abducere.
 Utitur autem ille quidem adiutricibus secum natura-
 libus motionibus: sicut in Domino facere tentauit,
 quando esurientem illum animaduertens, dixit: Si Fi-
 lius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Interdictis
 autem cupiditatibus, ut in Iuda, quem quod avaritiae
 morbo esse obnoxium intellexerat, huius ipsius cupi-
 ditatis opera usus, auarum hominem ad sceleratissimam
 prodicionis lapsum, nummis triginta argenteis exsti-
 mulauit. Quod autem mala etiam ex nobismetipsis nascun-
 tur, manifeste Dominus ostendit: De corde enim, in-
 quit,

Iohannis 8.

Ephes. 6.

Lib. 1. de pro-
uidentia Dei.

In Job c. 20.

Resp. 11. ad
obiectionem
Vinc.

quit, exeunt cogitationes malæ. Hactenus Basilius; in regulis brevioribus Interrogatione 75. Denique & Prosper, quod peccetur, id totum diabolo adscribi negat oportere: qui in peccantium flagitiis, inquit, est illecebrarum adiutor, non voluntatum credendus est esse generator. Itaque etsi in hominum aduersantium conatibus, diaboli præcipue feram malevolentiam formidare debeamus; non tamen hæc impeditur distinctio: qua nos, ceu triplici hostium acie, vulgo dicimur impugnari, à carne, mundo & diabolo: quod & caro nostra proprios habeat impetus, suasque ipsa faces admoveat, omni etiam remoto externo tentatore: & impiorum mundus per seipsum immundus, suaque ipsius prauitate in maligno positus, non idcirco nulla persecutione sanctorum societatem infestaret, quia nullus malignus spiritus instigare.

CAPVT VII.

Propter variarum tentationum pericula, nullam esse libertatem in hac vita securitatem: qua ad perfectam libertatem requiritur.

QUÆ cum ita sint, quis bona mente præditus illos audiendos putet, qui ita securitatem (sine qua perfectæ libertatis constare ratio non potest) in hac vita constituent, ut credi etiam hoc dicant oportere, nos in finem vsque perseueraturos? Absurdum enim profusum est, mediis in periculis, quæ nobis tot hostium eumque in struclissimi faciunt, securitatem ponere, atque in bello pacem esse dicere: Sed & perniciosum est, inter confertissimos hostes stantem, falsa & subdola prædicatione securitatis, sollicitudinis ac timoris cautione nudare. Denique præposterum est, huic velle vitam tribuere, propter quod assequendum ex ea migrare sancti semper omnes cupierunt. Simeon ille iustus, ait Cyprianus, qui verè iustus fuit, qui fide plena; Dei

Serm. 4. de
mortalitate.

præcepta seruauit; cum ei diuinitus responsum fuisset, quod non antè moreretur, quàm Christum vidisset, & Christus infans in templum cum matre venisset; agnouit in Spiritu natum esse iam Christum, quo viso, sciuit cito se esse moriturum: lætus itaque de morte proxima & de vicina accensione securus, accepit in manibus puerum, & benedicens Deum exclamauit, & dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace: probas scilicet & contestans, tunc esse seruis Dei pacem, tunc liberam & tranquillam quietem, quando de istis mundi turbinibus extracti, sedis & securitatis æternæ portum petimus: quando hæc expuncta morte, ad immortalitatem venimus. Illa est enim nostra pax, illa fida tranquillitas, illa stabilis & firma & perpetua securitas. Cæterum quid aliud in mundo, quàm pugna aduersus diabolum quotidie geritur? quàm aduersus iacula eius & tela, conflictationibus assiduis dimicatur? hæc aliaque plura D. Cyprianus, per fatum esse demonstrans, aliam in hac vita securitatem fingere, prætextu libertatis, quæ hinc imperfecta tribuitur. Liberi enim sumus quidem à peccati & diaboli seruitute, sed tanquam pulsa febris, aut grauibus diuturnisque vinculis resolutis, languor & imbecillitas remanet, per quam lapsu facili corruimus iterum, nisi in gratiam incumbentes, ac sicut sacer canit Psalmus, Habitant in adiutorio altissimi, caelesti eius fulcimento & protectione muniamur. Inconstantia enim, ut ait Sapiens, concupiscentia, transuertit sensum sine malitia. Nam cum modò sedata est, nullaque tentatione commota, modò per æstus quosdam suos exurgit atque intumescit: tum bona quidem illa, sed imbecilla voluntas; paulo momento huic illuc impellitur. Eam ob rem admonet per scripturam diuina vox, ut qui existimat stare se, videat ne cadat. 1. Cor. 10.
Tanquam enim in lubrico consistentes, vel leui saepe tenta-

præ-

Proverb. 27.

Rom. 11.

Psal. 59.

tentationis vento deijcitur. alio quoque in loco sic repressus est humanæ præsumptionis tumor, diuinæ Sapientiæ verbis: Ne glomeris in crastinum, nesciens quid superuentura pariat dies. Sic & gentilis Christiani, aduersus Iudæum insolescentis, est in epistola ad Romanos castigata iactatio: Dicis, inquit, fracti sunt rami, vt ego inserar: bene, propter incredulitatem fracti sunt: Tu autem fide stas. Noli altū sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis nō perpercit, ne forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem & seueritatē Dei: in eos quidem qui ceciderunt seueritatem, in te autem bonitatem Dei, si permaneris in bonitate. alio: qui & tu excideris. Satis id sibi perspectum censebat feruentior ille ceteris discipulus, nunquam se negaturum esse: at idem non multo post, ad vnus ancillulæ vocem perterrefactus, negauit. Ergo iusti, inquit Augustinus, qui viuunt ex fide, sic vident iniustum quid illi euenturum sit, vt tamen timeant & sibi. Quid enim sint hodie, sciunt; quid crās futuri sint, nesciunt; Modò ergo videbunt iusti, & timebunt. Quando autem ridebunt? quando transierit iniquitas, quando transuolauerit tempus incertum. Nunc autem & qui iniustus est, cōuersus poterit iustus esse, & iustus auersus esse poterit iniustus. Itaque nec de te præsumas, nec de illo desperes. Hæc ille in Psalmium quinquagesimum primum. Neque verò est, quod sibi quiquam de affuturo blandiatur. cælesti præsidio: quod vii paratum est humilibus, vigilantibus, petentibus atque pulsantibus, assidueque pendentes de manibus crucifixi: ita facile sibi placentes, dormitantes, nimiumque securos, suæ imbecillitati relinquit ac desertos esse patitur. Hinc cum dixisset ille in abundantia cordis sui: Non mouebo in æternum; statim insolentiæ huius pœnam se subiisse memorauit, dicēs: Avertisti faciem tuam à me, & cōtinuò, ruina videlicet mea, factus sum

contur-

conturbatus. Quapropter cum metu, inquit Paulus, *Ambr. lib. 32. in Lucam. Philip. 2.* & tremore, vestram salutem operamini. Deus enim est qui operatur in vobis velle & perficere, pro bona sua voluntate. Et rursus ad Hebræos cap. 12. Regnum, inquit, immobile suscipientes, habemus gratiam per quam seruiamus placentes Deo cum metu & reuerentia. Etenim Deus noster, ignis consumens est. Propter hoc ipsum, & illa resonat de Psalmis omni obseruatione digna vox: Seruite Domino in timore, & exultate ei cū tremore. Videte, inquit Augustinus, quēadmodum eloquium Dei in nostra felicitate tollat nobis securitatem. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. In exultatione, vt gratias agamus: in tremore, ne cadamus. Et addit: Apprehēdite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de viā iusta. Non ait, ne quādo irascatur Dominus, & nō vos introducat in viā iustā: sed iam illic ambulātes, sic terrēdos iudicauit, vt diceret; Ne pereatis de viā iusta. Atquē vnde, inquis, etiā iusto tantū periculi? Nimirum à superbia, quæ in ipsis propriè rectè factis cauenda est, id est, in ipsa viā iusta: ne homo (inquit beatus Augustinus) dum quod Dei est, deputat suum; amittat quod Dei est, & redeat ad suum. Idcirco D. Hieronymus sic virginē hortabatur Eustochium: Nolo tibi superbiam venire de proposito, sed timorem. Nemo inter serpentes & scorpiones tutus ingreditur: magnis inimicorum circumdamur agminibus: hostium plena sunt omnia, Quamdiu hoc fragili corpore detinemur, quamdiu habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, & concupiscit spiritus aduersus carnē, & caro aduersus spiritum, nulla est certa victoria. Aduersarius noster diabolus, tanquam leo rugiens, aliquem deuorare quærens, circuit. Si Apostolus vas electionis, & separatus in Euangelium Christi, ob carnis aculeos & incentiuā vitiorum, reprimit corpus suum, & seruituti subijcit,

In Tsal. 50.

Lib. de natura
& grat. c. 33.

X

ne

ne alijs prædicans, ipse reprobis inueniatur: si post nuditatem, ieiunia, fames, carceres, flagella, supplicia, in semetipsum reuersus, exclamat: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius! tu te putas securam esse debere? Caue, quæso, ne quando de te dicat Deus: Virgo Israël cecidit, & non est qui suscitet eam. Sic Hieronymus. Qui quod de Paulo commemorat, etiam atque etiam considerandum est. Si enim ille (vt Augustinus ait) tantus Apostolus potuit extolli magnitudine reuelationum, vt ideo, ne qua illi inde surreperet elatio quæ ipsum subuerteret, angelum Satanæ pateretur, qui eum tanquam puerum colaphisaret; quis de se possit esse securus? De nostra ergo stabilitate, inquit Cyprianus, certum nihil habemus; qui sine cessatione concutimur, inter fluctus sæculi sustinentes procellosos insultus. Hic autem illæ nostræ sunt ad vincendum vires, hoc robur atque præsidium, si de crucis per singulos actus auxilio fidamus quam maximè: atque id humilibus sedulisq. precibus, qualibet oborta tæratione, ambiamus. Id quod forsitan prouectiores quidam, & qui se à perfectionis culmine haud procul abesse arbitrentur, non admodum ad se pertinere censebunt. Iustitiæ namque habitu confirmato, longiorisque vitæ iam magnis exercitiis roborato & aucto, victores se fore præsentī virtute, haud immeritò sperabunt. verum falluntur hi plurimum, nec se tum maximè periclitari vident, cum minus periculi pertimescunt. Quanquam enim ij quos iam recens è cæno peccatorum, Domini extraxit manus, ob prioris vitæ consuetudinem oblucentesque eo magis cupiditates, quo magis eis noua iam morum commutatione resistitur, periculum suum quotidie sentiant: tamen & ij qui multum in virtutum via processerunt, longeque à tergo vitia reliquisse videntur, bonis etiam operibus abundantes: haudquaquam periculo carent maximo.

quod

quod quo minus sentitur, eo magis suspectum haberi debet, studiosusque cauendum est. Etenim cæteris vitæ vitii debellatis, vna bonis operibus, magnisque virtutibus insidiatur superbia: quæ dum incautū minusque prouidentem extulit, repente in scelera maxima tæpe præcipitat: aut si non aliam affert manifestiorem scelerum perniciem, vbi subinde propter confusionem agnitionemque sui, ad inungendos oculos collyrij medicina parata est: grauissima tamen hac peste necat, quod bonorum operum fructum intercipit. In quibus dum sibi placet, efficit vt nihil placeat Deo, solamque virtutum inanem speciem, ac veluti corticem, corrosa consumptaque soliditate, relinquit. Nam subducta humilitate, ait Chrysostomus, etiam si ad ipsum vsque cælum, conuerfationis sublimitate peruenias, simul omnia subtrahuntur, atque in finem pessimum relabuntur. Etenim siue orationem, siue ieiunium, siue misericordiam, siue pudicitiam, siue aliud quid bonorum, absque humilitate congreges; statim cuncta defluunt, cunctaque depereunt. Idemque de vanæ gloriæ cupiditate differens, Clam, inquit, hæc ingreditur bestia, cunctaque bene oriëntia, intus maxima cum quiete & absque vilo sensu perdentis exportat. Præclare igitur D. Augustinus admonuit, enartans Psalmum 62. Nemo dicat: Protegat me Christus cum paruulus sum, quasi aliquando ad tantam magnitudinem possit peruenire, quæ sibi sufficiat. Sine protectione Dei nihil es; semper ergo ab illo protegi velimus. Et Prosper ad Demetriadem virginem, Quia, inquit, inter vitia aut nulla est aut rara iactantia, & facile spernitur, qui de opprobrio gloriatur; malum superbiæ maximè virtutibus est cauendum. quia nullis oportuniùs insidiatur, quam quibus laus iusta debetur. Cum ergo per ineffabilem misericordiam Dei captiuus libertas, perditis salus, mortuis vita reparatur: cum in sacramento

X 2

Crucis

In Psal. 130.

Lib. de sing.
clericorum.In Mattheum
homilia 15.Homilia 19.
in Matthe.

Crucis & Resurrectionis Christi, ad nouitatem redit
 vetustas, & ad innocentiam regeneratur impietas, an-
 tiquus hostis malignius fremit, & acrius inardescit: &
 cum innumeris nocendi artibus humanum genus ni-
 tatur auertere, ferens discordias, incitans iras, acuens
 cupiditates, suadens turpia, falsa commentans, & er-
 rorum laqueos per opinionum commenta multiplicans;
 plus vitur de virtute, quam lætatur de fragilitate la-
 bentium. Multi enim seruietes Deo, & in lege eius
 die ac nocte meditates, crucifixerunt carnem suam
 cum desiderijs & concupiscentijs, omniumque illece-
 brarum incentiua domuerunt: non damnis victi, non
 persecutionibus fracti, non prosperitatibus deprauati,
 mundum istum nec dilexere obsequentem, nec timere
 terre. Tantam itaque firmitatem & tam sublime
 propositum, qua impugnatione posset diabolus ado-
 riri, nisi vt quibus non potuerat persuadere vitiorum
 amorem, immitteret laudis cupiditatem? & inde no-
 uissima instrueretur tentatio, vnde nocuit prima de-
 ceptio? Non itaque desidijs & tepidis, neque inertibus
 & inculcis, sed magis quibusdam animis sedulis, &
 honorum actuum probitate luculentis, per gloriam
 irrepsit humanam; & quos impulsione non mouit, elatione
 deiecit. Quanto enim clariore erant meritis, tanto
 eos aptiores suis inuenit insidijs. In Paradiso namq.
 Ecclesie constitutos, & virtutum delicijs abundantes,
 ad confidentiam liberi incitauit arbitrij: vt profectus
 suos in se constituerent, & ad arborem propriæ volun-
 tatis, manum præsumptionis extenderent. Et hæc quid-
 em D. Prosper de perfectorum periculo scripta reli-
 quit. Quam eius vtilissimam doctrinam D. Augusti-
 nus vna hac breui sententia complexus fuerat: Quo-
 primum vitio superatus est homo, hoc vltimum vincit.
 Cum enim omnia peccata superauerit, manet pericu-
 lum, ne bene sibi mens conscia, in se potius quam in

Domino

Domino gloriatur. Illa quoque à diuo Prospero inter
 eiusdem sententias numeratur: Omnia vitia in male-
 factis tantummodo valere: solam superbiam etiam in
 rectè factis esse cauendam. Nam, vt hoc ipse Prosper
 carmine reddidit,

Sola est innumeris armata superbia telis,

Cui possunt vires & bene gesta dare.

Non ergo nimium (ait D. Chrysostomus) confident
 qui stant: sed secum crebro illud reputet: Qui æstimat
 se stare, videat ne cadat. Nouimus enim multos ad
 ipsius cæli ferè verticem conscendisse, omnes virtutes
 numero habuisse, deserta deuiaque loca, à vita homi-
 num aliena coluisse; ac denique feminam ne in som-
 nis quidem vidisse: & tamen negligentia lapsos, ad vi-
 tiorum barathrum deuenisse. Et infra: Cauemus, ait,
 charissimi, & per angustum iter illis contemptis ita
 pergamus, vt confidere & timere verè videamur. ti-
 mentes, quoniã ex vtraque parte varia præcipitia sunt;
 confidentesque, quoniam Iesus dux noster est, maturè
 viam sobrij atque vigiles pergamus. Non enim sumus
 nos stabiliore quam Dauid, qui parua negligentia in
 profundum peccati detrusus fuit. Hæc D. Chrysostomus.

CAPVT VIII.

*Quanto in errore versentur qui nunc asserunt hominem semel
 à peccato & diabolo liberatum, in priorem seruitutem re-
 cidere non posse.*

Cum igitur nec ipsa quidem, quæ haberi in hac vi-
 ta potest, iustitiæ qualiscumque perfectio securã sit,
 ab omni que ruinæ periculo remota; sed ob id ipsum
 magis metuere debeat, quod aduersarius noster dia-
 bolus, ad acrius impugnamdam, clariori virtute pro-
 uocetur; perfacile est erroris absurditatem, in quò non-
 nulli hac quoque tempestate versantur, & animaduer-
 tere, & conuincere. quo is qui semel sit peccati seruitu-
 te liberatus, veraque donatus iustitia, cadere deinceps

asseritur nullo modo posse. Cur enim non possit, causam aliquam reddant necesse est. primum autem vehementer desipiunt, si eum qui iustus ac liber fiat, simul etiam in hac peregrinatione vitæ mortalis, putent in iustitia confirmari, sicuti & angelos, & beatos spiritus; in iustitia credimus confirmatos esse. Hic enim terminus est, ad quem huius vitæ cursu contendimus: hic finis, ad quem respicimus: hoc Dei regnum est; hoc præmium virtutis, quod exspectamus. Præposterum est, quemadmodum antea quoque diximus, huic velle miseræ vitæ tribuere, quod propriè pertinet ad futuram. Deinde quid est, quod beatos illos spiritus in iustitia confirmatos reddat, nisi quia sic teneantur beatifica illa Dei visione quæ flagrantissimum perfectissimumque eius amorè gignit, ut ad seipsum sibi placendo relabi atque deficere nullo modo possint? Cum igitur huius vitæ non sit illa clara Dei visio, quæ mundis corde futura promittitur; nec igitur perfecta charitas; quare nec secunda stabilitas. Sed hoc clarius est, quam ut pluribus debeat illustrari. Quod si hic imperfecta charitas atque iustitia est, ideoque multam relinquat imbecillitatem, nondum absorptis omnibus terrene concupiscentiæ motibus: quid obstet, quo minus lapsus timere debeat, qui sit adhuc imbecillus? Et cur excidere à iustitia & libertate non possit, qui nondum in ea sit ipsius cõsummatione immobiliter stabilitus? An quia hoc cuique iustificato diuina reuelatione prætestatum sit, ipsum ne ab imperfecta quidem illa sua iustitia, & ne in summa quidem imbecillitate naturæ, propter directionem spiritus esse casurum, idcirco lapsus timere nõ debet? Scilicet hac reuelatione Paulus fruebatur, qui castigabat carnem suam, & in seruitutem redigebat, ne fortè cum aliis prædicasset, reprobis efficeretur, qui iam liberatos ac iustificatos hortabatur, ut cum timore ac tremore suam operarentur salutem;

ludem;

ludem, qui enim qui stare sibi videatur, uti maxime videtur is, qui secundum istos credere debet se esse ingratum, diligenter admoneat, videat ne cadat breuiter nullum Dei verbum est, quo solo nititur Christiana fides, quo hoc cuique iustificato promittitur, ipsum in accepta iustitia in finè vsque perseveraturum, quin potius & verbo Dei frequenter instruiatur, & iusticorum exemplis, quæ nobis scriptura proponit, vehementer admonemur, ne nobis de futura perseverantia quicquam polliceamur certi. An fortè iustificatus & liber, quamvis nondum iustitia perfectus, tamen ob id casurus est nunquam, quia tentari non potest? Hæc enim est apud diuū Hieronymum, secundæ cõiunctionis propositio, eos qui fuerint baptizati; à diabolo non posse tentari, quod ne stultè dicere videretur, adiecit: Quicumque tentati fuerint, ostendere eos aqua tantum se, nõ Spiritu fuisse baptizatos, quemadmodum in Simeone mago legimus. Exciderat credo huic oratio Dominica: qua quotidie filij, ideoque liberi, quia nõ aqua modo, sed & Spiritu baptizati, precantur: Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo: id est, à diabolo, qui per antonomasiam malus dicitur. Exciderat & illud Apóstoli: Nam & ego quod donauit, si quid donauit, propter vos, in persona Christi: vt non circumueniamur à Satana. non enim eius ignoramus astutias. Qui pius quoque & Christianos coniuges adhortatur: iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas, propter incontinentiam vestram: Qui Corinthijs timebat, ne sicut serpens decepit Euam astutia sua, ita corrumperentur sensus eorum à simplicitate quæ est in Christo. Qui perfectiores quoque Galatas sic hortari potuit, vt scriberet: Fratres, si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, intendens te ipsum, ne & tu tenteris. Ad omnes autè illud pertinet:

X 4

Non

Lib. 1. contra Iouianum.

2. Corinth. 1.

1. Corinth. 7.

Cap. 6.

Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus & potestates, aduersus rectores tenebrarum harum, aduersus spiritualia nequitię in cęlestibus. Qui si nos animaduernerint super Christi fundamēto ędificare ligna, fœnum, stipulam; tum supponūt incendium: sin ędificauerimus aurum potius & argentum & lapides pretiosos, ne hęc quoque tantorum bonorum secura possessio est: sedet enim leo ille in insidiis, & in occultis, vt interficiat innocentem. Circuit hostis crudelissimus simul & callidissimus assiduè, & ille hostis cum quo bellum nobis est, nullo vnquam fœdere dirimendum. hic est qui expectauit Christi discipulos, vt cribraret sicut triticum. propter cuius insidias vigilare eosdem monet ac orare, ne intrent in tentationem. Quid autem discipulos commemoro? Ipsum magistrum, ipsum caput, ipsum, inquam, Dei Filium, tentare est ausus. ac prima quidem & secunda sententia repercutus, nihilominus caput leuat, tertioque vulneratus vsque ad tempus recedit, differens magis tentationem quàm auferens. Patitur omnino Deus etiã Christi discipulos, vereque filios, hoc est, post salutare illud lauacrum Regenerationis, grauioribus etiam quàm prius, diaboli tentationibus vrgeri. cuius rei causas aliquot reddens D. Chrysostramus, Idcirco, inquit, arma accepisti, non vt otieris, sed vt pugnes. Propterea Dęus in te tribulationes irruere permittit: primò quidem, vt discas quoniam Christi baptisma multo te fecerit fortiorē: deinde, vt in egregia illa animi mediocritate permanes, neque donorum videlicet magnitudine elatus, neque tentationum mole depressus. & alia quę ab eodem auctore copiosius differuntur. Sed iam externum hunc remoueamus hostem atque tentatorem: magna quidem illa tum & pręsentissima nostrę salutis peste carebimus. Sed nullane alia metuenda tentatio est, quę ruinam facere iustitię

*Homilia 23. in
Matthæum.*

stitię ędificio possit? An quod scriptum est, Carnem concupiscere aduersus spiritum, id sine graui tentatione quotidie fieri existimandum est? Non sic quidem beatus Iacobus nos docuit, qui scribit in Epistola: Vnusquisque verò tentatur, à concupiscentia sua abstractus & illectus. dehinc concupiscentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum autē cum consummatū fuerit, generat mortem. Caro hęc igitur nostra, seu carnalis concupiscentia, perpetuo aduersus spiritum dissidio concupiscens, nisi vigiles prospexerimus, Circeis ebrios poculis, in prodigiosas brutorum species illecebrosa deformat. Denique propter hanc carnis seu concupiscentię rebellatis insolentiam, beatus Apostolus, vas electionis, castigabat corpus suū, & in seruitutem redigebat, ne fortē aliis prædicans, ipse reprobus efficeretur. Ergo securus hęc nequaquam fuit ipse gentium Apostolus, singulari proculdubio gratię libertate donatus: & existimat aliquis securos esse debere nos post baptismum, ac nō potius id facere quod Sapiens admonet: Fili, accedens ad seruitutem Dei, præpara animā tuam ad tērationem? Verissimè namq. & illud scriptum est, Militiam esse vitam hominis super terram. vbi autem militia sit, frequens est pugna crebroque cum hoste decertandum. vbi autem pugna sit, cum aduersario præsertim blādo & intimo, & clam sæpius irrepente, nulla est certa securaque victoria. quoniã non desides modò & languentes capi, verum etiam alacri promptaque voluntate feruentes, operari cōtigerit. Meminisse enim oportet dictū Apostolis: Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma: Hac carnis infirmitate, nisi iusti subinde in peccata laberentur, non scriptum legeremus à Ioanne: Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Hoc ad credentes, inquit Hieronymus, post

Ecclesiast. 2.

Iob 7.

*Contra Iudæ-
manum, vbi
supra.*

baptisma loquitur, & aduocatum pro delictis eorum, Dominum pollicetur. Nec dicit, Si quid peccaueritis, aduocatum haberis apud Patrem Christum, ne eos diceres non plena fide baptisma consecutos: sed, aduocatum habemus Iesum Christum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: & non solum pro Ioannis illorumque peccatis, sed etiam pro totius mundi, in toto autem mundo & Apostoli sunt, omnesque credentes. Ex quibus liquidò comprobatur, post baptisma in aqua & Spiritu susceptum, ubi prima libertas datur, posse peccari. Frustra enim tales habemus aduocatum Iesum Christum, si suscepto semel iustitiæ munere, peccare non potest. Nunquid autem non iustus Dauid fuerat ante adulterium & cædem Uriæ Hethæi? Cui enim post hoc peccatum diceret, Redde mihi lætitiā salutaris tui, nisi quod eam prius quidem habuerat, sed perdidit delinquendo? Quid eius filius Salomon? non prius iustus, quia post (cortando impius? nec prius Sapiens, quia per mulieres postea ad idola etiam colenda infatuatus?

CAPVT IX.

Resellitur aduersariorum euasio, consistentium posse quidem peccare semel liberatos, at non excidere à sua iustitia, seu fide iustificante, eaq; in parte securos esse debere.

EX quo intelligitur, non modò in peccata posse cadere iustos, quod isti non negant, vsque adeo peccata ab hominibus iustis non remouentes, ut eos dicant in singulis operibus bonis peccare mortaliter: verum etiam excidere posse à iustitia: hoc est, ut interpretantur, à fide eaque iustificet, veraque pietate. Neque enim talem, arbitror, fidem, que præsentem habeat solum iustitiam, cum idolorum cultu: hoc est, pietatem cum tanta impietate, dicturi sunt in Salomone potuisse consistere. Amisit ergo Salomon fidem illam, sine qua prius

prius tam singulariter sapiens esse, & tam gratas offerre Deo preces non poterat. Quæro etiam, cum adulterio Dauidis, vtrum eiusmodi fides consistebat? Erubescant credo id dicere, cum adulterijs & homicidijs, hoc est, cum graui iniquitate & iniustitia, posse simul habitare iustitiam. quamuis & hoc impossibile esse demonstrat Apostolus, cum ait: Quæ enim pars iustitiæ cum iniquitate? quæ communicatio Christo cum belial? quæ societas luci cum tenebris? Amisit ergo Dauid iustitiam fidei, iniustus factus è iusto; & ex innocente ac pio, turpiter crudeliterque sceleratus. Verùm illa, inquiunt, ante Christum, & ante baptisma contigerunt: neque noui Testamenti exempla sunt, sed veteris. At nihil hoc eos adiuuat, cum nec ante Christum alia potuerit esse quàm Christi iustitia, nec alia tum fides quàm nunc iustificans. Habentes enim eundem modò nos Spiritum fidei, quem illi habebant, quem admodum ex Psalmo Paulus docet, credimus propter quod & loquimur. Si ergo illi ab ea iustitia exciderunt, quam Christi gratia donauerat, quam fides eadem in Christum pepererat: non est profecto, cur non & modò à iustitia similiter decidere queamus, que ex eiusdem promissionis apprehensione concipiuntur, eiusdemque Spiritus directione à peccatis tribus retinetur. Quamquam & de illuminatis seu baptizatis ipsis quid Paulus senserit, non obsecurum in illis verbis relictum sit, quibus ait ad Hebræos: Impossibile esse eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cælestis, & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt in hominum bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renouari ad penitentiam: rursus crucifigentes sibi metipsis Filium Dei, & ostentui habentes. Neque enim alios intelligere possunt illuminatos, quàm fideles, quoniam lumen hic nostrum, fides est: nec dicere, audebunt, in aqua duntaxat esse bapti-

2. Corin. 6.

Cap. 6.

Cal. inc. 6. ad Hebr.

baptizatos, qui participes facti sunt Spiritus sancti, & gustarunt seculi futuri virtutes. Quo significat (vt ipsemet Calvinus interpretatur) eos fide quasi admitti in regnum caeleste, & è mundo abductos erigi in caelum. & horum tamè de numero quosdam ita prolabi significat, vt eos neget renouari iterum posse ad poenitentiam. Quemadmodum & capite decimo eiusdem Epistolę dicit: Voluntariè peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, iam non relinquuntur pro peccatis hostia: terribilis autem quaedam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios. de his autem se loqui prius demonstrat, qui collectionem deserunt Christianam per schismata, & spei confessionem indeclinabilem non retinent, in hæreses & apostasias abducti. propter quos etiam est in priore ad Timotheum, quosdam in nouissimis temporibus discessuros à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum. vbi cum effugere conantur, adhibita fidei distinctione ea, qua aliam historiæ fidem, aliam iustificantem esse dicant; vt: à fide quidem historiæ significetur quidam esse discessuri per errores, non autem à fide iustificante, quoniam amitti semel habitam iustitiam non possit: quid aliud quàm vano labore se torquent, vt retia effugiāt saluberrimæ veritatis? Quasi scilicet non tam possit esse à fide iustificante, sicut eam intelligunt, discessio per diffidentiam in promissione, quàm ab historiæ fide per infidelitatis errores. Sed de illa fidei distinctione, huic heresi admodum familiari, nõ est huius loci neque instituti disserere. Cyprianum certè si audiant, fatebuntur quod ipse ex professo docet, libro ad Quirinum tertio, baptizatum quoque gratiam perdere quam consecutus sit, nisi innocetiam seruet: idque ex illis docet Scripturæ locis, quia dicitur Ioannis quinto: Ecce sanus factus es; iam noli peccare, ne quid tibi deterius contingat. Item in Epistola

Pauli

Pauli ad Corinthios: Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? si quis templum Dei violauerit, disperdet illum Deus. & secundo Paral. 15. Dominus vobiscum est, dum estis vos cum ipso. Si dereliqueritis eum, derelinquet vos. Quibus aliisque similibus scripturæ locis humana conuenitur infirmitas, suæque mobilitatis admonita, salubre cadendi metum, qui cautionem ac vigilantiam ingeneret, suscipere cogitur. Nec ideo infidelis inducitur in Ecclesiam dubitatio, quod metuenda ruina doceatur. Tamen si non desunt qui cum sua propter scelera de Ecclesia recesserint, videri tamè velint iusta de causa recessisse, quod infidelem, vt aiunt, Ecclesiam reliquerint: quæ pulsa conscientiarum iucunda securitate, tristem molestamque dubitationem introducat. Qua quidem in parte bis omnino falluntur. Primum, quod non attendant cum opinione quoque ipsa coniunctum esse metum. Habet enim opinio persuasionem, quemadmodum ea definiri solet, cum formidine de opposito. Dubitatio verò ab opinione scientiæque distincta, neque cum hac exploratam habet cognitionem, neque cum illa persuasionem inclinationeque assensus in partem alteram; sed inter vtramque fluctuans, neutram apprehendit. Vnde perspicitur non esse consequens, vt, quia remouetur fidei certitudo atque securitas, metusque ad vigilantiam retinendam indicitur, idcirco dubitandum esse doceatur. Deinde cur infidelis est incertitudo, quæ de verbo Dei nullo sit? Quanquam enim scriptum est; Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit: nullo tamen Dei verbo vnique dicitur quod rectè credat, hoc est, fide ea quæ per dilectionem operatur. Nullo etiam Dei verbo cuique dicitur, quod in ea fide quam semel rectam acceperit, in finem vsque sit perseueraturus: cum clarum sit aliam scripturam hanc perseuerantiam requirere. Quocirca qui se nega-

uerit

nerit de fidei suæ re&titudine, dilectionis que sinceritate, aut sua in hisce rebus futura perseverantia fide securum esse, ideoque metuere, ne aliter quam speret eticniat, omnino ille quidem ab infidelitatis periculo alienus esse videri debet. propterea quòd non modò nullum Dei verbum talem cuiquam securitatem faciat, qua de præsentis in gratiæ statu, aut futura in eo stabilitate habeat exploratum, sed disturbet potiùs condemnetque præsumptionem eiusmodi: qua nulla hodie caret hæresis, quantumvis ab aliis etiam hæresibus reprobata. Ideoque homo fidelis generales scripturæ divinæ sententiæ quæ de iustitia & salute sunt adipiscenda, sic recipit certa fide, vt tamen eas quæ sub illis circa vnumquemque fiant subsumptiones, ad fidem pertinere non putet, sed in ijs potiùs suum periculum recognoscat. Quam quidem Christianæ doctrinæ partem D. Chrysostomus tãti fecit, vt sapius etiam commendandam inculcandamque iudicaret, quemadmodum videre id licet homilia 68. in Matthæum. Sæpius, inquit, illud mihi dicendum esse video, nec illi qui vixit, in scena desperandum esse: nec huic qui versatur in Ecclesia, omnino confidendum. Ad hunc enim ait: Qui se existimat stare, videat ne cadat. ad illum verò: Nunquid qui cadit, non resurget? Et rursus ad probos: Vigilate, ait. ad illos autem: Surge qui dormis, & suscita te à mortuis. Nam aliis quidem conseruanda sunt quæ acquisierunt: alijs autem necesse est, vt commutati id fiant quod non sunt. Nam vt alteris conseruare sanitatem opus est: sic alteris, ab ægrotatione seipos liberare. Multi quippe à morbo diligentia conualuerunt: & multi ex sanitate in morbum negligentia inciderunt. Ideo ad illos quidem dicit: Ecce sanus factus es, noli amplius peccare, vt non deterius tibi aliquid fiat. ad hos autem: Vis sanus fieri? tolle lectum tuum. Hactenus Chrysostomus. Inuectus etiam est in hanc

Noua-

Nouatianorum arrogantiam D. Ambrosius, quòd se iustificatos semel, egere in posterum pœnitentiæ remedio non putarent: Vos, inquit, quis ferat, qui putatis vobis opus non esse mundari per pœnitentiam, quia mundatos dicitis vos esse per gratiam, quasi iam peccare vobis impossibile sit? Hoc ille cap. 8. libri primi de Pœnitentia. Vnde perspicitur, quos habeant nostri sectarij patronos, vt confidentiùs tollant è medio secundam illam pœnitentiæ tabulam post naufragium. Nec enim illa est opus, si verè cum Nouatianis prædicant, eos qui semel sunt iustificati & regenerati per gratiam, vlteriùs in exitiale crimen labi non posse: frustra que sunt à Christo datæ clauës, quibus ligata soluerentur, si liberatus semel per baptismum, illaqueati nequit amplius vinculis peccatorum. Vnù his addam Prosperi Aquitani & elegantem & doctum locum, ex quo doctrina Catholica superioribus verbis tradita & explicata à nobis, non mediocriter illustretur. Deus, inquit, ad obediendum sibi, ipsum velle sic donat, vt etiam à perseverantibus, illam mutabilitatem quæ potest nolle, non auferat. Alioqui nemo vnquã fidelium recessisset à fide: neminem concupiscentia vinceret: neminem tristitia elideret, neminem iracundia debellaret, nullius charitas refrigesceret, nullius patientia frangeretur, & collatam sibi gratiam nemo negligeret. Sed quia hæc possunt fieri, & in cõsensum talium tentationum facilis nimium procliuisque descensio est, nunquam debet in auribus fidelium vox illa Domini non sonare, qua Apostolis dicitur: Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. Vbi si de vigilando tantùm, non etiam de orãdo discipulos admoneret, solas liberi arbitrij vires videretur hortatus. Sed cum addidit: Et orate, satis docuit superni futurũ muneris, vt eos etiam vigilantes, tentationis procella non vinceret. Tale est & illud quod ait: Ecce Satanæ expostulauit, vt vos

cerneret

*Maiores fidei
posita, si minor
fidei no sit, con-
clusio fidei esse
non poterit, vt
in hæc argum. 2
20: Qui perse-
uerauerit, sal-
uus erit. ego
perseuerabo,
ergo.*

1. Cor. 10:

Hierem. 8.

Ephes. 5.

*Lib. 2. de vob
cap. gent. c. 28.*

336 DE CHRISTIANA LIBERTATE
 cerneret velut triticum. Ego autem rogavi pro te, ne deficiat fides tua: & tu tandem conuersus, confirma fratres tuos, & roga ne intretis in tentationem. Si ergo defectura erat fides tanti Apostoli, nisi pro eo Christus oraret: inerat ei proculdubio mutabilitas, quæ posset in tentationem nutare: & non ita iam perseuerantiæ fuerat virtute solidatus, vt nullis periculis esset obnoxius. siquidem tam grauis eum perturbatio etiam post ista concusserit, vt in Caiphæ domo, vnius ancillæ interrogatione pauefactus, vsque ad trinam negationem Christi, cui moriturum se sponderat, constantia deficiente perductus sit. Qui ergo tunc cõturbatum cor Apostoli, nõn humanis, sed diuinis conuenit oculis, & ad lōgos pœnitudinis fletus potenti incitauit aspectu, potuit hanc firmitatem animi præcipuo cõferre discipulo; vt sicut ipsum Dominum nihil ab explendæ passionis proposito deterrebat, ita nec beatum Petrum vlla tunc formido superaret. Sed hæc stabilitas illius tantummodo propria fuit, qui solus verè potenterque dicebat, Potestatem habeo ponere animam meam, & potestatem habeo iterum sumere eam. In ceteris verò hominibus, donec caro cõcupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem; & donec spiritus quidem promptus est, caro autè infirma; incommutabilis animi fortitudo non potest reperiri. quoniam non huius, sed alterius vitæ est, verè perfecta & secura felicitas. In præsentis autem agonis incerto, vbi tora vita tentatio est, & ab insidiante superbia nec ipsa est tuta victoria, mutabilitatis periculo non caretur. Et licet innumeris suis sanctis donet virtutè perseuerandi vsque in finem diuina protectio, à nullis tamen aufert quod ipsis repugnat ex ipsis, vt in omnibus studiis eorum atque conatibus, semper inter se velle & nolle decertèt. **Quam** compugnãtiã idem beatissimus Petrus, etiam in ipsa palmarum omnium consummatione, perpessus est.

Siqui-

Si quidem hoc ipse Dominus protestetur, & dicat: Amen, amen dico tibi, quando iuuenis eras, præcin- *Ioannis 21.*
 gebas te, & ambulabas vbi volebas: cùm autè senue-
 ris, extends manus tuas, & alius te præcingeret, & ducet
 quò tu non vis. hoc autem dixit, significans qua morte
 clarificaturus esset Deum. **Quis** ergo ambigat, quis
 ergo ignoret, hanc fortissimã petram, quæ ab illa prin-
 cipali petra communionem & virtutis sumpit & no-
 minis, hoc desiderium semper habuisse, vt ei mori edd
 pro Christo constãtia donaretur? verumtamen ita in-
 euitabilis erat obluetatio trepidationis, vt vir martyris
 audissimus, adepturus quidem denunciaretur victo-
 riam passionis, sed non sine tentatione formidinis.
 Merito igitur, inquit, non solùm ab incipientibus, ve-
 rùm etiam à prouectissimis sanctis, vniformiter Do-
 mino supplicatur, & dicitur: Ne nos inducas in tenta-
 tionem, sed libera nos à malo. vniuersis enim qui in
 fide & dilectione permanent, ab ipso donatur ne in
 tentatione superentur; vt qui gloriatur, in Domino
 gloriatur. Hanc luculētissimam solidissimamque diu-
 Prosperi doctrinam, quæ inter huius vitæ tentationes
 varias, nec à prouectissimis quidem sanctis remouet
 cadendi periculum, si Caluinus tenuisset, non scriberet
 tam inconsideratè ac temere electos esse extra ex-
 tialis lapsus periculum, eosque solos Patrem spiritu
 regenerationis dignari: in ijs verò qui cadunt, nun-
 quam veram penitus inha'sisse fidem atque pietatem;
 sed fallacem duntaxat fidei simulationem, qua cùm
 alijs, tum sibimetipsis imponerent. Namque illud Eu-
 angelij verbum, de his qui ad tempus credunt, & in
 tempore tentationis recedunt, cùm aduersari suæ opi-
 nioni perspiceret, non argumentum diluere (quoniam
 id non poterat) sed istiusmodi commentario cõbatu
 est eludere: Ad tempus quidam credere dicuntur, ai-
 in quibus verbi semen antequam fructificet præfoca-
 tur,

Y

tur, aut etiam nullis dum actis radicibus, mox arefcit ac deprimitur. Tales enim non dubitamus quodam verbi gustu affectos, ipsum auidè arripere, & diuinam eius virtutem persentiscere, vt fallaci fidei simulatione non hominum oculis modò imponant, sed suis ipsorum animis. Ipsissimam enim pietatem esse sibi persuadent illam quam Dei verbo deferunt reverentiam; quia nullam esse impietatem reputant, nisi manifestum & confessum eius probrum vel contemptum. Qualiscunque illa est assensio, ad cor ipsum vsque minimè penetrat, vt illic defixa resideat: & quamuis radices egisse interdum videatur, viuæ tamen illæ non sunt. Tot vanitatis recessibus, tot mendacij latebris scatet cor humanum, tam fraudulenta hypocrisis obiectum est, vt seipsum sæpe fallat. Sic ille quidem, cum tamen Euangelium non dicat esse quosdam qui ad tempus alijs, vel sibi credere videantur; sed qui ad tempus credant, & in tempore tribulationis recedant ab ea fide quam animis conceperant. Quia reuera per Dei gratiam, quodam affecti gustu verbi sibi propositi, ipsum auidè arripuerant, nec fallaci fidei simulatione, sed vera assensione admiserant in animos. Et ideo non vltro etiam deserunt quod acceperant, sed recedunt, inquit, in tempore tribulationis: quæ alacres etiam animos, verèque rectos ac sinceros, sed nõdum tamen satis fixa radice stabiles, perturbat ac fatigat. Aliiter proinde D. Augustinus Epistola 59 Non sunt, inquit, in ista vocatione quæ secundum propositum est, ij qui in fide quæ per dilectionem operatur, etiam si aliquantum ambulant, non perseverant vsque in finem. Et vtrique poterunt rari, ne malitia mutaret intellectum, si ad illam prædestinationem & vocationem quæ secundum propositum est, pertinerent. Ac ne quisquam præsumptior ita de oculis iudicet alienis, vt dicat: Ideo non facti sunt ex hac vita priuvsquã essent fidei desertores, quia

Luce 8.

quia in eadem vita non fideliter ambulabant, & hoc in eorum cordibus nouerat Dominus, quamuis hominibus aliter appareret: quid dicant de paruulis, qui plerique in illa ætate, Christianæ gratiæ sacramento sinuntur crescere, & nonnulli apostatæ fiunt? Sic diuus Augustinus, istorum etiã notans temerarias præsumptiones, qui de occultis sic iudicant alienis, vt negent veram fuisse fidem, veramque pietatem eorum quos postea viderint manifesto lapsu defecisse. Tanquam si Petrum dicant nunquam veraciter Christum amasse, aut nunquam vera fide illud dixisse: Tu es Christus Filius Dei viui, quia postea negando ceciderit. Dissertit aduersus hunc errorem & diuus Bernardus Epistola quadragesima secunda ad Henricum Episcopum Senonensem: quem ad locum, vitandæ prolixitatis gratia, lectorem remittendum putauimus.

CAPVT X.

Explicantur scripturæ diuinæ quidam loci, qui supra dictis aduersari posse videantur.

CVM igitur certissimum sit, in hac tanta nature fragilitate, perceptam semel quamuis magnam iustitiam & gratiæ libertatem amitti posse peccando; quæras modò quid sibi velit quod beatus Ioannes ait, eum qui natus sit ex Deo, non modò non peccare, sed ne peccare quidem posse. Et Augustini quidem Commentarius eiusmodi est, vt de omni peccato locus intelligatur: dicaturque non posse peccare is qui natus est ex Deo, ne venialiter quidem, qua parte sit ex Deo natus, & quia charitas, secundum quam natus ex Deo est, non agit perperam, nec cogitat malum. Cum enim peccat homo, nõ secundum charitatem, sed secundum cupiditatem peccat. At diuus Hieronymus peccatum intelligit mortale, quale à filijs diaboli sæpe committitur: à filijs verò Dei committi non potest, quamdiu

1. Ioanni 3.

Lib. de gratia Christi. c. 24.

esse Dei filij perseverant: ut hic sit Epistolæ sensus, diuo quidem Hieronymo interprete: Propterea, inquit, scribo vobis, filioli mei, omnem qui natus est ex Deo, non peccare, ut non peccetis: & tamdiu sciatu vos in generatione Domini permanere, quamdiu non peccaueritis. Imò qui in generatione Domini perseverant, peccare non possunt. Quæ enim communicatio luci & tenebris? Christo & belial? Quomodo dies & nox misceri non queunt, sic nec iustitia & iniquitas, peccatum & opera bona, Christus & Antichristus. Si suscipimus Christum in hospitio cordis nostri, ilico fugamus diabolum. Si peccauerimus, & per peccati ianuam ingressus fuerit diabolus, protinus Christus recedit. Hæc diuus Hieronymus. Est que nihilominus apud Augustinum & illa tertia insinuata explicandi ratio; ut dicatur non posse, quia non debeat. Nam & illud, inquit, quod dictum est, Non potest peccare; pro eo dictum esse, ac si diceretur, Non debet peccare; non improbanda mihi videtur huius assertio. Quis enim insanus dicat, debere peccari, cum ideo sit peccatum, quia non debet fieri? Hæc capite decimoquarto libri de natura & gratia. At non leuiter forsitan & illa moueant, quæ tum in Epistola ad Romanos, tum in ea quæ prior scripta est ad Corinthios, beatus Apostolus suis verbis cõsignata reliquit. Siquidem ad Romanos, certum se dicit esse, nulla vi diuelli nos posse à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. In priorè verò ad Corinthios capite decimo: Tentatio, inquit, vos non apprehendat nisi humana. vbi vetus habet transcriptio, Tentatio vos non apprehendit, id est, ut quidam annotarunt, non apprehendet, nisi humana. & adiungit: Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis: sed faciet etiã cum tentatione prouentum, ut possitis sustinere. Verum arbitror beatum Apostolum utroque loco ad electos

respe-

respexisse: quorum ad numerum & Romanos, & Corinthios, seq. ipsum pertinere iusta fiducia persuasum habebat. Hoc enim ut sentiret, tam felicia initia, bonique aded progressus postulabant. Quoniam, ut ait ipse, qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Domini nostri. Quanquam ipsum interim in Epistola ad Romanos certitudinis verbum, non nimis urgeat, ut ad fidem pertinuisse putemus illam vsque aded indiuisam in charitate Dei perseverantiam: qui non ignoremus in eadem Epistola: vocem eandem vsque pari, vbi constat eam rem de qua certum se dicit esse, minimè subiectã fuisse fidei Christianæ. Certus sum, inquit, fratres mei, & ipse de vobis, quoniã & ipsi pleni estis dilectione. Quo loco quid est, Certus sum, nisi persuasum habeo, vehementerque confido? Quocirca nec altero in loco vox illa certitudinis ita premi potest, ut nos cogat de omnibus ijs qui semel liberati sunt, nobisque ipsis, credere perseveraturos esse, neque vllis aut prosperis aut aduersis à charitate qua diligatur Deus, separandos. Est enim alia fidei, quæ propriissimè sic dicta est, certitudo; alia fiduciæ, per quam omni dubitatione remota, quæ animu huc atque illuc non sine molestia anxie fluctuationis impellit, in vno quopiam, quod sic esse putemus, libera persuasione desigimur. Neque enim idem sunt, credere fide Christianã sic esse, & sic esse vehementer tranquilleque confidere. In illo falli non possumus, quia fidei subesse falsum non potest: In hoc verò falli opinione vel expectatione sua contingit. Est enim non certæ notitiæ, sed bonæ fiduciæ quædam certitudo: de qua Apostolus ad Philippenses, capite primo (vbi Græcè vox eadem est quæ loco citato ad Romanos) Confidens hoc ipsum, quia qui cœpit in vobis opus bonu, perficiet. Neque enim fidei est, quod qui cœpit, perficiet: aut pro fidei articulo Paulus habuit, Philippenses perseveraturos esse: sed

Y 3

cx

ex bonis initijs, bonos exitus atque progressus valde sperabat. Sic igitur & ad Romanos ait: Certus sum, id est, confido, quomodo & D. Ambrosius legit, Serm. 8. in Psalm. 118. à quo nihil differt quod alij reddunt, Persuasum habeo. De qua persuasione & beatus Ioannes in Epistola dicit: Filioli, diligamus opere & veritate, & in conspectu eius suadebimus corda nostra. & Petrus: Satagite vt per bona opera certam vestram vocationem faciatis. Diuus quidem Chrysostronus homilia quinta in posteriorem ad Timotheum, ad illa Pauli verba, Christi stabile fundamentum nutare non potest, quod huiusmodi est signaculo præditum: Nouit Dominus qui sunt eius, & recedit ab iniquitate omnis qui inuocat nomen Domini. in ea igitur verba commentatur, in hunc mundum: Ostenditur ex his, inquit, eos qui peruersi sunt, antea stabiles non fuisse. Neque enim primo statim impulsu euerfi fuissent: sicut neque Adam ante mandatum stabilis fuit. Qui enim firmi in fide & fixi sunt, non modò nihil ab huiuscemodi seductoribus, violantur: verum ipsa sua constantia admirationi habentur magis. Sed hoc diui Chrysostroni nihil patrocinatur errori illi veteri, quondam quidem Ioviniani, iam verò & Caluini, quo asseritur, in his qui relabi videntur, nunquam veram fuisse fidem atque iustitiam. Aliud quippe est, non steterisse in fide & iustitia: aliud, in eadem non fuisse stabilem. Neque enim decidere à iustitia posset quisquam, nisi in ea steterisset prius. Ipse quoque Adamus, quin verà fuerit iustitia donatus beneficio creationis, nullum est dubium inter Catholicos tractatores, propterea enim non solum ad imaginem, verum etiam ad similitudinem opificis sui conditum esse diuina scriptura commemorat: vt nimirum in eo, quemadmodum D. Leo scribit, tanquam in speculo quodam, diuinæ bonitatis forma resplenderet, haberetque vitæ spiraculum, non ad hoc modò, vt vi-

Serm. 1. de Te-
stamento 10. men-
sit.

tam

tam ageret illam animale, quæ nobis est communis cum pecoribus; verum illam etiã omnino quæ digna esset natura prædita ratione, quam Dei imitatricem, & angelorum viuendo similem esse decebat. A Moyse enim, inquit Cyrillus, didicimus, spiritu ad diuinam imaginem hominem sigillatum fuisse. Et sufflauit in faciem eius, inquit, spiraculum vitæ. Simul enim & vitam creaturæ Spiritus immisit, & characterem suum, vt eum decet, impressit: & sic rationale ab artifice Deo animal constitutum, mandatum ad salutem accepit, & fuit in Paradiso, quousque gratiam Creatoris, Spiritu sancto in habitante, seruauit. Sed posteaquam diabolica fraude seductus, Dei præcepta contempsit, & spreto mandato gratiam perdidit; terram se esse, & in terram reuersurum audiuit. Hęc aliãque Cyrillus eodem spectantia: nempe vt & dignitatem creati in gratia hominis, & lapsum eius, quo illam amisit, firma persuasione teneremus. Nam quid aliud & scriptura nobis commendat, vbi scriptum est: Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis? Sed non cecidisset, si fuisset in iustitia semper fixus: & stabilis. Nam quemadmodum est à Boëtio dictum:

Qui cecidit, stabili non erat ille gradu.

Quod non ita accipiendum est, quasi qui cecidit, in nunquã antea firmus fixusque steterisset: sed quia paulo cer: è prius quam profus collaberetur, in ipso tationis impulsu, & post suggestionem admissam, quadam deliberatione peccandi, stabilis non fuisse conuincitur, qui cecidit. Stabiles autem fixique sunt, ac proinde victores euadunt, qui in ipso statim temptationis ingressu sese opponunt, nec suggestionem pestiferam admittunt in animum: neque dignam ducunt, de qua cogitent semel: sed mox eo solo nomine, quia contra Dei mandatum sit, respuunt, forasque proturbant.

Y 4

CAPIT.

CAPVT XI.

Securitate[m] liberatis propterea non esse, quod nec quales modo sint, nec quales postea futuri sint, certa cognitione habeant exploratum.

VT autem scimus & variis nos æmularum potestatum artibus extrinsecus impeti, & diuersis concupiscentiæ motibus intrinsecus ad ruinam impelli: ita quantis gratiæ viribus valeamus ad persistendum reluctandumque, satis exploratum non habemus. Sunt enim & istæ plangenda tenebræ, inquit Augustinus, in quibus me latet facultas mea quæ in me est: ut animus de viribus suis ipse se meus interrogans, non facile sibi credendum existimet: quia & quod inest, plerumque occultum est, nisi experientia manifestetur. Quod autem sic dicit Augustinus, vel præcipui discipuli exemplo probatur esse verissimum. Egregie se fortis & ad mortem pro Christo subeundam paratum Petrus credidit: & is tamen audit à Christo, Nō potes me loqui modo: Contraque Abraham fidelium pater, non tantum ubi inesse pater timoris ad obsequendum etiam arduis in rebus arbitratus, diuino sibi testimonio innotescit. Nūc cognoui, inquit, id est, te nosse feci, quia timeas Deum, quomodo & illud accipiendum quod est Deuteronomi 13. Tentat vos Dominus vester, ut sciat si diligitis eum. Quid enim est, ut sciat, nisi ut vos per illum scitis, vobisquis ipsis manifestetur quantum in eius amore profeceritis? Sic enim interpretatur Augustinus scribens in Psalmum sextum, qui de seipso quoque loquens & confitens, quanquam magnos in virtutis via progressus faceret: tamen ipse, inquit, in hac gloria sic instauror, ut de die in diem non solum quantum accedam, sed vtrum omnino aliquid accedam, latere me fatear. Ideo ergo tentat hominē Deus, quemadmodum diuinis in literis significatum est, non id agens

id agens tentando, ut aliquid de homine cognoscat quod antè nesciebat: sed ut illo tentante, id est, interrogante, quod est in homine occultum, id prodatur. Neque enim ita sibi quisquam notus est, ut creatori: neque sic æger sibi cognitus, ut medico. qui cum patitur, ab illo tamen qui non patitur, expectat ut audiat quo morbo teneatur. Eam ob rem clamat in Psalmio iustus: Ab occultis meis munda me Domine: propterea quod in homine insunt occulta quædam ipsi homini, quæ non procedunt, neque aperiuntur, neque inueniuntur, nisi aliqua tentatione proferantur. Si Deus cessat tentare, desinit docere magister. Qui enim non est expertus, ait Ecclesiasticus, pauca recognoscit: & qui tentatus non est, qualia scit? Duo genera tentationis, ait Ambrosius, excepi: & fortasse quia infirmior me Dominus nouit, adhuc in corpus meum non dedit potestatem. Etsi ipse cupiam, etsi me offeram, adhuc fortasse huic certamini imparem iudicat. De sua firmitate vir tantus nihil habebat exploratum, nihil certum: ideoque Deo qui intimè penitissimèque perspicit mortalium corda, iudicium de se committebat. Ait quoque Diuus Hieronymus: Conueniat vniquisque cor suum, & in omni vita inueniet quam rarum sit perfectè fidelem animam inueniri: ut nihil ob gloriam cupiditatem, nihil ob rumusculos hominum faciat. Quod igitur tam rarum sit, qua temeritate id sibi quisque fidelis arroget, præsertim in tanta conueniendi discutiendique sui cordis negligentia, ut securus esse ea ex parte possit? Num tibi securus Iob ex ea sui cognitione fuisse visus est, cum diceret: Verebar opera mea, sciens quia non parceres delinquenti? Ac rursum: Etiam si ut mundissimæ fulserint manus meæ, tamen sordibus intinges me? Et aliàs: Si iustificare me uolueris, os meum condemnabit me: si innocentem ostenderis, praua me comprobabit: etiam si simplex fuero,

Lib. cōfess. 10.
cap. 32.

Wido Aug hac
de re agentem
concionē 1. in
Psalm. 38. d. 1.
in Psal. 43.

Epist. 140.

Cap. 34.

Lib. 9. Epist.
Epistola 33. ad
Marcellinam
sororem suam.

In Dial. contra
Lucifer.

Cap. 9.

hoc ipsum ignorabit anima mea? Quocirca & Ioanes dicebat in epistola; Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam haberi quidem in Deum, at nondum nos securos esse oportere: quia maior sit Deus corde nostro, & norit omnia. & Propheta, Prauum est, inquit, cor hominis, & inscrutabile; & quis cognoscit illud? Ego Deus scrutans corda & renes. Ipse quoque diligentissimus animi sui explorator gentium Apostolus, ut illam ostenderet profunditatem quae lateat ipsum hominem in quo inest; Neque, ait, me ipsum iudico: nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Hoc, inquit Chrysostomus, ille dicit, qui iugiter suam ponderabat conscientiam, maximaque conscientiae luce refulgebat. Quem Apostolum imitatus martyr Ignatius, Cum decem Leopardis, inquit, hoc est, cum militari custodia, terra marique depugno. In iniurijs autem eorum magis edoceor: sed nec in hoc quidem iustificor. Ex quo refelli (quauis per se ipsum ineptus est) quorundam ille, commetarius potest, qui interpretantur dixisse Apostolum, in hoc se iustificatum non esse, quod non propterea iustus esset, neque hoc ad illius iustitiam pertineret, quod sibi nihil esset conscius. Cum enim similibus verbis hoc ipsum de se confiteri voluerit sanctus Ignatius, quod fuerat Apostolus de semetipso confessus, tum id dixisse videri debet, nihil ad sanctorum iustitiam, piam, qua exercentur erudianturque patientiam pertinere: quod nemo Catholicus dixerit. Cõstat igitur verissimum esse quod ait beatus Augustinus, etiam id quod inest, plerumque occultum esse, nisi experientia manifestetur: ut hoc pacto scire quodammodo, vehementerque persuasum habere possimus, quoniam Deus manet in nobis, ex Spiritu quem dedit nobis. Nam & sic, quod Paulus docet, testimonium reddit Spiritus inhabitans, spiritui nostro, quod simus filij Dei. Nempe, ut ignem

laten-

latentem, erumpens scintilla testatur intuentibus: sic Spiritus sanctus suae praesentiae testimonium re ipsa, si-gnoque operis a se producti, reddit: videlicet, correctione morum, obseruatione mandatorum, constantia in persecutione, victoria in tentatione, modestia in prosperis, fortitudine in aduersis, proficiendi voto, & conatu peccata declinandi, piaque sollicitudine ambulandi cum Domino Deo suo. Denique spirituali quodam gaudio, & pace tranquillitateque conscientiae, qua nomine securitatis exprimere voluit Sapiens, cum ait: *Proverb. 17.* Secura mens quasi inge conuiuium. Istiusmodi plane Spiritus fructibus, tanquam arboris interiore latentemque vitam manifestantibus, redditur nobis testimonium quod filij Dei sumus. Eiusmodi porro operis testimonium, fiduciam facere potest: certitudinem verò fidei, quam non contingat falli, generare non potest. Quanquam enim speciosum est quod se foris ostendit; quo tamen a nobis animo fiat, quam si sincera dilectione, quam recta intentione, quanta circumspeditione, perspectum haberi certa nouitia vniuersum haud queat. ac tamen si non spiritum huius mundi, sed Spiritum qui ex Deo est acceperimus, ut sciamus quae a Deo donata sint nobis, id est, interprete Augustino in Psalmum 52. ut intelligamus, nihil nos boni habere potuisse, nisi illo donante, a quo sunt omnia bona; tamen quam plenè quamque solidè illa nobis inhaereant bona, infallibili notitia non tenemus. Ita fit, ut tanquam praesentem animi nostri vultum, ut se habeat, non videamus omni ex parte. Quid igitur iam de futuro sentiamus? nam, ut scribit Augustinus, quid sit hodie, quisque homo, vix nouit ipse homo: tamen utcumque ipse quid hodie; quid autem cras, nec ipse. Itaque & illud verissimè adiunxit in Confessionibus, vtilissimeque admonuit. Nemo securus esse debet in hac vita, quae tota tectatio nominatur: ut qui fieri potuit ex deteriore melior,

*x. Rom. 3.**Ieron. 17.*

*Augustinus in
Psalm 41.
1. Corinth. 4.
Homil. 6 in
Matthaeum.
et August.
ser. 23. in no-
uiss.
In epistola ad
Romanos.*

*Epistola 140.**Roman. 8.**Proverb. 17.**1. Corinth. 4.**Epistola 140.**Ubi supra.*

melior, non fiat etiam ex meliore deterior. vna spes, vna fiducia, vna firma promissio, misericordia tua. Quod si primi ante lapsum parentes adhuc integris & probè sibi cognitis viribus, vel quia labi potuerunt non fuisse securi: non propterea quidem quod eos in tantæ felicitatis loco vlla sollicitudo, vel metus quisquã angere, sed quod de futura sua perseverantia reperirẽtur incerti: quanto nos id minus esse possumus, qui ex nostræ corruptionis imbecillitate, ad lapsum nimium propendimus? hinc magno quidam beneficio diuinæ miserationis afficiuntur, qui ingruenti tentationi, si in eam permitterentur venire, præ imbecillitate cessant, ex hac mortali vita, priusquã incidat, eripiuntur. Si quidem hoc etiam modo, gratia Dei, iustus à tentationis hora liberatur: non autem tunc solum, cum fortis efficitur ad resistendum. Quamobrem de iusto scriptum à Sapiente sic est: Placens Deo, factus est dilectus, & viuens inter peccatores translatus. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius. Fascinatio enim nugacitatis obscurat bona; & inconstantia concupiscentiæ, transuertit sensum sine malitia. Hoc ipsum & D. Ambrosius sic expressit: Exiguus momentis, mens inclinatur humana, & huc atque illuc pro versutia suadētis frequenter impellitur. Eam ob rem hortatur in Prouerbis Sapiens: Ne glorieris in crastinum, nesciens quid superuentura pariat dies. Proptereaque & alius dicit: Ante mortem ne laudes hominem quenquam. quod qualis quisque breui forsitan futurus sit, propter humanæ conditionis mutabilitatem, incertum est; eoque fit, ut non sit hic vilius quantumuis præclatæ vitæ securo laudatio. Et quid aliud Poëta quoque secularis cecinit, dum sic scribit?

Ultima semper

Expectanda dies homini est: diciq; beatus

ante obitum nemo supremamq; funera debet.

Fortissi-

Fortissimos legimus viros in confessione Christi & fide vsque ad carceres & vincula perstitisse: & paulo post errore Nouatiano fascinatos, ab Ecclesia recessisse, quæ ipsos ad confessionis gloriam armauerat. Quos Cyprianus alloquens, Postquam, inquit, vos de carcere prodeuntes, schismaticus & hereticus error excepit, sic res erat, quasi vestra gloria in carcere remansisset. Illic enim resedisse vestri nominis dignitas videbatur, quando milites Christi, non ad Ecclesiam de carcere redirẽt, in quem prius cum Ecclesiæ laude & gratulatione venissent. Quod si in tales ac tantos viros cadere potuit ea, quam Apostolus prædixit, quorundam à fide discessio: quis tandem erit qui vel de perpetua fidei integritate non temere gloriatur? quis cum qui vera femel fide aut iustitia sit imbutus, cadere posse non stultissimè neget? Quantalibet igitur quis excellentia sanctitatis emineat, ait diuus Prosper, quatalibet eminentia perfectionis excellat; potest quidem fieri pro modulo huius vitæ perfectus, sed non est sic de sua perfectione securus, ut non debeat esse de casu sollicitus. Et utique vbi est sollicitudo, non est absoluta beatitudo: quæ nequaquam perfecta credenda est, si securo non fuerit: nec securo erit, nisi omnem solitudinem securitas æterna consumpserit. Hæc diuus Prosper. Tenebat enim quod scriptum est apud Ecclesiasten: Sunt

Epist. 3. linc

Lib. 1. de vita contempl. ca. 9. Vide & Gregor. lib. 20. Moralium.

Capit. 9.

iusi & sapientes, & opera eorum in manu Dei; & tamen nescit homo vtrū amore an odio dignus sit. Nemo enim de sua prædestinatione, fide securus est, per quam ei non perseverandi metus adimatur. Firmum quidem Dei fundamentum stat (inquit Apostolus) Nouit Dominus qui sunt sui: sed ad quos fundamentum hoc diuinæ & incommutabilis electionis pertineat, nulla est à nobis certa notitia comprehensum. Si enim hoc de vilo mortalium sciri potuisset, de se profectò id imprimis scire debuisset Apostolus, qui tamen dicit, quod aliquo-

Sapient. 4.

Libro 4. in Lucam.

Cap. 27.

Ecclesiast. 11. Augustinus in Psalm. 99.

aliquoties repetimus: Ne fortè cùm aliis prædicauero, ipse reprobos efficiar. In quo ergo homine securitas? de quo certum gaudiū? Nec de seipso vtique, quanto minus de alio? Aut enim mali sunt, inquit Augustinus, & necesse est eos pati; sed sperare, quia mutari possunt: aut boni sunt, & sic oportet eos diligere, vt timeamus; quia mutari possunt, ne mali sint. Ibi malitia eorū facit amaritudinem animæ, hinc sollicitudo & timor, ne labatur qui bene ambulat. hæc in Psal. 85. Itaque præter fiduciam tantisper quidem dum mortalem vitam agimus, neque de nostra, neque de aliena salute, quicquam posse videmur animis concipere, de qua Ioannes: Fiduciam (inquit) habemus in die iudicij, quia scit ille est, & nos sumus. Et Paulus: Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Domini sine crimine. Sic enim pius quisque per ea quæ sibi vtunque sentit Dei munere præstita, discit sperare promissa: & Dei sui (quemadmodum quidam Sanctorū ait) præteritam, præsentemque bonitatem, quasi futurorum tenet cautionem. Ideoque & ad Hebræos Paulus ait: Habentes fiduciã in introitu sanctorū, in sanguine Christi, quam initiauit viam nouam & viuente, &c. vnde ne fortè in eo quod bene cœptum est, nõ perseveretur: ideoque nec introeatur ad vitam, quod viam Christus nobis morte sua patefecit, timoris admonet in eadem Epistola, cùm ait: Christus tanquam filius in domo sua, quæ domus sumus nos, si fiduciam & gloriam spei vsque in finem firmam retineamus. Rursumque in eodem capite: Participes Christi effecti sumus, si tamen initium aliquod substantiæ eius, hoc est, fidem, vsque in finem firmã retineamus. Capite verò consequenti, vt eum in superioribus timendi causas intelligeres posuisset; Timeamus ergo (ait) nõ fortè relicta pollicitatione introeūdi in requiem eius, existimetur aliquis ex nobis deesse. Est & Ioannis

Apostoli

Apostoli adhortatio consimilis: Videte vosmetipsos, ne perdatis quod operati estis, sed vt mercedem plenam accipiatis. Idcirco etiam magnorum virorum & cauendas tempestates, & stenda naufragia legimus, vt Apostolica illa sententia vbique tremenda sit, qua ait: Qui videtur stare, videat ne cadat. Quapropter nemo (vt Diui Leonis vtar verbis) tanta hinc est securitate suffultus, vt de stabilitate sua debeat esse securus. Neque hoc profectò mirandum est; cùm alia debeat esse certantium, alia eorum qui victores euasere, conditio. Ad illos enim pertinet, vt sint pro adipiscenda corona solliciti: ad hos verò, vt sint de parta victoria coronaque securi. Illorum est, in loco certaminis cum omni armorum genere stare paratos ad pugnam: istorum, in regione pacis cum palmis & coronis pacatos acquiescere. Illorū est, de futuro cursu & certaminis euentu trepidare anxios: istorum, de cōsummato cursu, & acceptis præmiis intrepidè solideque gaudere. Denique illorum est, inter hostium cuneos parturire, & intra se ingemiscere, diuinumque iugiter auxilium implorare ne cadant: horum verò, pro impertita sibi redemptione, cum lætitia & iubilo gratias agere, & non nisi sanctum timorem in sæculum sæculi permanentem habere: qui nihil aliud est, quàm eximia quædam diuinæ maiestatis reuerentia cum securo & constanti omnium earum rerum abominatione, quæ illi summæ reuerentiæ quoquo modo repugnent. Ait sanè Diuus Augustinus: Nulla re fruitur anima cum libertate, nisi qua fruitur cum securitate. sed idem adiungit: Nemo autè securus est in iis bonis quæ potest inuitus amittere. Veritatē autem & sapientiã nemo amittit inuitus. Vnde colligitur hoc quidē, istius generis bona, quadã in hac vita securitate possideri: hactenus videlicet, quia metus nõ sit ne eripiantur inuitis: quomodo nemo de diuitiis, dignitatibus, vita ipsa securus est. Sed quamuis

Gregorius
Emissenus
Hom. de Asc.
Capite 10.
Hebr. 3.

Epistola 20

Lib. 2. de libe-
ro arbitrio
cap. 14.

quamuis securitas hæc fit ab aliena violentia vel fraude, qua possit inuito iustitiæ bonum vel surripi vel extorqueri: tamen nõ est de seipsa secunda voluntas, quòd bona quæ possidet, perseveranti sit amoris complexu retentura. Licet enim sancti de suæ perseverantiæ præmio certi sint, ait beatus Augustinus; de ipsa tamen perseverantia sua reperiuntur incerti. Quis enim hominum se in actione profectuque iustitiæ perseveraturum usque in finem sciat, nisi ab illo aliqua revelatione fiat certus, qui de hac re iusto latentique iudicio non omnes instruit, sed neminem fallit? Propterea autem noluit Dominus nos in hac vita securos esse, quòd in tanta infirmitate naturæ, superbiam posset generare securitas. Hæc ille: Quonia igitur admonetur pius quisque & iustus tenere quod habet, ne coronam eius alius accipiat, ipse excidat: hoc omnino satagendum est, quod Petrus ait, ut per bona opera certam nostram electionem & vocationem faciamus: id est, hoc bene sancteque viuendo agamus, ut optimè confidamus, ad numerum nos electorum pertinere. Nam & cum Timotheo scriberet Apostolus, certum se dicit, quòd in illo, sicut in auia eius Loide, & matre eius Eunice, habitaret fides non ficta. Et quid tamen de aliena conscientia, præter optimam fiduciam, habere potuit tantus etiam Apostolus? Procul sit igitur à Christianis cordibus tam perniciofa, & contra scripturas diuinas temerè præsumpta securitas: semperque nos meminerimus sic Christi beneficio de potestate tenebrarum erutos, ut possimus tamen, heu, facili nimium lapsu, in veteris seruitutis vilitatem degeneri conuersatione relabi: non propria solùm infirmitate per vitiorum prona trahente, verum etiam hostibus nostris ad perdendum iugiter intentis, atque indefessa cura vigilantibus. Non enim querit diabolus infideles, non eos qui foris sunt (inquit Hieronymus)

Lib. 11. de ciuit. cap. 12.

Apo. 3.

2. Petri 1.

2. Timoth. 1.

In Epistola ad Eusebium.

nymus) & quorum carnes Rex Assyrius in olla succendit: de Ecclesia Christi rapere festinat. Escæ eius, secundum Abacuc, electæ sunt.

CAPVT XII.

Diabolus semel fugatum & victum, postea nihilominus ad tentandum accedere.

FALLI enim videntur qui Diabolus semel de suo conatu depulsus & victus, non ulterius ad eundem aliumve tentandum, putant accedere, non nouam oppugnationem instaurare. Hæc Origeni sententia placuit, qui etiam minui sensim spirituum malignorum castra credidit, plurimosque velut interitum; dum victi diuina virtute, vincerentur, ijs ut regredi fas non esset amplius. Ad cuius assertionis probationem pertinere censebat, quod ait beatus Apostolus: Deus autem pacis, conterat Satanam sub pedibus vestris velociter. Si enim vnus, inquit, est Satanas, quomodo ipse potest contritus esse sub pedibus seruatorum Dei, & iterum operari? Si enim contritus est, & aded contritus; operari ultra non potest. Sic Origenes. Quod sanè quale sit, vel ex ipso primùm capite Christo Domino licet intueri. Victus enim semel à Christo, & secundam & tertiam in solitudine tentatione instruit.

Rom. 16.

In cap. 11. In su. Noue, Homil. 13.

Atque alius super atque alius assultibus instat,

Tercio, nouos semper cepti irritus integrat astus.

Et consummata (inquit Lucas) tentione, reliquit eum usque ad tempus. Non ergo nunquam rediturus recessit; sed ad tempus, inquit, videlicet in passione bellum moturus nouum. Deinde scriptum est: Cum spiritus immundus exierit ab homine, circuit per loca arida & inaquosa quærens requiem: & non inueniens, dicit: Reuertar in domum meam priorem. Quod ne putares de corporibus accipiendum esse, quæ nefandorum spirituum subinde grauibus subiiciuntur iniuriis; ad

Matth. 12.

Z

ipsam

ipsam animorum perniciem atque exitium pertinere, Christus ipse consequentibus verbis insinuat, cum ait: Sic erit generationi huic pessimæ. Nec videmus tamen Iudæorum præ cæteris genus corporum agitationes à dæmonibus perpeti, sed longè grauiorè in animi cæcitate vitiumq; variis dominatù. vbi illud cernitur esse verissimum quod tanto antè prædictum est: Obscurentur oculi eorum ne videant; & dorsum eorum semper incurua. Quòd si eiecti semel, rursus ad inhabitandum iidem reuertuntur, cur nõ prælio superati, frustra prius susceptam repetant oppugnationem? Non igitur victi semel atq; repulsi dæmones conuiescunt, sed grauiora moliantur, subtilioresq; struunt insidias. Cuius rei nobis exemplum in sancto Propheta Iob propositum est, quem Sathan, cum neque oppressione liberorum, neque amissione facultatum, de priore vitæ innocentia deiecisset, mali grauioris duriore tentatione concussit, vt vel tum subuerteret, in quem nihil priore impetu perfererat. Et vide semel, licet victus, quam tamen sibi facile victoriam polliceatur. Pellem (inquit) pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima sua. Alio qui mitte manum tuam, & tange os eius & carnes, & tunc videbis quòd in faciem benedicat tibi, hoc est, maledicat. Mecum ipse (ait Chrysostomus) mirari soleo, quare in mentem diabolo venerit, exercitationes istius non ignorant, tortantosq; aduersus ipsum cogitasse labores. Cur igitur illi in mentem venit? Truculentissima (inquit) bestia nunquam solet desperare victoriã. Superbus igitur spiritus, vinci se ferens æger, rimè, vbi primum successit parum, mox alia aggreditur via; &, vel ad eosdem redit, vel, nisi diuinitus coërcetur, ad alios se conuertit infestior. Quod ipsum & in Apocalypsi est demonstratum. Iratus enim (ait Ioannes) Draco in mulierem, abiit facere prælium cum reliquis de semine eius, qui custodiunt mandata Dei.

Itaque

Itaque diuus Cyprianus quosdam cupiens admonitos, ne eos constantia confessionis extolleret, sed eo se generet submissius, quo fortius fecisse videretur; Quia, inquit, is exaltabitur qui se humiliauerit; nunc est, vt magis insidiantem aduersarium metuant, qui fortior rem quemque magis aggreditur, & acrior factus, hoc ipso quia victus est, superantem superate conatur. Ea sanè de causa beatus Antonius, quamquã frequentes de Sathana triumphos reuexisset; nec securus tamen fuit, nec feriandum sibi à prælio existimauit, sed eo diligentius prouidentiusq; aduersus grauiores se munivit insultus: quantoque fortior ille euadebat, tanto erant in eum dæmonum impetus acriores. Ac plures quidem temporum progressu credidisse manifestum est; & post martyrum victorias, longè lateque per orbem terrarum Ecclesiam diffusam esse in confessio est: non quòd hostes (vti falsò quidam autumant) numero pauciores minus possent: sed quia fortior Christus, qui nos eripuit de potestate tenebrarum, cuius gratiæ virtus multo est efficacior ad rebelles atque aduersos hominum animos ad se conuertendos, quàm sit hostium nostrorum vis ad eosdem in sua incredulitate obfirmandos. Nõ enim abbreviata & paruula facta est manus Domini, vt non possit redimere; aut non est in eo virtus ad saluandum. Apud quem denique tantum valuit martyrum sanguis, vt tanquam mandatis terræ feminibus, quo ille copiosius funderetur, hoc vberius feliciusque populi Christiani seges exurgeret. Dicit etiam Iacobus Apostolus: Resistite diabolo, & fugiet à vobis. sed qui superatus fugit crucis virtute perterritus, cuius vim in sanctis experitur; tamen superbam animositatem non deponit: sed quemadmodum à Christo, sic & ab illius membris ad tempus vsque discedit, Et si enim inuidere non desinat, tamen assidue instare formidat (ait diuus Ambrosius) qui refugit frequentius triumphum.

Lib. 3. Epistolarum 10.

I. Sale 502

Cap. 43

Lib. 4. in Ench.

Iob 2.

Homil. 34. in Matth. 10.

Cap. 12.

356 DE CHRISTIANA LIBERTATE
triumphari. Tamen si diuus Augustinus talem illius loci sensum insinuet: Fugiet, quia non præualebit sibi resistentibus, qui solos vincere non resistentes potest. ad hoc autem petitur adiutorium Dei, cum dicitur, Ne nos inducas in tentationem. Quod verò mouit Originem ex capite decimosexto Epistolæ ad Romanos, tale profectò non est, vt eius potuerit sententiam robore; propterea quòd conteri verissimè intelligatur, cum dominari nõ finitur, sicut promissum est illis Domini ad serpentem verbis: Semen illius conteret caput tuum. quia nimirum eius per Christum euersum imperium est, vt credentibus non amplius dominetur. Sed insidiabitur interim calcaneo eius, eas videlicet nostri partes explorans, quibus adhuc terræ adherescimus; vt illac, si qua arte possit, mortiferum virus infundat. Plena autem eius contritio, nõ vno virtutis opere, sed tota in finem vsque sancta cõuersatione peragitur. post quem finem mouere se aduersus Sanctos non poterit vllò tentandi conatu. Hic interim si nos erigimur (inquit Leo) illi corruunt; si nos conualescimus, illi infirmantur. Remedia nostra, plagæ ipsorum sunt: quia curatione nostrorum vulnerum vulnerantur. Hæc enim inter nos atque illos diabolicæ inuidiæ inueterata dissensio est, vt quia illi ab ijs bonis exciderunt, ad quæ nos, Deo auxiliante, prouehimur; nostris iustificationibus torqueantur. Denique quasi libet habeas inimicitias aduersus hominem (inquit Augustinus in Psalmum septuagesimum sextum) cogitas finire; siue illius satisfactione, si ille te læsit; siue tua, si tu læsisti; siue, vtriusque, si vos inuicem læsistis; laboras satisfacere & concordare. Cum diabolo autem & angelis eius nulla concordia est. Ipsi nobis inuident regnum cælorum. Mitescere omnino erga nos non possunt: quia anticipauerunt vigilias omnes inimici mei. Plus illi vigilauerunt ad decipiendum me, quam

ego

ego ad custodiendum me. Quomodo enim non anticipauerunt vigilias, qui vbique mulcipulas posuerunt? Sic ille.

CAPVT XIII.

Contra diaboli infestationes fide nos semper muniri oportere.

BENE proinde Sapiens hortatus est: Fili accedens ad seruitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem. Vir enim Dei sapientia plenus (inquit Leo) sciens studium religionis laborem habere certaminis, cum præuideret pugne periculum, antè admonuit pugnaturum: ne fortè si ad ignorantem tentator accederet, imparatum citius vulneraret. Aduersarius enim vetus est, & hostis antiquus. Sex milia annorum (ait Cyprianus) penè complentur, ex quo hominem diabolus impugnat. Omnia iam genera tentandi, & artes atque insidias deijcendi vsu ipso vetustatis edidicit. Si imparatum inuenerit Christi militem, si rudem, si non sollicitum ac toto corde vigilantem; circumuenit nescium, fallit incautum, decipit imperitum. Si verò quis dominica præcepta custodiens, & fortiter Christo adhærens, contra eum steterit: vincatur necesse est, quia Christus, quem confitetur, inuictus est. Sic ille. Quibus autem armis munitis esse nos & instructos oporteret, beatus Apostolus ostendit, cum Ephesios hortaretur eiusmodi verbis: De cetero, fratres, confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius. Induite vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli. quoniã nõ est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, aduersus mundi rectores, tenebrarum harum, contra spiritualia nequitie in cælestibus, propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. stete ergo succincti lumbos

Ecclesiast. 2.

Serm. 1. de
Quadr.

Lib. de ex-
hort. mort.

cap. 6.

Z 3

vestros

vestros in veritate, & induti lorica[m] iustitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis, in omnibus sumeres scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: & galeam salutis assumite, & gladium Spiritus, quod est verbum Dei. Idcirco & apud Isaiam Christus Dominus (in quo membra quoque ipsius intelligenda sunt) indutus describitur iustitia vt lorica, & galea salutis in capite eius; & indutus vestimentis vltionis, atque opertus quasi pallio zeli. Iustitia quidem quæ virtutes complectitur omnes, ex quibus tanquam confertis & coherentibus inter sese annulis, ad muniendum animæ pectus, firmissima lorica contextitur. Vltionis verò vestimēta, quid nisi iram aduersus peccatum, eiusque delendi studium significant? Quid pallium zeli declarat, nisi totam Christi vitam & dicta factaq; hoc præ se tulisse, quod aduersus iniquitates pio zelo inardesceret? Vt autem beatus Paulus, scutum fidei in omnibus sumere iubet; ita princeps Apostolici ordinis Petrus ait: Cui resistite fortes in fide, & Ioannes: Hæc est victoria quæ vincit mundum, fides nostra. Nec verò de nihilo est, quod in hac causa sedulo adeo fides commendetur. Primum enim demonstrat illa nobis parandam victoriæ rationem, dum eum ostendit, cuius ope solius & gratia vincimus, si ad illum ex hac ipsa confugerimus. Omnis enim qui inuocauerit nomē Domini, saluus erit. Filioli (inquit beatus Ioannes) ex Deo estis, & vicistis eum; scilicet Antichristum; quoniam maior est qui in vobis est, quam qui in mundo. Ob hanc nimirum causam fidei assignat Ioannes, quam de diabolo & mundo victoriam reportamus. Quis est, inquit, qui vincit mundum, nisi qui credit; quoniam Iesus est filius Dei? Nemo enim suis viribus fortis est; sed per eum solum vincimus, qui dicit: Confidite, ego vici mundum. Quem cum demonstrat & inuocat fides, fit vt de ea quoque verè dicatur: Hæc est

victoria

victoria quæ vincit mundum, fides nostra: vt incorruptam videlicet fidei infirmitatem non blanditiæ decipiant, non minæ terreant, non cruciatus ac tormenta deiciant: quia maior est qui præest in nobis, quam qui in hoc mundo est. Neque enim sic est Christus, in quem creditur, vt seruos suos tantum spectet: sed & ipse luctatur in nobis, ipse congreditur, ipse in certamine agonis nostri & coronat pariter & coronatur: & qui pro nobis mortem semel vicit, semper vincit in nobis. Deinde quantum ad victoriam conferat fides, ex aliis quoque eius partibus potest intelligi. Qui enim verè hoc credit, gressus nostros obseruare Deum, videre etiã abditissimas cogitationes & animorū motus; omninoq; quod Moises faciebat, inuisibile Deum tanquam visibile sustinet: hic ea fide, si illam excoluerit, potentissime peccato repugnabit. Rursus, qui paratas sibi gehennæ pœnas fide firma & vigente concipiat, non quid is in animam inducere possit, vt diaboli suggestionibus acquiescat? Denique & in aduersis ne succumbat, animum fides erigit atque inuictum reddit. Ex quo illa Augustini ad horratio est: Noli timere quādo tribularis, ne quasi non sit tecum Deus: fides sit tecum, & Deus tecum est in tribulatione. Fluctus sunt maris, turbaris in nauigio, quia dormit Christus. Dormiebat in naui Christus, perierat homines. Si fides tua dormit in corde tuo, tanquam in naui tua dormit Christus: quia Christus per fidem in te habitat, cum turbari cœperis, excita Christum dormientem: id est, erige fidem tuam, & noueris quia te non deserit; sed ideo te putas deseri, quia non quando vis, eripit. Hæc diuus Augustinus, quæ pertinent eò, vt intelligamus nostram, cum in prosperis, tum in aduersis, de peccato & diabolo victoriam à fide pendere. vt eplm infidelitatis erroribus ceu freno quodam homines regit diabolus ad suum arbitrium; ideoque nihil sic agit, quàm vt homines non credant; præcipue in

Z 4

media-

Cap. 59.

x. Petri, ca. 5.
x. Ioan. cap. 5.

Rom. 10.

x. Ioan. 4.

x. Ioan. 4.

Hebr. 11.

In Psal. 90.
ad versic. Cbamauit ad mo.
er ego exaudiam eum. &
in Psal. 34.
conuisione 1.

mediatorem, à quo soluuntur opera eius, ita fide fugatur ac repellitur pròptissimè. Id quod nouo Testamento futurum per Christi gratiam, sic Propheta prædixerat: Spiritus eius velut torrens inundans vsque ad medium colli ad perdendas gentes in nihilum, & frenum erroris quod erat in maxillis populorum. Domini enim Spiritu fideles efficimur, vt per fidè deinceps à Domino gubernemur, diabolo resistamus. Et sicuti nõ modò semel iustitia, fide cõparatur, verumetiam per singula iustitiæ officia, totamque conuersationem viuatur ex fide: ita non semel duntaxat vincendi facultatem fide acquiri, sed in omni omnino certamine fidem vincere, existimandum est. Fides homini, ne præsumat, ostèdit propriam imbecillitatem; & simul Christi paratù auxilium, vt confidat. Fides militem Christi, firma præcepti cognitione instruit, ne fallatur; peccati verò turpitudinem ac perniciem demonstrat, vt fugiat. Fides cunctanti coronam præparatã ostendit, vt animet; supplicium impendens suggerit, vt cohibeat. Hostis denique versutias fides aperit, vt vigilemus atque oremus, ne intremus in tentationem. Et quanquam omni virtuti, contratio vitio resistitur: tamen & præeat fides, & certamen moderetur ac dirigat, necesse est: meritoque clypeo cõparatur; quia cùm cætera armatura fixa maneat circa membra quæque sua, quibus muniendis destinata est, clypeus in omnem partem versatur & circumagitur, ad totius corporis protectionem. Sic planè omni virtuti adesse debet fides, qua ceu clypeo illa muniatur, & tela nequissimi ignea repellantur. Vnde existit illa fidei tam magnifica commèdatio, qua ab Apostolo dicitur, sanctos per fidem vicisse regna, operatos iustitiã, adeptos repromissiones, obturasse ora leonum, extinxisse imperiũ ignis, effugasse aciem gladij, conualuisse de infirmitate, fortes factos in bello, castra vertisse exterorum. Verum ne langueat hæc mortuoq.

corpori

Hebr. 30.

Hebr. 11.

corpori similis efficiatur, id videndum est Christianò. Exercitata & vigena ac viua fides, magnum aduersus omnia tela diaboli præsidium est. hæc vbi adest, in ipso elucet virtutis opere: sin mortua est fides, tamen quãtum ad ipsius propriam rationem & naturam attinet, animo insit: quæ tamen illa esse censeatur, cùm ex ea non viuatur? vt audiri meritò illud possit, quod Apostolicis verbis expressum est: Ostende mihi fidè tuam *Luci 11.* sine operibus, & ego ex operibus ostendã tibi fidè meã. Talem esse multorum fidem, ad eum modum beatus Cyprianus deplorabat: Sic in nobis (inquit) emarcuit vigor fidei, sic credentium robur elanguit: & ideo Dominus tempora nostra respiciens, in Euãgelio suo dicit: Filius hominis cùm venerit, putas inueniet fidem in terra? Videmus fieri quod ille prædixit. In Dei timore, in lege iustitiæ, in dilectione, in opere fides nulla est: nemo futurorũ metum cogitat, diem Domini, & iram Dei, & incredulis ventura supplicia, & statuta perfidis æterna tormèta nemo cõsiderat: quod metuere nostra conscientia, si crederet: quia non credit, omnino nec metuit. si autè crederet, & caueret; si caueret, euaderet.

In fine libri de simplicitate Prælatorum.

CAPVT XIII.

Valde conducere ad repugnandum pœna timorem, quo nos hæresis exarmare conatur.

QUIBUS verbis diuus Cyprianus, etiam timor ipse ex fide conceptus quantum valeat, declarauit. Et ille quidem timor, quo diuinorum iudiciorum seueritas, & proposita delinquentibus pœna formidatur. Namque Deus quantum est pietate Patris indulgens, tantum est iudicis seueritate metuendus. Atque vt ad ignoscendum est facilis, ita est præceptorum suorum exactor, & quidem diligens: & sicut ad conuiuia vocat, sic habitum nuptiarum non habentem, ligatis manibus & pedibus extra sanctorum cœtum foras exturbat.

Z 5

turbat: Parauit cælum; sed parauit & tartarum: parauit refrigeria, parauit & æterna supplicia: parauit inaccessibilem lucem; sed parauit etiam perpetuæ noctis vastam æternamque caliginem. Eam ob rem misericordiam & iudicium, fide plena regius Propheta Domino decantabat. Cuius consideratione iudicij, sæpe perhorrescere, si ad iustitiam; & quæ nondum sit, comparandam; & quæ iam comparata sit, frustra diabolo tentante retinendam, nihil cõduceret: non hunc nobis diuina scriptura, toties eius utilitate proposita, commendaret. Nolite (ait Dominus) timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed eum timete, qui potest corpus & animam mittere in gehennam. Ille quippe hominum timor in corpora fauentium, sæpenumero ad peccatum impellit, dum prauis hominũ volutatibus ac inijs acquiescitur, ut illorũ iracunditasque vitetur. Hic verò diuinę seueritatis timor, & peccatũ expellit, & cum peccato diabolũ: cum sanctissimæ Dei voluntati cogit parere, vt æterna, quę malis irrogaturus est, supplicia fugiatur. Quem cum nobis saluberrimum sciret esse nostrarum medicum animatum, iterum adiungit & inculcat: Amen dico vobis, hunc timete. Insitum esse, atque animis nostris insidere, timorem hunc voluit, vt eo extimulati, bellũ indicamus nostris cupiditatibus, easque vincere, gratia Dei opem ferente, nitamur. An forte vt seuerus delictorum vindex timeri non vult Deus, quemadmodum ait quidam, sed tantummodo vt benignus pater: & augustus? atqui timeri vult vt is, qui corpus & animam mittat in gehennam: quod non vt benignus pater, sed vt seuerus proculdubio insusque iudex facit. Vtrumque etiam requirit Deus, qui per Prophetam dixit: Filius honorat patrem, & seruus dominũ suum. Si ergo pater ego sum, vbi est honor meus? & si Dominus ego sum, vbi est timor meus? Est igitur hic meus necessarius, non ad ingrediendam

Matth. 10.

Malach. 1.

grediendam solũ in iustitię viam (quod alio loco docendum est) sed plerisque etiam ad retinendam. quorum bona quidem illa, sed tamen infirma voluntas, iudiciorum Dei contemplatione excitanda & firmanda est; ne peccati inescata voluptate, citò ab itinere salutari deflectat, & ab hoste semper insidiante, captiuam se & illaqueatam abduci patiatur. Hunc proinde Cyprianus timorem, innocentie custodem vocat: vt quod in mentes nostras (inquit) indulgentiæ cælestis allapsu, elomenter Dominus influxit, in animi oblectantis hospitio iusta operatione teneatur; ne accepta securitas, negligentiam pariat, & vetus denuo hostis obrepit. Nam cum bonæ voluntate homines quidam à malefactis, abstinereant, eaque sint parati omittere, ab iisdem virgẽ metu, ne tormenta peccantes excipiant, maiore cura, sibi temperant. Ita plerique vtroque pariter agẽte, & amore & timore, illo ducente, isto extimulante, suum quisque officium faciunt. Atque hac ratione verè sibi consulunt, qui Deum non solũ misericordem, sed etiam iustum iudicem cogitãt: apud quem causam gestæ huius vite, atque ab illo sibi muneris iniuncti, quisque dicturus est: vbi omnis homo recipit, sicut testatur Apostolus, quæ per corpus gessit, siue bonum siue malum. Ita denique verè sibi cõsulunt, qui ex fide venientes, & satagentes ne ab extremo preoccupentur die, extremum computant omnem diem: ne videlicet eis iudex tanquam fur in nocte veniat, & eorum partẽ cum hypocritis ponat. Non immeritò proinde accipi etiam de hoc timore potest, quod à Sapiente dictum est: Nisi in timore Dei constanter tenueris te, citò subuertetur domus tua. Est enim & hic Dei timor, basis quædam, unde imbecilla voluntas standi accipit firmitatem. Hinc eiusdem & illa semper animo voluenda sententiã est: Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Cum enim caro concupiscit aduersus spiritum, & spi-

Lib. 2. Epistolarum, Epistola 2.

Eccles. 7.

ritus

ritus aduersus carnem: præsidio crucis Christi mens rationalis instruitur, nec cupiditatu' noxijs illecta cõsentit: quoniam cõtinentiæ clauis & Dei timore transfiguratur, inquit beatissimus Leo. Quamobrem & ipse Propheta Dauid, quãquam iam erat & corde mundo, & spiritu recto præditus, tamen hũc sibi timorem inesse, eoq̃ue ceu clauis quibusdam carnes suas configi petebat: vt vagandi libertatem cupiditas cruci affixa non haberet: ac dum animo eius assiduè diuinorum iudiciorum seueritas obuersaretur, efficacius m̃tem à peccandi reuocaret illecebris. qui quàm solitus sit hac se meditatione exercere, illa eius declarat oratio: *Quis nouit potestatem iræ tuæ, & præ timore iram tuam dinumerare? Ideoq̃ue & per Isaiam prædictum erat fore, vt super Christum requiesceret spiritus timoris Domini: non quod in Christo inesse posset huius generis timor: sed quod (vt eum quidem locum est diuus Hieronymus interpretatus) membris eius permultis esset necessarius, in quibus nondum foret ea charitatis perfectio, quæ timorem istiusmodi omnem foras expelleret. Proinde sanctus Basilius iam stantes ac iustos, ne ab ipso proficiendi studio, sollicitante carnis cõcupiscentia, retrorsum raperentur, eiusmodi oratione hortatur ad timorem: Cũ te appetitus inuaserit peccandi, velim cogites horribile illud & intolerabile Christi tribunal: in quo præsidebit iudex in alto & excelso throno: astabit autè omnis creatura ad gloriosum illius conspectũ contremiscens. Et cũ multa horriffica proposuisset; Hæc (inquit) time, & hoc timore instructus, animam à peccatorum concupiscentia, tanquam freno quodam, reprime. Hunc timorem Domini Propheta se docturum promisit. Docere autem non simpliciter promisit; sed eos qui eum audire voluerint: non eos qui longius prolapsi sint; sed qui salutem appetentes accurrunt: non alienos à promissionibus, sed ex baptisinate filiorum adoptionis*

Psalm. 89.

Cap. 11.

In Psalm. 33.

adoptionis verbo ipsi conciliatos atque coniunctos. Propterea venite, inquit; hoc est, per bona opera accedite ad me, filij: quippe qui regeneratione filij lucis effici digni facti estis. Audite qui aures cordis habetis apertas, timorem Domini docebo vos: illum scilicet, quem paulo antè oratione nostra descripsimus. Hactenus D. Basilius. Quid igitur & à diuo Chrysofomo suaderi potuit vtilius, quàm vt hunc timorẽ nunquam ex animo poneremus? Hoc (inquit) solum est, quod exposcitur à nobis, vt semper recordemur, & ad animum reuocemus mala nostra, & conscientiam gestorum nostrorum habeamus ante oculos, vt pro his supplicemus Deo: vt gehennam ponamus in conspectibus nostris, & angelos qui in die iudicij vbique discurrent, & congregant de omni orbe terrarũ eos qui trudendi sunt in gehennam, ac supplicijs tradendi. Hæc aliaq̃ue complura eodem spectantia diuus Chrysofomus. Ex quibus illa dijudicari possunt, quæ reperiuntur apud eundem auctorem, cũ tractat illud Euangelij, vbi interrogat Dominus, quodnam sit magnum in Lege mandatum. Illic quippe vituperans eos qui metu seruiunt, Timere, inquit, seruorum est, diligere filiorum: timor sub necessitate, dilectio in libertate. Qui timore seruit Deo, pœnam quidem euadit; mercedem autem iustitię non habet. Ac continuò p̃st: Non vult ergo Deus (inquit) vt timeatur ab hominibus quasi Dominus, sed vt diligatur quasi Pater, qui adoptionis Spiritũ donauit hominibus. Quo loco non id agitur, vt diuinæ iustitię omnis abiiciatur metus, sed ne eo solo dominante atq̃ occupante animum, in seruitute maneat; ad libertatem filiorum Dei nunquam transeat. Quemadmodum & apud Augustinum, cũ tractat Apostoli verbum illud ex capite sexto ad Romanos; Humanũ dico, propter infirmitatem carnis vestrę: sicut enim exhibuistis mēbra vestra deseruire immunditię & iniquitati ad in-

Libro de corruptione cordis.

ad iniustitiam: sic nunc exhibete membra vestra deseruire iustitiæ in sanctificationem. Hoc ergo tractans & explanas breuiter epistola 144 quæ est ad Anastasium, Quid est (inquit) sicut illud, ita & hoc? nisi, quemadmodum ad peccandum nullus vos cogebat timor, sed ipsius libido voluprasque peccati; sic ad iuste viuendum, non vos supplicij metus vrgeat, sed ducat delectatio charitasque iustitiæ? Vbi supplicij metu vrgeri proculdubio intelligit eum qui nullo adhuc amore iustitiæ ducitur, sed solo cogitur atque impellitur terrore supplicij. Alioqui & iustis vtilem ac necessarium esse supplicij metum, sed iis quorum adulta, vt loquitur citato loco, nondum perfecta iustitia est; cum variis Augustini constat testimoniis, tum ex breui quodam eius Sermone, qui scriptus inuenitur De timore Dei: in quo scriptum sic est: Quapropter (inquit) timeat Christianus, antequam perfecta charitas foras mittat timorem. credat & intelligat se peregrinari à Deo, quandiu viuunt in corpore, quod corrumpitur, & aggrauat animam. Tanto minor sit timor, quanto patria quod tendimus propior. Maior enim timor debet esse peregrinatum, minor propinquantium, nullus peruenientium. sic & timor perducit ad charitatem, & perfecta charitas foras mittit timorem. Timeat autem Christianus, nō eos qui corpus occidunt, & postea non habent quid faciāt; sed eum qui habet potestatem, & corpus & animam in gehēnam ignis occidere. Sic Augustinus. Et ideo si qui Christianè viuere neglexerint, nō modò ij præmiorū laudibus erigendi erunt; verumeriam verberandi terroribus, & tanquam aculeis quibusdam excitandi: vt egressus suos in via Domini, ipso duce atque adiutore, dirigant: ac circa viam hanc latrociniātis diaboli & insidias prudenter deprehendant, & insultus generosè perferant. Satisque iam pro huius quidem loci ratione probatum sit, ne tentatori quilibet peccati cōmuniōne

& con-

& confensione iungatur, magnum afferre adiuētum, si horrendam cum eo in pænis societatem & saepe cogitarit, & ferid timuerit. Qui enim desertores Dei, fecerant diaboli voluntatem, hos necesse est cum ipso simul inextinguibili igne torqueri.

CAPVT XV.

Aduersarium Christiano non esse timendum, sed omnem deuotionem ac metum nostrum, ad Deum debere conuersi.

OMNIS proinde metus noster atque deuotio, ad eum conuerti solum debet, cuius iudiciam nec ille potest effugere, qui se superba dominatione ab hominibus coli & timeri letatur: vsque adeo sanè, vt etsi aduersus nos castra eius consistant, non debeat tamen formidare cor nostrum. Quia enim (inquit Augustinus) nemo potest auferre nobis quod dat Deus, nō timeamus nisi Deum: quicquid aliud fremuerit; quicquid aliud superbierit aduersum nos, non timeat cor nostrū. Idcirco & sanctus Martialis in epistola ad Burdegalenses, Solum, inquit, Deum timentes, eum qui infidelibus dominatur Sathanam, nolite timere: nihil enim gregi Christi poterit nocere, quem fortem videt in fide eius. Illi ergo nihil omnino aduersum nos licet, nisi potestas tribuatur diuinitus. Potestas verò aduersum nos datur ei dupliciter: vel ad pœnam, cum delinquimus; vel ad gloriam, cum probamur, sicut de lob factum videmus, manifestante Deo, & dicente: Ecce quæcunque habet, in manus tuas do; sed ipsam cauere tangas. Et Dominus in Euangelio loquitur tēpore passionis: Nullam haberes aduersum me potestatem, nisi data tibi esset desuper, ac rursus: Hęc est hora vestra ac potestas tenebrarum. Magnus ille quidem & potēs est aduersarius & callidus, sed de quo tamen scriptum sit: Draco iste quem formasti ad illudēdum ei. Tum enim ei à sanctis illuditur, cum opem ferente Christo, qui

caput

In fine eorum qui edis sunt separati, opera Ioannis Vltimij.

Vide Prosperi libro de vita con. epl. cap. 16. & 11

In Psal. 10.

In Am. 10.

caput eius crucis ligno confregit, omnis illius ad nos evertendos conatus efficitur irritus: ac de ipsius malevolentia consulitur Ecclesiæ Dei, ut nō modò eius tentationibus non lædatur, verum etiam cautior humiliorque reddita, magis magisque roboretur. Vnde & ille Corinthius, quamvis Satana tradendus erat, id eo tamen exitu futurum pollicebatur beatus Apostolus, ut spiritus saluus fieret in die Domini. Cuius occasione loci beatus Ambrosius, Magna, inquit, potestas, magnaque gratia, quæ imperat diabolo ut se ipse destruat. Se enim destruit, cum hominem, quem supplātare studet, tentando, ex infirmo fortiolem efficit: quia dum carnem debilitat, mentem eius corroborat. Ægrotudo enim carnis, peccatum repellit: luxuria autem carnis, culpam adolet. Illuditur ergo diabolus, ut ipso mortis suæ vulnere contra se armet, quem debilitandum putavit. Sed & sanctum Iob magis armavit postea quam vulneravit: qui totum corpus diris perfusum vlceribus, diaboli quidem morsum pertulit, sed venena non sensit. Et ideo bene ei dictum est: Adduces Draconem in hamo, ludes eum sicut avem, ligabis eum sicut passerē, puer imponet super eum manum. Vides quemadmodum à Paulo illudatur, ut in cavernam eius, puer ille propheticus manum mittat, & nihil serpens noceat ei? de latebris eruat eum, de veneno eius faciat spiritale antidotum? ut quod venenum est, medicamentum fiat: venenum ad interitum carnis, medicamentum sit ad salutem spiritus? Hæc diuus Ambrosius. Quamvis igitur aduersarius ille noster, & fortis armatus & potens subinde vocetur, magis id tamen ex nostra imbecillitate, quam illius viribus æstimandum est. Fortis enim est, quia tenet inualidos: & quia homines infirmi facti sunt, sequentes vanitatem, sit ut faciliè in eos præualeat dux & princeps vanitatis. Quid ergo timendum est Christiano? In aquis sit sanè Draco ille, in mari qua

tradu-

traducendum nauigium est, pirata grassetur; sic est tamen fictus ut illudatur ei: id est, hic ad eum locum ordinatus est; in hisque sedibus propterea est deputatus. Quod si magnum aliquid putes esse has sedes, tu qui non nosti sedes angelorum, vnde lapsus est; miraris sedes mortuorum, ad quas deiectus est? Quæ tibi videtur eius gloriatio, damnatio est. Similitudinem accipe breuiter, quia reuera magnum est hoc nosse & intelligere. Domum magnam aliquā puta totam istā administrationem creaturæ. Ea seruos habet varios, eorumque in numero nobiliores quosdā, ac sublimiores in apparatibus melioribus vestium, thesaurorum, horreorū, magnarumque possessionum: alios verò vel mediocribus, vel in firmis addictos ministeriis, ita ut nec ij desint qui ad cloacas repurgandas subseruiant. A summis autem vsque ad extrema ista & infima ministeria, quis gradus enumeret? Si quispiam ergo magnus offendat, & in pœnam, domini sui, verbi gratia, fiat ostiarius in extremo aliquo loco, sic exercens datam sibi potestatem, ut volentes intrare vel exire perturbet: illi autem nesciant eum fuisse aliquando magnum in familia domini administratorem; hi magnam illius esse potestatem arbiuantur, quia quid perdiderit, nesciunt. Et tamen ostiarius ille potest aliquid facere nesciente domino suo, & turbare aliquem illo non iubente. Iste autem, ad cuius damnationē commostrandā, magnæ illius terrenæ domus similitudinem adhibuimus, nec ad ipsam ianuam positus est, qua intramus ad Deum. Christus enim est illa ianua, & per Christū intramus in regnum cælorum. Sed est quædam ianua, qua intratur in hoc sæculum. Ianua (inquam) mortalitatis, circa ista infirmæ carnis detrimenta & supplementa. ad hanc ianuam quasi quidam ostiarius est, potestatem habens in isto mari, quò naues commeant, sed non tantam, ut faciat aliquid nesciente vel nolente domino suo. Ne fortè

a
quisquamlib. 1. de Pe-
nitentiis, c. 11.

lib 40.

quisquam dixerit mericulosius: Esto, perdidit ille quidem magnam potestatem superiorum apparatus: sed ego in his infimis dego, hic me queat habere in potestate; ideoque opus est ut seruiam illi. Noli falli, nouit te Dominus tuus, & sic te nouit, ut & capillos tuos habeat numeratos. Quid ergo times? tentaturus est ille fortasse carnem tuam? flagellum est Domini tui, non potestas tentatoris tui. vult nocere saluti que promittitur, sed non permittitur: ut autem non permittatur, habeat caput Christum.

CAPVT XVI.

Spem Christiani pugnantis ex manibus crucifixi pendere debere.

IN hoc igitur capite omnis collocanda spes nobis, atque ad eius in omni conflictu confugiendum auxilium est: sub huius alis & protectione victoriam sperare licebit, quemadmodum scriptum est: Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis eius sperabis. Scuto circumdabit te veritas eius, non timebis à timore nocturno. A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurso & dæmonio meridiano. Breuiter demonstrat pericula quæ nos circumuallant, siue ex prosperis aduersisque rebus, siue per ignorantiam, & clara etiam illustrique scientia, per cupiditatis astitum: ut diffusi nobis, à potentiore quæramus auxilium. Si enim in nobis ipsis spem victoriæ constituerimus, succumbamus necesse est. Quia maledictus (inquit Propheta) qui spem ponit in homine, & firmat carnem brachij sui, & à Domino discedit cor eius. Quo loco nomine carnis intelligenda est humana fragilitas: ut is firmare censeatur carnem brachij sui, qui potentiam fragilem atque inuolidam, hoc est, humanam, sibi sufficere ad vincendum putat, nec adiutorium sperat à Domino. In hac carne qui ædificium iustitiæ, velut in arena,

conatur

conatur exstruere, cognosce ex Euāgelio, quam habeat aduersus diaboli machinamenta firmitatem. Venerunt (ait) flumina, & flauerunt venti, & facta est ruina domus illius magna. Apostolus autem cum ædificare super petram maluisset, gratias agit Deo, qui dat nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum: ut victoria qua peccatum vincitur, nihil aliud esse videatur, quam Dei donum per mediatorem Christum, quo in ipso certamine liberum arbitrium conualescit. Sic itaque nos benignissimus Deus in libertatem asseruit, ut deinceps tamen in omni certamine, suo nos ab auxilio pendere vellet, crucemque spectare. Quod esse faciendum cum fidelissimus gratiæ prædicator Apostolus pulchrè perspiceret, Mihi (inquit) absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Gloriari ergo de re quapiam, non nephas omni modo esse duxit, quid autem est, quod gloriandi causam præbeat iustiore, quam de diabolo & peccato parta victoria? sed ne hoc ipsum cuiquam nisi Christo tribueretur, & in alio aliquo de hac ipsa victoria gloriaremur, hic se principem ac ducem præbuit Apostolus: vehementer hoc sui exemplo commendans, ut alienum vellemus à nobis esse, gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi; per quem prorsus, ut illi erat, ita nobis crucifixus est mundus, nosque mundo. Non ergo in nobis nostraque industria, sed in Christo atque eius cruce spes victoriæ ponenda est, quæ si aliò respexerit, breui labascet ac concidet, euentu frustrata felici. Ea res & in populo Iudæico adumbrata reperitur, in quo omnis nostra figurata actio est. Cum enim Amalech, & omnis cum suo duce gens aduersa occurreret, bellum rudi plebi indicens, quam à se credebat facile superadam, confertaque pugna aduersarij plurimum prævalerent, extendens Moyses manus ad Deum, Crucifixi instar expressit, Quo signo

signo cadentes hostes, dum manus Moyſi inclinarentur, fortiter vincebant: vt autem ipſius manus ſtabiles fierent, Aaron & Hur ſuſtentabant. quibus iſto modo quadam ſtabilitate firmatis, cadens fugiensque Amelch omnis exſtinctus eſt. Hic ergo ſi reſpiciamus, vt debemus, noſtri mediatoris ſignum, cum per Dauid canentem recordemur; Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſperinum; cuius in paſſione Sol & Luna habitum curſumque mutauit: quis ſpiritus aduerſarius, quæve inimica poteſtas, huic ſigno queat obuiare, ac non potiùs debilitata metu auſugiat; ſi tamen ſpes pugnantis pendeat ex manibus crucifixi, per quem quotidie eruiſimur de poteſtate tenebrarum: Sin ad noſipſos relabimur, crucemque deſerimus, vincamur neceſſe eſt, & viribus idoneis, & firmo ſatis præſidio deſtituti. Breuiter hoc myſterium diuus Auguſtinus aperuit lib. 12. contra Fauſtum capite 30. Ducitur (inquit) populus per deſertum, baptizati omnes, nondum perfruentes promiſſa patria: ſed quod non vident ſperando, & per patientiam exſpectando, tanquam in deſerto ſunt: & illic laborioſæ & periculoſæ tentationes, ne corde reuertantur, in Ægyptum, nec ibi tamen Chriſtus deſerit; nam & illa columna non recedit, & amaræ aquæ ligno dulceſcunt; quoniam inimici populi, ſigno crucis Chriſti honorificato, manueſcunt: & duodecim fontes, & ſeptuaginta palmæ arbores irrigantes, Apoſtolicam gratiam præfigurant, populos in ſeptenario numero decuplato rigantem: vt per ſeptiforme Spiritus donum, Legis decalogus impleatur: & hoſtis intercludere molitus viam, extenſis Moyſi manibus, ſigno crucis Dominicæ ſuperatur, & morſus mortiferi ſerpentis exaltato & reſpecto æneo ſerpente, ſanantur. quod verbis ipſis Domini declaratur, quibus ait: Sicut exaltauit Moyſes ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis. Hæc Auguſtinus: Nemo proinde ſic exiſtetur à peccati domina-

Dan. 3.

dominatione liberatus, vt iam non indigeat ſui liberatoris auxilio: ſed ita potiùs vt ab illo audiens; Sine me nihil poteſtis facere: dicat ei & ipſe; Adiutor meus eſto, ne derelinquas me. Namque liberatus erat Propheta Dauid, magnaque iuſtitia & virtute donatus: ſed cum hinc exultaret, parumque perpenderet, non ſolum vt iuſtus ac liber fieret, verumetiam vt liber iuſtusque maneret, diuine miſerationis opem adhærere ſibi ſemper oportere, dixit in abundantia cordis ſui, propriæ videlicet præſumptionis virtutis, inſolenter elatus: Non mouebo in æternum. Putauerat enim ſuum fuiſſe bonum, quod ei ſic abundauerat, vt non moueretur; verum vt oſtenderetur cuius eſſet id bonum, de quo tanquam ſuo cœperat gloriari, paululum gratia Dei deſerente, admonitus dicit: Domine in voluntate tua præſtitisti decori meo virtutem: auertisti faciem tuam à me, & factus ſum conturbatus. facile vt hinc appareat neceſſarium eſſe homini, vt gratia Dei non ſolum iuſtificetur: verumetiã cum iam fuerit ex fide iuſtificatus, ambulet cum illo gratia, & in eam incumbat ipſe, ne cadat, vt gratulabundus, & de euitata ruina lætus dicere cum Propheta poſſit: Impulſus euerſus ſum vt caderem, & Dominus ſuſcepit me: fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. Vox exultationis & ſalutis in tabernaculis iuſtorum. Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltauit me. Ipſe enim eſt, quemadmodum alius Propheta ſcripſit, qui dat laſſis virtutem, & robur multiplicat: deficient pueri, & laborabunt, & iuuenes in infirmitate cadent. Qui autem ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut Aquilæ; current, & non laborabunt; ambulabunt, & non deficient.

Iohanni 13.

Ambro. lib. 30
in Lucam.

Iſai 40.

83

CAPVZ

Vbi ſeruitur, reſeruitur, per 14. 15. 16. 17.

*Quàm sit necessarium homini iusto orandi studium,
ex dictis colligitur.*

HÆC igitur cùm ita se habeant, facillè iam quibus intelligat, quàm esse debeat homini Christiano familiare orandi studium; in quo aduersus diabolum præsidia nobis omnia sita sunt. Neque enim segnis & oriosa fides victrix vnquam futura est, sed ea quæ humilis, quæ perseuerans, quæ firma & constans, quæ per dilectionem operans, ardentè implorat auxiliatorem Deum. Si enim sine eius adiutorio, humana succumbit infirmitas: quanta nobis necessitas indicta est, vt hoc frequenti precatione ambiamus? Ac nonnulla quidem misericordi benignitate largitur Deus, nec petentibus nec desiderantibus nobis: velut incredulis fidem, duris & inpœnitentibus, cordis contritionem, ipsum quæ spiritum deprecandi. Sed quos iacentes semel erexit, captiuosq. liberauit, nisi in oratione vigilantes, non suis communit præsidijs. Nec enim vigilare fat est, cùm & habere superbia suas possit excubias: sed oratione opus est, quemadmodum habet Domini præceptum: *Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.* Quo fit vt hoc remisso & languente orandi studio, facillè rursus captiuam prauis desiderijs animam, humanæ prædo salutis abducatur. Neque verò accidere homini periculosior tentatio potest, quàm si orare nō delectet. Etenim cùm in propinquo vigilet hostis, quonam modo non ab illo protinus rapiatur inermis repertus, & ipso orâdi fastidio deuotioni præparatus? Quod periculū cùm impendere homini iusto Propheta prospexisset, orando nos docuit, quid timere, & quid sæpe orate deberemus. Domine Deus meus (inquit) in te speraui, saluum me fac ex omnibus persequētibus me, & libera me: nequādo rapiat, vt leo, animam meam, dum non est qui redimat,

Math. 26.

Psal. 7.

dimat, neque qui saluum faciat. Hoc etiam perfecta anima dicit, Cui solius diaboli (inquit Augustinus) *In Psal. 7.* fraudulentæ insidiæ cauendæ sunt: hoc illa (inquā) anima dicit, quæ postea dicere aude: Domine Deus meus, si feci istud, si est iniquitas in manibus meis; si reddidi retribuētibus mihi mala. quippe hoc illorum est, quibus præcipitur: Estote perfecti, sicut pater vester cælestis perfectus est, qui facit Solem suum oriri super bonos & malos, & super iustos pluit & iniustos. Cur ergo tam studiosè atque sollicitè perfecta iam anima precatur, vt adhuc salua fiat? Nequando rapiat (inquit) vt leo, animam meam, dum non est qui redimat, neque qui saluum faciat: id est, ne rapiat, dum tu non redimis, neque saluum facis. Si enim Deus non redimat, neque saluum faciat, ille, nemine obistente, rapit. vnde & alio loco quò sit confugiendum ostendens, Eripe me (inquit) de inimicis meis Domine, ad te confugi; doce me facere voluntatem tuā, quia Deus meus es tu. Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. & alijs: Domine deduc me in iustitia tua propter inimicos meos, dirige in conspectu tuo viam meā. & iterum: Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiā in morte; nequando dicat inimicus meus, præualui aduersus eum. Idcirco & quotidiana, & omnibus psallendi horis frequens Ecclesiæ precatio est: Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina. Quæ quidem & illius piētissimi ac vigilantissimi Prophetæ esse solebat oratio. Vti & illa in eodem Psalmo: Ego verò egenus & pauper sum, Deus adiuua me: Adiutor meus & liberator meus es tu, Domine ne moreris. Quamquam enim gratiā Dei iustificatus erat, tamen naturæ imbecillitatem, vitiumque inueteratum, & diaboli circum circa frementis conatus agnoscēs, seque in ijs quæ propria sunt, ante suos oculos constituens, egenum se & pauperem, atque adiutricem Dei manu egere, confitetur:

Psal. 142.

Psal. 5.

Psal. 12.

Psal. 34. 39. 69.

Psal. 39. 69.

teur: & vsque adeo id quidem, vt nec differri patiatur auxiliū, nullas videlicet de hoste suo sperans indutias. Domine, inquit, ne moreris. Ideoq. sic oratio exercitatus esse debet fidelis, vt simulatq. aliqua tētatione pulsatur, promptissimè possit ad eum recurrere, cui dicitur: Benedictus Dominus Deus, qui docet manus meas ad prœlium, & digitos meos ad bellum. Alioqui quemadmodum ciuitas (ait Chrysostomus) quæ muris cincta non est, facile venit in potestatem hostium, propterea quòd profus absit id quo fuerat hostium incurfus arcendus: sic & animam non munitam precibus, diabolus facilè in suam redigit ditionem, nec multo negotio omni genere scelerum implet. Nam ad animam quidem precibus munitam, non audet propius accedere, metuens robur ac fortitudinem, quam illi deprecatio subministrat: magis vegetas animum, quam cibus vegetat corpora. Et rursus in eadem oratione: Si quis dicat, inquit, animæ neruos esse deprecationem, mea quidem sententia videbitur verum dicere. nimirum, quemadmodum corpus neruis coheret, currit, stat, viuit, & compactum est; adè, vt si neruos incideris, vniuersam corporis harmoniam dissolueris; itidem animæ per sanctas preces sibi constant & compinguntur, ac pietatis cursum facilè peragunt. Est igitur oratio in maximis vitæ periculis salutis causa, libertatis conseruatric, vitæ & immortalitatis conciliatrix, animæ robur, Ecclesiæ murus, qui rumpi non possit, munimentum inconcussum; dæmonibus quidem formidabile, pijs verò omnibus & necessarium omnino & salutiferum.

CAPVT XVIII.

Quantum præsidij sit in Ecclesia Christi, aduersus spiritualium nequitarum incurfus.

QUEMADMODUM autem potest quis beneficiam omni genere armorū instructus, ab hoste capi,

capi, si sese à reliquis seiuuerit, solusque repertus sit; ita nis quæ dicta sunt, potest quispiā minus ad resistendum valere, si Ecclesiæ societatem reliquerit. Neque enim de nihilo scriptum est à Propheta: Vrbs fortitudinis nostræ Sion. Saluator ponetur in ea murus & antemurale. Quæ enim illa Sion, nisi Ecclesia est? quam sicut ædificauit, ita eius omne præsidij, firmamentum, munitioque, vnus est Saluator, Christus Dominus. ipse est & muri & antemuralis loco. In hac igitur munitissima ciuitate, custodit nos Dominus præsidij firmamentis, si ad id fuerit frequenti & humili preceatione inuitatus. Tum fit illud quod alius propheta dicit: Ecce non dormitabit neque dormiet qui custodit Israël. Dominus custodite, Dominus protectio tua super manum dexteram tuam: per diem Sol non vret te, neq. Luna per noctem. Hinc & illa apud Isaiam de beneficio Christi, quo suos in Ecclesia protegit, scripta leguntur: Et creabit Dominus super omnem locum montis Sion, & vbi inuocatus est, nubem per diem, & fimum & splendorem ignis flammantis in nocte. Super omnem enim gloriam protectio; & tabernaculum erit in vmbra culum diei ab æstu, & in securitatem & absconsonem à turbine & à pluuia. Tabernaculum hoc Ecclesia est, quæ vmbra nobis illam præbet, de qua alibi ex persona fidelium: Spiritus oris nostri, Christus Dominus, captus est in peccatis nostris: cui diximus, In vmbra tua viuemus in gentibus. Nobis enim (inquit Ambrosius) expandit manus suas Iesus, vt rotum mundum obumbraret. Quomodo non sumus in vmbra, qui Crucis eius protegimur vefamento? quomodo non sumus in vmbra, quos Crucifixus à malignitate sæculi & corporis ardore defendit? Hoc verissimè fieri dicit Ambrosius per Christum, cuius protectione obumbramur. sed in Ecclesiæ tabernaculo: quod propterea vmbra culum ab æstu, nominari à Propheta cognoscimus.

Isaia 26.

Psalm. 120.

Isaia 4.

Lamentationum Ieremias, cap. 4. Lib. 7. in Luc.

Pfabm. 139. mus. Ibi ergo fit quod aliàs Propheta gratulabundus commemorat: Obumbrasti super caput meum in die belli. Præfens enim vita, quæ tota tentatio est, dies est belli, quia vel foris vel intus nunquam deest aduersitas, cui repugnari debeat. Laborans igitur Christi miles in hoc bello, rectè sibi obumbratione petit gratiæ Dei, ne æstu laborum debilitatus arefcat. Idcirco adiungit: Ne tradas me à desiderio meo peccatori: ut eum propterea in die belli intelligeremus obumbratum esse, ne vreretur æstu desiderij: à quo qui vincitur, is traditur peccatori, & aduersæ potestati subiicitur. Cohærent enim istæ seruitures, sicuti & libertas vna cum altera coniuncta est. De quibus quoniam satis est dictum, nihil superest, nisi ut ea quæ libertatem impedire videri possint, libellis aliquot sequentibus discutiantur.

DE CHRISTIANA LIBERTATE

LIBER OCTAVVS.

PROOEMIUM.



Nihil ferè promptius homini nõ satis erudito, venire in mētem solet, quàm ut cùm libertatis nomē audierit, cõcipiat eam ab omni solutam obedientiæ vinculo. Neq. enim libertatē residere putat illic posse, vbi adhuc constringat parendi necessitas; alienaque homini lege, non ipsius arbitratu viuendum sit. Vnde illa est Hecubæ apud Euripidē deploratio,

*Vt nemo quisquam liber est mortalium! aut
Fortuna seruum reddit aut pecunia,*

Aut

*Aut scripta lex, aut multitudo civium
Vetat (sub)opte viuere ex arbitrio.*

Eã ob rē, cùm superioribus libris exposuerimus, quanam sit à peccato & à diabolo libertas: cõsequentibus demonstradum erit, nõ sic eam accipiendã, vt Legum resoluta vincula, sed planè cum obediendi necessitate cõsistat. Idq. primùm de diuinis Legibus docebimus: tũ ordine ad eas quę vulgo humanę dicuntur, veniemus.

CAPVT I.

Rectè ne libertatem definierint, qui eam esse dixerunt, viuere vt velis.

DICTVM est ab eruditissimis viris (ait in Paradoxis Marcus Tullius) Nisi sapiētem, liberum esse neminem. Quid est enim libertas, nisi potestas viuendi vt velis? Sic ille quidem eo loco. Sed quoniam quisquis beatus est, hũc liberum esse necesse est: si rectè beatum dixeris, qui secundum suam viuat voluntatem: eo quoque modo, liberum posse definiri, confitebor. Attēde igitur, vtrã acquiescendũ sit eis, qui dicunt eum beatum esse, qui secundum suam viuunt voluntatem. Quid si enim nequiter velit viuere? nonne tanto inferior esse coniungitur, quanto facilius mala eius voluntas impletur? Meritò hanc sententiam, etiam ipsi qui sine Dei cultu philosophati sunt, respuerunt. In quibus ipse quoque est vir eloquentissimus Cicero, qui sic ait: Ecce autem alij non Philosophi quidem, sed prompti tamen ad disputandum, omnes aiunt esse beatos, qui viuunt vt ipsi velint. Falsum id quidem. Velle enim quod non deceat, id ipsum miserrimum; nec tam miserum est non adipisci quod velis, quàm adipisci velle quod nõ oporteat. Quod si (vt ille confessus est) possit nõ esse beatus, qui viuat vt velit, si multa malè & nequiter velit: profectò & infelicissimæ potest seruitutis vinculis teneri is qui viuat pro suo quidè arbitratu, sed libidinē incitantem, non

tem, non ducem rationem viuendo sequatur. quod ille volebat populus; eoque non effreni solum auiditate, verumetiam indomabili cupiditate rapiebatur; cui impropertur per Prophetam: A sæculo cõfregisti iugum meum: dirupisti vincula mea; & dixisti, non seruiam. In omni enim colle sublimi, & sub omni ligno frondoso, tu prosternebaris meretrix. Vtilissimam isti iucundissimamque sub vnus Dei Legibus subiectionem, vt seruilem miseramque conditionem, refugiebant: solamque hanc censebant libertatem, si vitiiis dominantibus seruirent, ac tanquam vltro prostituti, mortiferis eorum vinculis alligarentur. Certè vt cunq̃ue animo corrupto grata, vt cunq̃ue aliis splendida libertas videatur: vera tamen & funesta seruitus est, libidini potius parere quàm virtuti. quod illi nõ ignorasse videtur, qui stultos omnes, seruos esse dixerunt. Non enim ita dicunt eos esse seruos, ait Cicero, vt mancipia quæ sunt dominorum facta nexu, aut aliquo iure ciuili: sed si seruitus sit, sicut est, obedientia fracti animi vel abiecti, & arbitrio carentis suo: quis neget omnes leues, omnes cupidos, omnes denique improbos esse seruos? An ille mihi liber videtur, cui mulier imperat? cui leges imponit? præscribit? iubet? verat quod videtur? qui nihil imperanti negare potest, nec recusare audet? Si poscit, dandum est; si vocat, veniendum est, si eiicit, abeundum; si minatur, extimescendum. Ego verò istum non modò seruum, sed nequissimum seruum, etiamsi in amplissima familia natus sit, appellandum puto. Sic ille. Non igitur quisquis viuut vt vult, sed qui ita affectus est, nihil vt malè velit, is liber & beatus existimandus est. Quod diuus Ambrosius scriptum reliquit his verbis, in libro posteriore de Iacob & vita beata: Qui omnia prudenter agit, & ita viuut vt vult, is solus est liber. Non enim conditio fortuita seruum facit, sed probrosa insipientia. Ideoque & Iureconsulti ita finierunt libertatem, vt

tem, vt eam esse dicerent naturalem facultatem eius quod cuique facere liber, nisi quod vi & iure prohibetur. Quidam autem in eo statuere libertatem, si quisquam secundum mentem, hoc est, superiorem sui viuat partem. Quod ne tum quidem satis cõsideratè dictum videri deberet, si esset mens incorrupta & recta. Non enim secundum seipsam mens etiam recta viuere debet: sed secundum Deum, qui mente lögè superior est. Cùm autem quæritur, secundum quid homo viuere debeat, non solum ea vita intelligenda est, quam ratione corporis cum bestiis habet communem: sed ipsa imprimis vita ex qua homo propriè est, quæ mentis iudicio & consiliis agitur. Quam ob rem cùm dicitur, viuere hominem debere secundum mentem, non aliud dici videbitur, quàm viuere eum secundum seipsum oportere. Tolerabilius autem diceretur homini secundum rationem esse viuendum, quia neque ratio est propriè, nisi recta est, cùm possit mens esse non recta: & in tantum ipsa recta ratio est, in quantum diuinæ Legi conformis exstiterit. Ita fit vt viuere secundum rationem, nihil aliud sit, quàm secundum Dei voluntatem & Legem viuere.

CAPVT II.

Vera libertatis cognitionem non esse à Philosophis repetendam.

SED quid ego ea quæ de libertate Philosophi scripsere, commemoro? Etsi enim hoc præclare statuerunt, solos sapientes esse liberos: non tamen idonei fuerunt, qui veram nobis libertatem demonstrarent: propterea quòd, qui verè sapientes essent, ignorarent. Quemadmodum non absurdè, inquit Augustinus, definita virtus est ab his, qui dixerunt: Virtus est animi habitus, naturæ modo, atque rationi cõsentaneus. Verum dixerunt; sed quid sit consentaneum liberandæ ac beatifi-

Lib. 4. contra Iul. cap. 3.

beatificandæ naturæ mortalium, nescierunt. Qui nescirent igitur quid esset naturæ nostræ liberandæ consentaneum, iis non fuit integræ facultas de vera libertate iudicandi. Cùm enim illum ignorantia caligine circumfusi, non tenerent cui adliærere bonũ est; à quo qui se alienant, pereunt, qui fornicantur, perduntur; quæ vera sapientia colit, cui vera virtus seruit: auditores suos, falsa veræ libertatis pollicitatione delusos, in præcipua seruitutis parte reliquerunt. Si enim de vna patientiæ virtute dixit Cyprianus; Hæc se sectari Philosophi quoque proficere, sed tam illic patientia falsa est, quam & falsa sapientia est: Quanto nos id ipsum de libertate iure potiore dicemus, eam veram esse non posse, vbi sit falsa sapientia? Libertas enim vera, omnium virtutum præsidio constat: nec virtutes illi omnes habere potuerunt, quibus regina & moderatrix defuit sapientia. Sapientia autem, vera pietas est. Pietas verò cultus est Dei. Quid igitur illi, qui ad voluptatem omnia vitæ officia retulerunt? Nonne tibi fœdissimi fuisse videntur serui, quicquid tandem de temperantiæ, reliquarumque virtutis officijs præciperent? Nam qui ita disputent, temperantem quidem & iustum & fortem & prudentem hominem esse oportere; sed hoc totum eam ob causam, ne, si parum illis virtutibus paruerit, vna careat voluptate: non modò se hoc studio cultuque virtutum, non vindicant in libertatem; verum etiam ipsas honestissimas per se pulcherrimasque virtutes, in turpissimam conspiciunt seruitutem. Idcirco Epicureos Stoici traducere soliti feruntur tabella quadam: in qua media Voluptas, seu Regina quadam depicta inerat, cui virtutes omnes virgineo habitu circumfusæ, varia ministeria exhiberent. Quæ sanè pictura vt illorum sententiam apertissimè ponebat ob oculos, ita rei summam indignitatem planissimè ostendebat. At Stoici fortasse ipsi, liberas habuere virtutes: hoc illi quidè efficere conati sunt,

In Sermonibus
Patientia.

August. lib. 5
de Ciuitate Dei,
cap. 20.

sunt, magnificeque verbis præ se tulerunt. quorum ex ore quidam locutus: Nos, inquit, virtutem semper liberam volumus, semper inuictam: quæ nisi ita est, sublata virtus est. Sed quæ potest virtutis libertas esse in eo, qui sibi putet semetipsum sufficere, omniaque ad bene beatæque viuendum necessaria, perniciosissimo errore in se posita esse ducat? Neque enim libera virtus esse potest, nisi ei seruiat à quo tributa est: neque humana mens vera potest libertate frui, si non secundum Deum, à quo facta est, sed secundum seipsam viuat. Idcirco diuus Augustinus, & hos Philosophos secundum carnem vixisse dicit: eo quòd secundum animam carnalem viuerent; quæ nisi Deo subiecta sit, eiusque gloriam quærat, spiritualis esse non potest. Sicut enim caro debet secundum animam viuere, ex qua vitam habet: sic anima viuere debet secundum Deum; ex quo ipsa viuat. Quid igitur (ait Augustinus) aliud dicendum est eis, qui, cum sint iniqui & impij, liberaliter sibi videntur eruditi, nisi quod in literis verè liberalibus legimus: Si vos Filius liberauerit, tunc verè liberi eritis? Per eum namque præstatur, vt ipsæ etiam quæ liberales disciplinæ ab eis qui in libertatem vocati non sunt, appellantur, quid in se habeant liberale, noscatur. Neque enim habent congruum libertati, nisi quod habent congruum veritati. Vnde & ille ipse Filius: Et veritas, inquit, liberabit vos. Non ergo illæ innumerabiles & impiæ fabulæ, quibus vanorum plena sunt carmina Poëtarum, villo modo nostræ consonant libertati: non Oratorum inflata & expolita mendacia, non denique ipsorum Philosophorum garrulæ argutiæ: qui vel Deum profus non cognouerunt, vel cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euauerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum; & dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt: & immutauerunt gloriam incorrupti

Cicero in
Tuscul.

August. Ser-
mone 13. de
verbis Apost.

Epist. 132. ad
Memorium
Epi scopum

Ioannis 2.

Dei,

Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum atque quadrupedum & serpentium: vel qui istis simulacris non dediti, aut non nimis dediti, coluerunt tamen & seruiuerunt creaturæ potius quam Creatori. Absit omnino ut istorum vanitates & infantię mendaces, ventosæ nugæ, ac superbus error, rectè liberales literæ nomenentur, hominum scilicet infelicium, qui Dei gratiam per Iesum Christum Dominum nostrum, qua sola liberamur de corpore mortis huius, non cognouerunt, nec in eis ipsis quæ vera sunt, senserunt. Hæc diuus Augustinus. Versatus est & Seneca prolixè in eodem argumento, ut istas artes quæ vulgò liberales vocantur, non esse liberales ostenderet: post multa concludens: Solæ, inquit, liberales sunt, imò, ut dicam veriùs, liberę; quibus curę virtus est. verùm his ipsis artibus, quibus curæ virtus erat, quomodo tum à Philosophis tradebantur, quantum defuerit, quamque nec illæ dignę fuerint hoc nomine libertatis, ex iis quę produximus ex Augustino, in promptu est perspicere.

CAPVT III.

Etatis nostra hereticos in constituenda libertate Christiana, turpissimè lapsos esse.

PORRO cùm dicat Apostolus; Quæ sursum est Hierusalem, libera est, quę est mater nostra: nisi qui matris huius filij sunt, nulli esse liberi possunt. Illa sterilis aliquando & paucorum mater filiorum, multitudine interim seruatorum abundante ancilla: postea gratia Spiritus effusa cœlitis, fecundissima esse mater cepit. cui propterea per Prophetam dicitur: Lætare sterilis quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis: quia multi filij desertæ magis, quam eius quæ habet virum. Ad hæc pertinent, qui in Ecclesia Christiana contemptis terrenis omnibus, supernorum & æternorum bonorum desiderio tenentur: & quemadmodum Apostolus

Stolus ait, quæ sursum sunt, sapiunt & quærunt, non quæ super terram. Idcirco enim illa sursum esse dicitur, cùm adhuc peregrinetur in terris, quòd quadam eleuatione cordis versetur in cælis. Sed existunt hodie multi, qui matris huius filios se esse mentientes, libertatem falsam ac perniciosam hominibus vendunt: cùm sint ipsi, ut Petrus ait, serui corruptionis. Quò non tandem progressura perditorum audacia videatur? Quid erit aliquando, quod humanæ cæcitati satis absurdum esse possit? Etenim excepta Sabbathi obseruatione carnali, quæ spiritalem sanctificationem quiescentemque significat; quis negare audeat Decalogum, qui duabus illis tabulis continetur, pertinere ad Christianos? Quis dicat obseruare hos non debere; ut vni Deo religionis obsequio seruiatur: ut idolum non colatur: ut nomen Domini non accipiatur in vanum: ut parentes honorentur: ne adulteria, homicidia, furta, falsæ testimonia perpetrentur? ne vxor, ne omnino res vllæ concupiscatur aliena? Quis est tam impius qui dicat, ideo se ista Legis non custodire præcepta, quia est ipse Christianus, nec sub Lege, sed sub gratia constitutus? Et hac tamen tempestate dicere quidam haud reformidant, eum qui sit iustificatus, liberum esse ab obseruatione diuinorum etiam mandatorum, quos anathemate merito profectò eam ob causam percussit Tridēntinum Concilium, cùm sic decreuit: Si quis hominem iustificatum, & quantumlibet perfectum, dixerit non teneri ad obseruantiam mandatorum Dei & Ecclesiæ: sed tantum ad credendum, Anathema sit. sed cùm essent eiusmodi professores ætate Augustini, talesque Apostolicis quoque temporibus existiterint, qui libertatis videlicet Christianæ prætextu, opera sibi ad salutem necessaria esse negarent: testis quoque sit Epiphanius, Gnosticos & Valentini sectatores docuisse liberum esse quiduis, quantumuis turpe

August. Epi-
stro de fide
& oper. c. 24.
p. 25.

Ad Galat. 5.

& impurum agere, atque eiusmodi libertate regnum
calorum acquiri: quod Augustinus aduersus eiusmodi
impostores scriptum reliquit, hoc isti quoque ad se
pertinere putent. Cùm Petrus, inquit, de iis loqueretur,
qui in occasionem carnis acceperant, & in vela-
mentum malitiæ, quod scriptum est, nos ad nouum
Testamentum pertinentes, non ancillæ filios esse, sed
liberæ, qua libertate nos Christus liberauit: & puta-
uerant hoc esse liberè viuere, vt tanquam de tanta re-
demptione securi, quicquid liberè licere sibi arbitra-
rentur, non intuentes quod scriptum est: Vos in liber-
tem vocati estis, fratres, tantùm ne libertatem in occa-
sionem carnis detis. Vnde & ipse Petrus dicit: Libe-
ri, non sicut velamen malitiæ habentes libertatem,
ait de illis in secunda epistola sua: Hi sunt fontes sic-
ci, & nebulae à turbine exagitatae, quibus caligo tene-
brarum seruata est: superba enim vanitatis loquen-
tes, illiciunt in concupiscētis carnis impudicitia eos
qui paululum effugerunt in errore conuersati, liberta-
tem illis promittentes, cùm ipsi serui sint corruptio-
nis. A quo enim quis deuictus est, huic & seruus addi-
ctus est. Si enim refugientes coinquinationes mundi,
in agnitionem Domini nostri & conservatoris Iesu
Christi, his rursus implexi superantur: facta sunt illis
posteriora deteriora prioribus. melius enim erat illis,
non agnoscere, viam iustitiæ, quàm cognoscentibus
retrosum reflecti à tradito sibi sancto mandato. Co-
rripit enim illis res veri prouerbij: Canis reuersus ad
suum vomitum, & sus lota in volutabris cæni. Cùm
igitur neq. Philosophos alienos à nomine Christiano,
neq. hereticos hoc ipso nomine fallētes incertos, ad
veræ libertatis cognitionem idoneos habere possimus
duces: quid restat, nisi vt liberam illam, matrem no-
stram, id est, Ecclesiam Catholicam audiamus: ab
eaque discamus, cum libertate Christiana consistere,
non

non modò vt ea quæ Lex diuina requirit, ex fide fa-
ciamus: verum etiam vt ad ea implenda, Legis vinculo
nihilominus obstricti teneamur?

CAPVT IIII.

*Obedientiã diuinæ Legi præstandã, non impediri,
libertatem Christianam.*

VT enim infinito discrimine à Creatore etiam
prædita ratione creatura disiungitur: ita non ea-
dem in vtroque libertatis ratio querenda est. Illi enim
hoc est liberum esse, nullius superioris lege viuere:
sed pro lege propriam habere voluntatem, quod ei
sanè rectissimè competit, qui ita bonus est & sapiens,
vt per naturæ summam perfectionem, alius esse non
possit. huius verò cùm sit, superiorem, à quo profectus
fit, suspicere: non alius ei potest esse libertatis modus,
quàm superioris præceptum promptè & lætanter am-
plecti. Non enim, credo, illi rerum Domino præscri-
bent, vt nihil imperet: aut si quid iam præceperit, siue
naturæ lege & æterna ordinatione, siue positua &
temporaria; nulla id subiectam creaturam obligatio-
ne constringere posse, demonstrabunt. Quamobrem
diuinis Legibus, necessariò parèdum esse negare, non
est Christianam asserere libertatem, sed illam, quæ nos
perdidit, superbiam reuocare moliri. Quam à se Pro-
pheta deprecabatur, dicens: Non veniat mihi spes su-
perbiæ, neque manus peccatoris moueat me. Ibi ceci-
derunt, qui operantur iniquitatē. Etenim cùm id esset
proprium diuinæ sublimitatis, nullius ferre potestatis
imperium, sed agere cuncta proprio nutu atque volun-
tate: ea primùm Angeli, deinde hominis superbiã fuit,
tale quiddam sibi arrogare: nempe viuere, omniaque
gerere pro arbitratu, sibi que duceim esse ad beæ bea-
teque viuendum: contemptoque superioris imperio,
nò quod ille iussisset exequi: sed id sequi potius, quod

Psalm. 135

Cap. 9. lib. 11.
de ciuit. Dei.

ipſi collibuiſſet. Nam & animæ (inquit Auguſtinus) in ipſis peccatis ſuis, nõ niſi quandam ſimilitudinem Dei, ſuperba & præpoſtera, &, vt ita dicam, ſeruili libertate ſectantur: ita vt primis patentibus perſuaderi peccatum non poſſet, niſi diceretur, Eritis ſicut Dij. Quæ cauſa eſt, ob quam à veteribus diuinitatem rapere voluiſſe dicantur, non quòd ſe pari potentia præditos eſſe aut ſapientia poſſe putarint: ſed quòd ſub ſe nemini, ſuoque more ad nullius præſcriptum vitam agere voluerint; quod eſt diuinæ excellentiæ propriũ. Quid enim (inquit Auguſtinus in Pſalmum 70.) illi deerat vt tangeret; niſi quia ſua poteſtate vti voluit, præceptum rumpere delectauit, vt nullo ſibi dominante fieret ſicut Deus, quia Deo nullus vtique dominatur? Quæ ſi eſſet naturæ creatæ vel angelicæ vel humanæ conditio, nulla ei ſuperbia foret imperium pati nolle, & Legum vincula recuſare: ſed naturæ ſuæ congruentem expetere & conſeruare libertatem. At cùm naturam creatam ipſi, quem effectore & moderatorem haberet, ſubiectam atque obedientem eſſe oportuerit: perſpicuum eſt, eam tum ſe ſupra naturæ ſuæ modũ exrexiſſe, & plus quàm capere poſſet, immoderato excellentiæ amore concupiuiſſe, cùm nullius ſuperioris Legibus vitæ ſibi degendæ rationes paſſus eſt contineri, quo vitio etiam nunc fit, quod in libro Iob dicitur: Vir vanus in ſuperbiam erigitur, & tanquam pullum onagri, ſe liberum natum putat. Hæc igitur ſuperbia (inquit beatus Ambroſius) hominem prima deiecit: quia dum plus volumus quàm appetere par ſit; etiam quod minus eſt, ſolemus amittere. Hoc ſuperbiæ vitium cùm nos de tantæ felicitatis, tanti que honoris loco præcipites egiſſet, ruina hac iacuiſſemus oppreſſi, niſi è cælo Dei Filius admirabili dignatione ad nos ſe demiſiſſet, qui exſolueret que nõ rapuerat, & noſtram ſuperbiam ſua humilitate curaret. Quod enim

Iob 11.

Serm 14, 66
Pſalm 118,

enim ad ipſum attinet, non rapinam arbitratus eſſe ſe æqualem Deo: cùm hoc vſque ad eò ab eo non eſſet alienum, vt ei per naturam conueniret. Atque idem ille tamen, noſtræ libertatis terminans modum, ac ſuperbiæ tumorem ſanans, dicit ſe de cælo deſcendiſſe, non vt ſuã, ſed vt Patris faceret voluntatem. Et quiſquam noſtrum hoc poſcit, vt liber ſit à Dei voluntate faciendâ? Clamant iſti, nouo Teſtamento hanc promiſſam eſſe libertatẽ, eandemque Chriſti morte præſtitam: & neque attendunt hoc nouum Teſtamentum eſſe: Faciam vt in præceptis meis ambuletis, & mãdãta mea cuſtodiat, & operemini. neque id per Chriſtum ſic eſſe impletum intelligũt, vt de peccato damnari peccatum, quo iuſtificationis Legis impleretur in nobis. Denique populum Chriſtianum vocat Petrus regale ſacerdotium, ſeu regnum ſacerdotale: propterea quòd regnum Chriſtianorum non in eo poſitum ſit vt nulli ſubſint vel ſeruiat: ſed reges ſint ob id ipſum, quia ſunt Dei ſacerdotes, ſiue quia Deo ſe offerunt atque ſubiiciunt, verè etenim Domino ſeruire, regnare eſt. Et quemadmodum in Conſolatione Seuerinus ait Boethius, Vnus Dominus, vnus Rex, vnus & Princeps; qui frequentia ciuium non depulſione lætatur, cuius agi frenis atque obtemperare iuſtitia, ſumma libertas eſt. Ideoque pro hac ſeruitute, tanquam pro libertate vera, ſancti omnes aduerſus veterem illam diaboli & miſtrorum eius tyrannidem fortiter decertarunt. E quibus vnus Mathatias, magna voce, Et ſi, inquit, omnes Regi Antiocho obediunt, vt diſcedat vnusquiſque à ſeruitute Legis patrum ſuorum, & conſentiat mandatis eius: ego tamen & filij mei & fratres mei obediemus Legi Patrum. Seruitutẽ ille quidẽ Legis vocat: ſed eam niſi verã eſſe libertatem exiſtimãſet, nunquam pro ea tuenda, relictis bonis omnibus, ſeruiſſimo Regi Antiocho reſtiſſet.

Philip 2.

Iean. 6.

Ezech. 36.

Rom. 8.

1. Pet. 2.

E. l. 1. Proſp. 5.

1. Mat. 2.

CAPVT V.

Falsò & impudenter obtendere hæreticos implenda Legis impossibilitatem.

NIHI L proinde prætexitur impudentius, quàm diuinam Legem obseruatu impossibilem esse, ipsamque iugū esse illud graue, de quo Petrus in concione dixerit, neque se, neque patres suos id portare potuisse: ideoque ut hoc onere leuemur, Legis que vinculis ad eius obseruationem nequaquam amplius cōstricti teneamur, id maximè ad libertatem Christianam pertinere. Sed iugum veteris Legis, quod sine gratia intelligitur, ab eo iugo distinguere nesciunt, de quo in Euangelio scriptum est: Iugum enim meum suauē est, & onus meum leue. & apud Ioannem: Hæc est charitas Dei, ut inādata eius obseruemus, & mandata eius grauiā non sunt. si ne grauiā quidem sunt, quomodo impossibilia? Sed Lex homini infirmo ad obseruandum imposita, quomodo ab iis imponebatur, qui suam iustitiam statuentes, iustitiæ Dei non erant subiecti, iugum erat profectò importabile: quia propriis viribus sine adiutorio gratiæ, Lex impleri nunquam potuit, quod illi tamen falsò opinabantur à se fieri posse. Verùm gratia Christi sanans & adiuuans, non modò portabile, sed etiam leue & suauē diuinæ Legis iugum reddit. Proinde cum dixisset Petrus: Quid tentatis imponere iugum, quod neque nos neque patres nostri portare potuimus; adiunxit: Sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi. significans, quod per solum vetus Testamentum, & humanas vires importabile fuit, id per Christi gratiam posse portari. Et hunc sensum cum ipsa antithesis perspicuum facit, tum & Augustinus interpretatus sic est, veteris Legis iugum significatum esse intelligens, quod illi portare non poterunt;

tuerunt: sed eos, inquit, eadem Christi gratia viuere fecit ex fide. Et Chrylостomus in illum Actorū locum scribens, Quæ enim Paulus, inquit, multis in Epistola ad Romanos dixit, hæc & hîc dicuntur. Si enim Abraham, inquit, ex operibus iustificatus est, habet gloriā; sed nō apud Deū. Et venerabilis Beda planissimè cum tractat illud ex Euangelio Lucæ, quod Pharisei onerabant homines oneribus quæ portare ipsi non possent. Nō possunt, inquit, onera Legis portare eo modo quo isti Legis periti hæc imponebant hominibus. vnde tædè audiunt, quod sarcinas eius vno digito non tangerent: hoc est, ne minimis quidem eam perficerent, quæ se contra morem patrum sine fide & gratia Iesu Christi seruare, & seruandam tradere præsumebant, atque ideo iugum Christi suauē, & sarcinam eius leuē, ubi requies est animarum, procul abijcere & exterminare tentabant, cum scriptum sit: Iustus ex fide viuere, & apostolus Petrus dicat: Iugum Legis neque nos, neque patres nostri portare potuimus, sed per gratiam, &c. Hæc Beda. Portare ergo non potuerunt, sed veterem cum circumcissione Legem, quæ sine gratia intelligitur, & adhuc à quibusdam ex Phariseorum hæresi credentibus, hoc est, professione, nō fide Christianis, tanquam omnibus ad salutem necessaria requirebatur. nondum enim illi vim crucis agnouerant, nōdum ex ea profluentem gratiam intelligebant ad implendam Legem esse necessariam; atque ideo Legis obseruandæ necessitatem errore Pharisæico prædicantes, non solum propter circumcissionem, aliasque Legis ceremonias, quas portare, & ex fidei Spiritu religiosè seruare patres illi sancti potuerunt; verum etiam propter illa Decalogi præcepta, quæ, sicut dictū est, sine gratiæ spiritu seruari non poterant, onus importabile humeris infeliciū auditorum imponebant. Lex quippe vetus & noua non tam præceptis differunt, quàm

quàm quòd illa intelligitur esse Decalogus cum solo timore, quem Spiritù seruitutis Paulus appellat: Hæc verò Lex eadem cum charitate coniuncta. Lex igitur vetus, hoc est, cum timore seruii ipse Decalogus, impleri à nomine potuit vnquam. Caterùm per gratiam Christi quomodo saluemur, si non eius ope Legem implere possimus, cum scriptum sit: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata? Et per Ezechielem: Vir si fuerit iustus, & fecerit iudicium atque iustitiam, multisq. enumeratis, generatim cuncta complectens, Et in præceptis meis, inquit, ambulauerit, & iudicia mea custodierit, vt faciat veritatem, hic iustus est: vita viuet, ait Dominus Deus. Declarauit eos demum vitam victuros esse beatam, qui diuinæ Legis præcepta impleuissent. Nullusne igitur implere Legem poterit, quando nemo, nisi ea impleta & obseruata, salutem æternam consequetur? Quare enim, inquit, filius non portabit iniquitatem patris? videlicet quia filius iudicium & iustitiam operatus est. At aliqua dumtaxat, non omnia præcepta impleuit? Omnia, inquit, præcepta mea custodiuit, & fecit illa. idcirco vita viuet. Tamen si igitur maledictus est qui nõ permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis vt faciat ea: tamen qui participes facti sunt gratiæ noui Testamenti, qua fit vt in præceptis diuinis ambulemus, liberati sunt à maledicto Legis per Christum, qui factus est pro nobis maledictum. Cuius quidem liberationis tunc erit perfectio, quando absorpta erit mors in victoria, & iustitiam sancti operabuntur, sine vilo viuentes omnino peccato. hic interim sumus à maledicto eatenus liberati, vt æternum non incurramus maledictum: quando id præstitum est Christi beneficio, vt remissis peccatis, iam deinceps in nouitate vitæ ambulemus; & diffusa in cordibus nostris charitate, Legem impleamus: quæ non diceretur ab Apostolo Legis plenitudo,

nisi

nisi per eam præstaretur Legis impletio. Quoniam enim, inquit Augustinus in Psalmum 67. plenitudo Legis charitas est; ideo non per timorem, sed per charitatem Lex impletur. Qua præditi fuerunt illi, de quibus scriptum est: cum eorum laus non humana, quæ fallitur sæpe; sed diuina, quæ falli non potest, voce & testificatione firmaretur, Erant iusti ambo ante Deum, *Luc. 11.* Incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela, vt vel hinc perspicuum fieri possit quod diximus, sæpeque dicendum est (quoniam id multi non intelligunt) Mosaicæ Legis institutum non ob aliud importabile fuisse iugum, quàm quia sine Christi Spiritu prædicaretur implendum. Cuius spiritus adhuc esse ignaros illos Iudaizantes, vel hoc erat indicio, quòd Mosaicæ ceremonias, gratiæ illius præ-nunciatrices, vt necessarias ad Gentiliū quoque salutem requirerent. At qui sacramentum nostræ redemptionis perceperunt, non hoc dicendum esse putant, quod Propheta prohibet; Quis ascendet in cælum? id est, *Rom. 10.* Christum, inquit Apostolus, deducere: aut quis descendet in abyssum? hoc est, Christum à mortuis reuocare. Sed hoc quod Scriptura dicit, agnoscunt; Propè est verbum in ore tuo & in corde tuo: hoc est, inquit Apostolus, verbum fidei quod prædicamus, quia si cõfitearis, &c. Vnde intelligunt, in promptu facilemque esse mandatorum obseruationem, sed per fidem, qua inuocant liberatorem Christum: non per solum liberum arbitrium. fides enim hominem de sua infirmitate, Legis præcepto conuictum, deducit ad medicum Christum: à quo sanatus, ita impleat Legem, vt sit ei iam nõ terribile, sed suaue mandatum. Idcirco & veteres Prophetica hanc & Apostolicam sequuti doctrinam, docuere Legis diuinæ mandata non modo impossibilia non esse, verum etiam facilia obseruatu. Quid enim (inquit beatus Chrysoström) ex præceptis graue ac

b s

oncro-

Cap. 18.

Rom. 8.

onerosum est? proferensque Iſaia verba ex capite 58. Nec ſtectes ſicut ſubiugo collum tuum, & ſaccum ac cinerem ſubſternes: neque id vocabis ieiunium acceptabile: ſed ſolue omnem connexionem iniuſtitia, diſſolue commutationum violentarum faſciculos. Vide, inquit, quanta ſapientia loquitur Propheta. Abſtulit difficiliora, & à facilioribus ſaluari iubet. Deinde oſtendens virtutis facilitatem, & grauiffimum vitioſitatis onus, nudisque nominibus id comprobans, vincula & faſciculos, vitium; virtutem verò, horum omnium diſſolutionem appellat. Et infra: Videamus, inquit, ſi quid horum mandatorum difficile ſit, & naturam humanam tranſgrediens. Nihil igitur tale profectò: ſed econtra, incredibilem in his facilitatem: in omni autem vitio maximum laborem, & ſudorem nò paruum inuenimus. Hæc apud Chryſoſtomū Homilia 57. in Matthæū. Homilia verò 18. breuiter ait: Ne impoſſibilia putemus eſſe præcepta; quæ certè & vtilia nobis ſunt, & valdè facilia, ſi tota vtrique mente vigilemus. Et Homilia 22. Ne igitur opinemur impoſſibilia eſſe præcepta: plurimi quippe ſunt, qui etiam nūc iſta perſiciant. Sic & diuus Hieronymus in Epiſtola quæ ſcripta eſt ad Celantiam matronam: Nec ſufficit, inquit, quòd iuſſa non faciamus, niſi & iubentem iniuſtum pronnociemus, dum ipſum æquitatis auctorem, non modò dura & ardua, ſed etiam impoſſibilia præcepſiſſe conquerimur. Et ruruſum: Aſperam nobis & inſuauem virtutum viam, nimia facit vitiorum conſuetudo; quæ ſi in partem alteram tranſferatur, inueniatur, ſicut ſcriptura dicit, ſemita iuſtitia leuis. Hoc diuus Hieronymus, eaque veterum conſentiens & clara doctrina eſt. Neque enim Pelagio peculiariter adſcribi debet, tanquam iſ errore ſuo primus dixerit, Nihil impoſſibile præcepſiſſe Deum, qui iuſtus eſt. hoc enim ille à Catholicis acceptum, dixit, tenuitque diligenter, quo

veriffimæ

veriffimæ receptiffimæque ſententia prætextu, callidus erroris ſui venenum inſtillaret. ſcilicet hoc futurum credens, vt qui audiret nihil impoſſibile præcepſiſſe Deū, iſ facilius nature vires ad cõplenda mandata poſſe ſufficere, perſuaderi ſibi pateretur. Hinc venerabilis Beda contra Iulianum de gratia diſſerens, libro primo in Cantica Canticorum: Quod dicit, inquit, Dominum non impoſſibile aliquid præcepſiſſe, qui iuſtus eſt, verum profectò dicit, ſi ad eius reſpicit auxilium cui Catholica fides ſupplicat: Deduc me in ſemita mandatorum tuorum. Si verò viribus animi ſui fidit, reſellit eum veridica eiufdem iuſti cõditoris ſententia, qua dicit: Sine me nihil poteſtis facere. Hæc ille. Diuus quoque Hieronymus in Epiſtola ad Crefiphontem, ſolitum commemorans Pelagium de poſſibilitate Legis, erroris ſui propugnaculum cõficere, ſic expreſſit: Poſſibilia, inquit, mandata dedit Deus. Et quis hoc negat? ſed quomodo hæc intelligèda ſit ſententia, vas electionis apertiffimè docet, ait enim: Quod impoſſibile erat Legis, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium ſuum mittès in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne. Et iterum: Ex operibus Legis non iuſtificabitur omnis caro. Hæc ille, declarans & veram eſſe de Legis implendæ poſſibilitate ſententiam, & ſimul hanc implendi facultatem, non de nature viribus, ſoliusque adminiculo Legis ſurgere, ſed gratia per Chriſtum auxilio prouenire. Ideo quum dixiſſet Propheta; Legem pone mihi Domine in via tua quoniam ei continuo reſponderi poterat; Si dederò Legem, implebis eam? ſubiungit in quo de Legis implendæ poſſibilitate conſideret, dicens: Et dirige me in ſemita recta propter inimicos meos. Nec aueret hoc petere, inquit *in 2. Gal. 1.6.* Auguſtinus, niſi primò diceret, Adiutor meus eſto. Ergo ſi tu adiuuas, ſi tu ſuſcipis, da Legem, Sic ille eo loci.

loci & rursus in Psalmum 40. quum dicerent quidam, Magna est Lex Christiana, potes Lex illa, diuina, ineffabilis, sed quis illam implet? Impletur, inquit, in nomine Saluatoris nostri, calcantis Leonem & Draconem. Veniant ad fidem qui dubitant: non dicant, quis hoc implet? si de viribus suis presumunt, non implebunt: presumendo de gratia Dei, credant, presumendo veniant; adiuuandi veniant, non iudicandi. Viuent omnes fideles in nomine Christi, quisque pro gradu suo implens precepta Christi, siue coniuges, siue cœlibes & virgines. noli dicere mihi, quis illud implet? Ille in me implet, qui venit dives ad pauperem. Ad hoc enim, quemadmodum idem scribit libro De catechizandis rudibus, promiserat Spiritum sanctum, per quem diffusa charitate in cordibus credentium, non solum sine onere, sed etiam cum iucunditate Legem possent implere, quæ data est Iudæis in decem preceptis, quem appellant Decalogum. facebat igitur eiusmodi de Lege diuina querela: & quod ait Concilium Tridentinum; Nemo temeraria illa, & à Patribus sub anathemate prohibita voce audeat uti, Dei precepta homini iustificato ad obseruandum esse impossibilia. nam Deus impossibilia non iubet. Eo quippe ipso (inquit Augustinus) quo firmissimè creditur Deum iustum & bonum impossibilia non potuisse precipere; hinc admonemur & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus. Omnia quippe fiunt facilia charitati, cui vni est Christi sarcina leuis. Et in Psalmum 32. Tange, inquit Pfalterium, imple Legem quam Dominus Deus tuus non venit soluere, sed adimplere. Implebis enim amore, quod timore non poteras. Et in Psalmum 49. Discutiendus, inquit, est numerus, quid sibi velint decem & septem. Decem in preceptis, septem in gratia Spiritus sancti, per quam gratiam implentur precepta. Decem ergo & septem tenet omnes perti-

Cap. 23.

Cap. 69. lib. de
nat. & gratia,
& lib. de per-
fect. iust. pag.
302. 303.

pertinentes ad resurrectionem, ad dextram, ad regnum calorum, ad vitam æternam, id est, implentes Legem per gratiam Spiritus, non quasi per opus suum, aut meritum suum. Sic e loco. Et in Psalmum 23. Lex per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est. Gratia, inquit, quia impletur per charitatem quod per literam iubeatur: veritas quia redditur quod promittebatur. Et concione 28. in Psalmum 118. Id agit gratia, ut dilectione impleantur mandata Dei, quæ timore non poterant. Scribit in eandem sententiam & capite 19. libri De Spiritu & litera. Lex ergo data est, inquit, ut gratia quæreretur: gratia data est, ut Lex impleretur. neque enim suo vitio non implebatur Lex, sed vitio prudentiæ carnis. Quod vitium per Legem demonstrandum, per gratiam sanandum fuit, quod enim impossibile erat, Legi, in quo infirmabatur per carnem, misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, ut iustitia Legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum, &c. Denique & ob eam causam dicit Christus, *Matth. 5.* Non veni soluere Legem, sed adimplere, quod daturus esset Spiritum suum per quem Lex posset impleri. quomodo locum eum breuiter Augustinus exposuit tractatu centesimo vigesimo secundo in Ioannem, & supra notatis in Psalmum trigessimum secundum verbis. Rursumque in Psalmum 70. Ipse, inquit, venit ut Legem impleret, quando charitatem donauit, per quam Lex posset impleri. Plenitudo enim Legis, charitas. Et diuus Chrysostomus Homilia decimasexta in Mattheum, Alio, inquit, modo Legem Christus impleuit, quia per nos quoque id ipsum facit. Hoc est quippe mirabile: quia non solum Legem impleuit ipse, sed idem istud nobis quoque facere donauit. quod Paulus significando, dicebat: Quoniam finis Legis *Rom. 10.* Christus,

Christus, ad iustitiam omni credenti. Et peccatum illum damnasse dixit in carne, ut iustificatio Legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus. Hæc Chrysostomus.

CAPVT VI.

Quos dicat Apostolus esse sub Lege.

SED verendum est, ne, cum noui Testamenti filios Legis obligatione dicimus obstrictos teneri, eos non sub gratia, sed sub Lege esse dicamus. Atqui illis Apostolus loquitur & dicit: Non enim estis sub Lege, sed sub gratia. At vellem illi qui hoc dicunt, animaduertent ab eodem sibi ipso illo in loco responsum esse, cum ira subiungit: Quid ergo peccabimus, quoniam non sumus sub Lege, sed sub gratia absit: An nescitis quoniam cui exhibetis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obeditionis ad iustitiam? Si igitur peccare nobis non propterea integrum est, quod sub Lege non sumus; Legem profecto diuinam nihilominus obseruare tenemur, cuius necesse est violatione peccari. Quinam igitur sub Lege esse censendi sint, discant ex eo quod idem Apostolus ait ad Galatas scribens: Si Spiritu ducimini, non estis sub Lege. Spiritu enim illi ducuntur, quos Spiritus inhabitans regit, & charitate imbuit: qui propterea sub Lege dicuntur non esse, quod iam & reatu mortis ob violatam Legem contracto liberati, & eidem Legi vltro libenterque subiecti, non amplius premantur à Lege, sed ab eadem potius subleuentur. Cum enim dixisset Apostolus: Caro concupiscit aduersus Spiritum, & Spiritus aduersus carnem, ut non ea quæ vultis, faciatis: ne ab ipsa pugna desides faceret, per quæ hanc sententiam laxam eorum peccandi dedisse videretur, adiungit: Quod si Spiritu ducimini, non estis sub Lege. Sub Lege est enim, inquit

Augusti-

Augustinus, qui timore supplicij quod Lex minatur, non amore iustitiæ, sentit abstinere se ab opere peccati: nondum liber, nec alienus à voluntate peccandi. In ipsa enim voluntate reus est, qua mallet, si fieri posset, non esse quod timeat; ut liberè faciat, quod occultè desiderat. Ergo si Spiritu, inquit, ducimini, non estis sub Lege; utique Lege quæ timorem incutit, non charitatem tribuit. quæ charitas diffusa est in cordibus nostris, non per Legis literam, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Et rursum: In quantum quisque Spiritu ducitur, non est sub Lege: quia in quantum condelectatur Legi Dei, non est sub Legis timore: quia timor tormentum habet, non delectationem. Breuissimè quoque in Psalmum primum tractans quod ibi legitur; Sed in Lege Domini fuit voluntas eius, Aliud est, inquit, esse in Lege, aliud sub Lege. Qui est in Lege, secundum Legem agit: qui est sub Lege, secundum Legem agitur. Ille ergo liber est, iste seruus: Et in Regula, sub Lege significat esse seruos: ex ea videlicet seruitute, in quam vetus Testamentum generabat. Sub gratia verò liberos, qui Domino suo liberaliter libenterque seruiunt. Det Dominus, inquit, ut ista faciatis: non sicut serui sub Lege, sed sicut liberi sub gratia constituti. Atque id ipsum est quod & Chrysostomus docet, sub Lege esse qui ipsam metu exequantur, non virtutis desiderio: qui que à malis quidem abstinere, sed more seruorum: quos affirmat legis destinatione frustrari, quia non iustificentur. Eos verò qui sub gratia sunt, supra legem esse: non ut illam non impleant, sed quod eam dignius, etiam ac præstantius ceteris impleant: maiora interdum quam ipsa præcipiat perficientes. Clarus hic, opinor, Apostoli sensus est, ad quem percipiendum atque firmandum, illud etiam pertinet quod alio loco docet, eos qui sub lege sunt, redimi à Christo oportere, ut recipiant adoptionem filiorum.

Libr. de natura & gratia, c. 57.

Homilia 2. in prioribus ad Timotheum.

Gal. 4.

Rom. 6.

Cap. 5.

Vide August. tract. 3. in Iohannem. Et Epist. 29. ad Hieronymum. & lib. de natura & gratia, cap. 57.

filiorum. Ex quo evidentissimè colligitur, eos qui sub lege sunt, adhuc captiuos & seruos esse, nō filios. vnde enim Christus redimeret? nisi à diabolo, à perditione, à peccatis suis, ab eo cui se vendiderant, inquit Augustinus? Et ideo quia sub Lege erāt homīnes, nō in Lege, ab illa pressi, & de reatu conuicti, non liberati: misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, propter maledictum legis quod moriendo suscepit, qui factus est pro nobis maledictum; vt iis qui sub lege erant redemptis, adoptionis filiorū dignitas redderetur. Declarauit ipse quoque Cassianus, quid esset esse sub Lege, quidque sub gratia: & ad hunc quidem modum, vt nostrorum sectariorum fictitiam libertatem confutare voluisse videatur. sic enim scribit collatione 21. capite 24. Quisquis, inquit, perfectionem Euangelicā studuerit tenere doctrinā, hic sub gratia constitutus, peccati dominatione non premitur. Hoc est enim esse sub gratia, ea quæ gratia mandat implere. Quicumque verò perfectionis Euangelicę plenitudini subiectus esse noluerit, non ignoret, se, quamuis baptizatus sibi videatur ac monachus, non esse sub gratia, sed sub Legis adhuc vinculis præpeditum, peccati pondere prægrauari. Propositum namque est eius, qui omnes à quibus receptus fuerit, gratia adoptionis assumit, non destruire, sed superedificare: nec euacuare, sed adimplere. Mosaicas sanctiones. Quod nonnulli penitus ignorantēs & consiliorum atque exhortationum Christi magnificētiam negligentes, ita præsumptæ libertatis securitate soluuntur, vt non solum Christi præcepta: tanquam ardua non attingant; verum etiam ipsa illa quæ illis incipientibus paruulis quæ Mosaica Lege mandata sunt, velut antiquata cōtemnant; illud quod Apostolus execratur, noxia libertate, dicētes: Peccabimus; quia nō sumus sub Lege, sed sub gratia. Qui ergo nec sub gratia est, quia nequaquam

ad do-

ad Dominicæ doctrinæ culmen ascendit: nec sub Lege, quia etiam ipsa illa paruula Legis madata non suscipit; hic duplici peccatorum oppressus imperio, ob hoc solum gratiam Christi percepisse se credit, vt pernoxiam libertatem ab eo fieret alienus: in illud incidens quod Apostolus Petrus ne incurramus enunciat. Quasi liberi, inquit, agite, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem. Beatus quoque Apostolus Paulus: Vos enim, inquit, in libertatem vocati estis, fratres: id est, vt absoluti sitis à dominatione peccati: tantum ne libertatem in occasionem carnis detis: id est, frustrationem legalium mandatorum, credentes esse licentiam vitiorum. Hactenus ille.

CAPVT VII.

Quid sit quod Apostolus ait, fideles mortificatos esse

Legi per corpus Christi.

N I H I E proinde iam ea de muliere & Lege similitudo perturbat, quam posuit Apostolus capite septimo Epistolæ ad Romanos. An ignoratis, fratres, (sciētibus enim Legē loquor) quia Lex in homine dominatur quanto tempore viuit? Nam quæ sub viro est mulier, viuente viro alligata est legi. Si autem mortuus fuerit vir eius, soluta est à lege viri. Igitur viuente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro. si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri, vt non sit adultera si fuerit cum alio viro. Itaque, fratres mei, & vos mortificati estis Legi per corpus Christi, vt sitis alterius qui ex mortuis resurrexit, vt fructificetis Deo. Nam quid esset mortificatū esse Legi per Christi corpus, consequentibus verbis aperuit: Cū enim essemus in carne, inquit; passionēs peccatorum, quæ per Legem erant, operabantur in membris nostris, vt fru-

c

ctificat

Etificarent morri. Nunc autem soluti sumus à Lege
 mortis, in qua detinebamur: ita vt seruiamus in noui-
 tate Spiritus, & non in vetustate literæ. Legi ergo mor-
 tificati sumus per corpus Christi, quòd Christo insiti,
 viuæque eius membra effecti, iam sub Lege damnate,
 nõ teneamur obnoxij mortis: quippe qui & in gratiam
 per Christum recepti, & Legis voluntarij obseruato-
 res effecti sumus. In quibus proinde non dominatur
 Lex reos faciens, quos sibi iam habet consentientes, &
 à præteritarum transgressionum vinculis absolutos.
 Vt enim viro superstitute, mulier si adultera est, Lege
 adulterium prohibete, damnatur; sin mortuus vir fue-
 rit, non eam Lex vt adulteram damnandam tradit: ita
 quamdiu in nobis tanquam vir concupiscentia viuut,
 etiam si foras se per opus non proferat, Lex ipsa nos
 reos agit, & damnatione dignos ostendit: at mortuo
 viro, concupiscentiaque interempta & superata per
 infusam gratiam, & remissione peccatorum per Chri-
 stum accepta: mortificati sumus Legi, vt videlicet non
 amplius lege mortis detineamur, neque iam nobis ad
 damnationem perniciem que nostram dominetur: vt
 qui iam seruiamus in nouitate Spiritus, & non in ve-
 rustate literæ. Iis quippe Lex est mortis, qui eius occa-
 sione, sua perueritate moriuntur: in quibus passiones,
 peccatorum operantur per Legem, vt fructum faciant
 mortis. Peccatũ enim inherens, vt appareat peccatum,
 per bonũ operatum est nobis mortẽ, vt fiat supra mo-
 dum peccans peccatum per mādatum, Sponsa Chri-
 sti (inquit Augustinus) iam mortua est Legi: id est, pec-
 cato, quod Legis prohibitionem fit abundantius: cum
 Lex sine gratia iubet, non iuuat. Tali ergo Legi mortua
 est, vt sit alterius qui ex mortuis resurrexit. Neque alia
 Lex est sancta & iusta & bona; & alia per quam pecca-
 tum mortẽ operatur, cui mori nos oportet: sed eadem
 ipsa est. Et infra: Proinde quod est oculis sanitas ad
 viden-

Lib. 1. contra
 Iulianum c. 8.

videndum Solem, hoc est gratia mentibus ad imple-
 dam Legem. Et sicut oculi sani non Solis delectationẽ
 moriuntur, sed illis ictibus asperis radiorum, quibus
 reuerberati in densiores tenebras pellebantur: sic ani-
 ma quæ per charitatem Spiritus salua facta est, non
 iustitiæ Legis mortua dicitur; sed illi reatui & præua-
 ricationi, quam Lex per literam, cum gratia defuit, fa-
 ciebat. Clarissimẽ verò quæst. 1. ad Simplicianum, In
 hac tota, inquit, quam tractauimus Apostolici conte-
 xtione sermonis, quisquis putat sensisse Apostolum,
 quòd mala sit Lex, quoniam dicit: Lex subintravit vt
 abundaret delictum, & Ministratio mortis in literis si-
 gurata lapideis, & Virtus peccati Lex, & Mortui estis
 Legi per corpus Christi, vt sitis alterius qui ex mortuis
 resurrexit, & Passiones peccatorum quæ per Legem
 sunt, operabantur in membris nostris, vt fructum fer-
 rent mortis: nunc verò & enacuati sumus à Lege mor-
 tis, in qua detinebamur: ita vt seruiamus in nouitate
 Spiritus, & non in vetustate literæ: & alia si qua hu-
 iusmodi Apostolum dixisse inuenimus: attendat ideo
 esse ista dicta, quia Lex auget concupiscentiã ex prohi-
 bitione, & reũ obligat ex præuaricatione, iubendo que
 implere homines in infirmitate non possunt, nisi se ad
 Dei gratiam pietate conuertant. Et ideo sub illa esse
 dicuntur, quibus dominatur. Eis autem dominatur,
 quos punit: punit autem præuaricatores omnes. Por-
 rò qui acceperunt Legem, præuaricant eam, nisi per
 gratiam consequantur posse quod iubet. Ita fit vt non
 dominetur eis qui iam sub gratia sunt, implentibus
 eam per gratiam, qui erant sub eius timore damnati.
 Et infra multis interpositis, Sic ergo dictum est: Mor-
 tui estis Legi, ac si diceretur: Mortui estis supplicio
 Legis, per corpus Christi, per quod sunt delicta dona-
 ra, quæ legitimo supplicio constringeant. Et postea
 rursum; Cur liberati sumus à Lege mortis, in qua de-

Rom. 7.
 2. Cor. 3.
 1. Cor. 15.
 Rom. 7.

tinebamus, ita ut seruamus in nouitate spiritus, & nō in uetustate literæ, si Lex bona est? Quoniam Lex litera est eis qui nō eam implent per spiritum charitatis: quod pertinet testamentum nouum. Itaque mortui peccato, liberantur à litera; qua detinentur rei, qui nō implent quod scriptū est: Lex enim quid aliud quàm sola litera est eis qui eam legere nouerunt, & implere non possunt? Hactenus Augustinus. In eundemque confluunt sensum & ea quæ à diuo Chrysofostomo scribuntur serm. 12. in epistolam ad Romanos, ad illud: Non estis sub Lege, sed sub gratia. Nō enim (inquit) est uobis litera condemnans, hoc est, lex uetus; sed spiritus adiuuans. Et rursus antea: Mortui ei in qua detinebamur, quasi dicat: uinculum illud in quo detinebamur, emortuum est, & corruptum: ita, ut id quod detinebat, peccatum scilicet, iam nihil habeat quo nos contineat. Interim tamen, inquit, uidendum ne decidas, neue pigrescas. Solutus quippe ad hoc es, ut iterū seruias: licet non huiusmodi seruitute qua prius; sed in nouitate spiritus. Hæc diuus Chrysofostomus.

CAPVT VIII.

Quid sit, Lex iusto non est posita.

AIT tanē alio in loco beatus Apostolus, Legem positam esse non iusto, sed iniustis, & non subditis, impijs, & peccatoribus. quod qui sic accipiendū esse putant, ut nihil ad eos qui iusti sunt, pertinere Legem arbitrentur; dicant quid sibi ergo in Epistola ad Romanos uelit quod idem ait: Non auditores Legis iusti sunt apud Deum, sed factores Legis iustificabuntur. Siue intelligas quia iustificabuntur, ut sint factores; siue, quemadmodum aliquando hoc iustificandi uerbum in sacris literis uisurpatur, iustificabuntur; id est,

est, iusti declarabuntur, iusti pronunciantur? Nisi uerò ad examen discussionemque iudicij supremi reuocaretur, quàm studiosè quisque Legem obseruarit, magnamque id in illo die fiduciam faceret, bene sibi consciū esse, libenterque diuinis præceptis paruissè; non hæc eodē loco Apostolus adiunxisset: Cū enim *Ibidem.* gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ Legis sunt faciunt; eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus, in die cū iudicabit Deus occulta hominum, secundum Euangelium meum, per Iesum Christum. Denique eo ipso capite, cū Gentilem ad Christum fide conuersum, confert cum Iudæo circūciso, cur huic illum anteponeat? quidnam esse dicit, per quod hic sit illius comparatione damnandus? Circūcisio quidem prodest, inquit, si Legem obserues: si autem præuaricator Legis sis, circūcisio tua præputium facta est. Si igitur præputiū, Legis iustitias custodiat; nōne præputium illius in circūcisionem reputabitur? & iudicabit id quod ex natura est præputium, Legem cōsummans, te qui per literam & circūcisionem præuaricator Legis es? Non igitur ob id dumtaxat quia credat, sed quia Legē obseruet: ne quod eā, vel ex parte impleat; sed quia consummer, circūcisum legis suæ uolantem præputiatus Christianus iudicabit. Quin aliàs quoque, cū animaduerteret perperam ab indoctis posse accipi nonnulla à se dicta uerbis superioribus, eorumque occasione in errorem eum incurrere, ut hos qui fide Christiana essent imbuti, non necesse habere crederent in Lege obseruanda & implenda studium suum, conatusque ponere, eiusmodi hominibus de hac orationis suæ medicina prospexit; Legem ergo destruximus per fidē? Absit;

Cap. 29. lib. De
Spiritu & li-
berate

fit, sed Legem statuimus. Fides enim (inquit Augustinus) impetrat gratiam, qua Lex impleatur. Quod si ij qui fide instructi sunt Christiana, iusti que per eam fidem effecti, nulla amplius diuinæ Legis obligatione constricti teneantur: nonne Lex per fidem destruitur, & aufertur? At non destruimus, inquit, sed statuimus. Nimirum quia docebat Apostolus ad hoc iustificari homines fide, vt in posterum parerent Legi: id quod Legis solius auxilio sine fide fieri non poterat. Iustus enim non ex Lege, sed ex fide viuit. Igitur vt liberum arbitrium per gratiam non euertitur, sed constituitur atque firmatur; propterea quod hoc gratia ipsa præster, vt liberè quod bonum est operemur; & sicut Augustinus ait, sanet ipsa voluntatem, qua iustitia liberè diligitur: ita per fidem Lex non destruitur, sed meliùs etiam conseruatur atque stabilitur: eo quod fide sanati homines, & ex peccati ægitudine, ac tæbe longa recreati, iam ad implendam Legem recuperato spiritus robore, conualescant. Qua profectò conseruandæ firmandæ que legis ratione, melior alia reperiri non potuit: cum isto modo lex non sola cognitione in duro & rebeli corde scripta, tanquam in lapide habeatur; sed per amorem in scripta cordis, ceu carneis, ac sententiis tabulis, fidelissimè teneatur. Quamobrem Apostolus ita est Corinthios epistola posteriore allocutus: Epistola nostra vos estis, scripta in cordibus nostris, quæ scitur & legitur ab omnibus hominibus: manifestati quod Epistola estis Christi, ministrata à nobis & scripta non atramento, sed Spiritu Dei viui; non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. neque verò magnopere in his rebus confirmandis elaborandum foret, nisi à Catholica fide quidam alieni, atque ad omne opus bonum reprobis, sibi aliis que permultis de quarundam obscuritate sententiarum, tenebras offunderent. Nempe ille ipse Apostolus, vnde superiora produ-

6. Cor. 3.

produximus, alio tamen loco dicit, Legem non esse positam iusto. verum quemadmodum enumeratis spiritus fructibus, dicit aduersus eos non esse legem, proinde neque aduersus illos qui hos fructus perciperint, eo quod, videlicet, non tales sunt quos Lex dānet, seu reos agat; cum scriptum sit, nihil damnationis esse iis qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulent, sed secundum spiritum: ita prorsus idcirco iustis non esse lex posita dicitur, quod eius terror, & illa quam operatur ira, iustos non concernat: Lex enim (inquit Apostolus) sed sine spiritu cogitata, iram operatur iis quibus est imposita, Nam vitis corruptus animus, Lege accepta docente & terrente, sine adiuuante & sanante spiritu, peccandi libidine vehementius inardescit; quantoque sub Lege euaserit prauitate sua deterior, tanto ab eadem grauiori damnationi tenetur obnoxius. At iusto Lex non est posita siue imposita tanquam iugum, vt adhuc sit sub Lege coercente, terrente, atque damnante, suoque reatu infelicè eius adhuc conscientiam implicante, euasit ex his vinculis, atque ex hac seruitute iustus, impendentem sibi ex iustissima Legis cōminatione damnationem effugit. Non amplius igitur à terrè & comminante Lege premitur, sed eam quasi pedibus illustrantem viam, iterque monstrantem, lubens atque alacris sequitur: neque enim opus habet, inquit Augustinus, terrentè litera, quem delectet ipsa iusticia. Aptissimè proinde & circumspectissimè non dicit Apostolus, Iusti non habent Legem, aut, Iusti sunt siue Lege; sed Iustis non est lex posita, seu imposita. hoc est, non tanquam inuitis, & ab illa auersis, eique scelerata voluntate repugnantis iniecta ad frenandum, cohibendum, atque terrendum; sed voluntariis eo liberaliter data, inquit Bernardus, quò suauiter inspirata. vnde & pulchrè Dominus, Tollite, ait, iugum meum super vos. tanquam

1. Tim. 2.
Galat. 5.

Aug. in Psal.

Lib. 1. c. contra
Faustian cap. 8.

Epist. 11. ad
Catholicos.

diceret: non impono vobis, sed vos tollite si vultis: alioqui non requiem, sed laborem inuenietis animabus vestris. Perspicuè verò sanctus Epiphanius in heresi Manichæorum, memoratam Scripturæ locum exposuit, scribens hoc modo: Quandoquidem igitur Lex iusto non est posita, iniquus ergo est iustus? Absit. Sed quoniam anticipauit iustus perficere ea quæ sunt Legis, non est Lex cōtra iustum, qui fecit Legē. verūm posita est contra eos qui deliquerunt, iudicās iniquos. Sic igitur & testamentum: iussit enim homicidas occidi; & adulteros, & iniquum Legum transgressorem lapidibus obrui. Sic Epiphanius, planissimè docens iustis non esse Legem positam; non quia Legem non impleat, aut quia nihil ad eos pertineat Lex. Quomodo enim alioqui Propheta diceret, Legem pone mihi Domine viam iustificationum tuarum? Sed ob hoc ipsum potius, quia Legem opere perficiat vtronei ac lubentes, præuenientēque Legis minas. Ambrosius verò, Sapiens, inquit, semper liber, semper honoratus, semper is qui præsit legibus; denique iusto non est Lex posita, sed iniusto. Iustus enim ipse sibi lex est, non habens necesse longius sibi arcessere formam virtutis, quam corde inclusam gerat, scriptum habēs opus Legis in tabulis cordis sui. Hęc Ambrosius. Est igitur iustis Lex Domini immaculata, cōuertens animas; testimonium Domini fidele, sapientiam præstās paruulis. Sunt illis iustitiæ Domini rectæ, latificantes corda; præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. Et iis quidē timor inest, sed timor Domini sanctus, permanens in seculum seculi. Alius enim timor est, qui ex eo suboritur quia peccaueris; alius quo timeas ne labaris: ibi est formido de supplicio, hinc sollicitudo de præmio. Colunt igitur illi & obseruant iudicia Domini vera, iustificata in semetipsa; desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum, & dulciora super

Epist. 7.

super mel & fauam. Etenim, inquit, seruus tuus custodit ea, in custodiendis illis retributio multa. Sed quemadmodum Augustinus in eo libro quem scripsit de Spiritu & litera, locum hunc ipsum tractatum atque explicatum reliquerit, operæpretium est supradictis adiungere. Iusto, inquit, Lex non est posita, quæ tamen bona est, si quis ea legitime vtatur. Hęc duo Apostolus, velut inter se contraria connectens, monet mouetque lectorem ad perferendam quæstionem atque soluendam. quomodo enim bona est Lex, si quis ea legitime vtatur, si etiam quod sequitur verum est, sciens hoc quia iusto Lex non est posita? Nam quis legitime vtatur Lege, nisi iustus? at ei non est Lex posita, sed iniusto. An & iniustus vt iustificetur, id est, vt iustus fiat, legitime Lege vtī debet, qua tanquam pædagogus perducatur ad gratiam, per quam solam, quod Lex iubet, possit implere? per ipsam quippe iustificatur gratis, id est, nullis suorum operum præcedentibus meritis. alioquin gratia iam non est gratia: quandoquidem ideo datur, non quia bona opera fecimus, sed vt ea facere valeamus: id est, non quia Legem impleuimus, sed vt Legem implere possimus. Ille enim dixit: Non veni soluere legem, sed implere; de quo dictum est: Vidimus gloriam eius, gloriam tanquam Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis. Hęc est gloria de qua dictum est: Omnes enim peccauerunt; & egent gloria Dei. Et hęc est gratia Dei de qua continuo dicit: Iustificati gratis per gratiam ipsius. Iniustus ergo legitime Lege vtatur, vt iustus fiat: quod cum factus fuerit, ea iam non vtatur tanquā vehiculo, cum peruenerit, vel potius, vt supradicta similitudine Apostoli vtar, tanquā pædago, cum eruditus fuerit. Quomodo enim iusto Lex non est posita, si & iniusto est necessaria, non qua iniustus ad iustificandē gratiā perducatur, sed qua legitime iam iustus vtatur? An fortè, imò

Cap. 18.

Gal. 3.

Rom. 11.

Matth. 5.

Ioan. 1.

Rom. 3.

Legis duplex usus: alter tradenda custodiendaq; virtutis: alter expurgandorū atque auertendorū scelerū. Iuxta priorem usum, Lex iusta quoque plurimū prædestināta posteriori, Lex iniusto non est posita.

verò non fortè, sed certè, sic legitimè vtatur Lege iam iustus, cum eam terrendis imponit iniustis? vt cum & in ipsis cœperit inolitæ concupiscentiæ morbus incœtiuo prohibitionis, & cumulo præuaricationis auferri, confugiant per fidem ad iustificantem gratiam, & per donum spiritus suauitate iustitiæ delectati, pœnam literæ minantis euadant? Ita non erunt contraria, neque inter se duo ista pugnabunt, vt etiam iustus bona Lege legitimè vtatur, & tamen iusto Lex posita non sit. Nō enim ex ea iustificatus est; sed ex Lege fidei, qua credit nullo modo posse suæ infirmitati ad implenda ea quæ Lex factorū iuberet, nisi diuina gratia subueniri. Ideò dicit, Vbi est ergo gloriatio tua? Exclusa est. Per quam Legem? factorum? Non, sed per Legem fidei. Hactenus diuus Augustinus, Legis vsum solidissimè explicans. Quid verò Brentius? Quid (inquam) nisi absurda, atque inter se pugnantia? Dum enim iustum reddere conatur liberum, etiam interim iusto docet Legem impositam esse: contra tantam Apostolicę doctrinæ lucem, erroris sui tenebras offundens. Omnis enim (ait in Confessione sua) posita Lex est, & iustis & iniustis. de iniustitia nāque Dei aduersus omnes homines testimonium ferens, iuxta id quod scriptum est: Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis vt faciat ea. Cuius ergo rei gratia, Brenti, tam seuerè? Nimirum (ait) quoniam & in iustis, vel caro concupiscit aduersus spiritum. At hoc (inquam) patiuntur inuiti, neque operantur illud, quemadmodum ait Apostolus, sed quod in eorum carne habitat peccatum: plena enim peccatorum per baptisma remissio est, at non plena sanatio totius infirmitatis. Nec crimina regenerationis lauacro raduntur, sed eluuntur, abolentur, auferuntur. An ergo Legis sunt transgressores per hosce leues motus, quibus minimè consentiunt: an iustitia vacui sunt,

Rom. 7.

Rom. 7.

Vide Aug. li. bro 14. de Trinit. c. 17. & li. 2. de peccat. meritis & reuiss. cap. 27.

sunt, qui veraciter iusti vocantur? & quomodo in iis non iam peccatum, sed iustitia regnat? quomodo per Spiritum Christi, iustitia Legis impletur in nobis? Quis erit tandem, qui in spiritu seminet, vt merat de spiritu vitam æternam? quomodo alia tam multa vera sunt, quæ suprâ commemorauimus? Quæ postremò libertas erit homini Christiano, in tanta peccato seruiendi necessitate? Nempe (ait) quia etsi in perpetuo peccato sumus, perpetuam donat ille remissionem: etsi iniusti & serui peccati, nos ille iustos deputat, habetque liberorum loco. Hæc igitur, iuxta prodigiosam illam hæresim, commentitia, falsa, absurda, planeque impossibilis, & omnino nulla nostra libertas est.

CAPVT IX.

Qua sit ea Lex quam Iacobus Legem libertatis appellauit.

TESTIS porrò est Augustinus, propter eorum sententiam, qui fidem, neglectis operibus, ad salutem sufficere prædicarent, Epistolas Petri, Ioannis, Iacobi, Iudæ fuisse conscriptas; easque contra perniciosam adedò opinionem, maximè intentionem dirigere, vt vehementer adstruât, fidem sine operibus nihil prodesse: sicut etiam ipse Paulus non quamlibet fidem, qua in Deum creditur, sed eam salubrem, planeque Euangelicam definiuit, cuius opera ex dilectione procedunt. Et fides, inquit, quæ per dilectionem operatur. vnde illam fidem quæ sufficere ad salutem quibusdã videtur, ita prodesse nihil asseuerat: vt dicat, Si habeam omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum. Idcirco in secunda Epistola Petrus, cum ad vitæ & morum sanctitatem hortaretur, mundumque istum transitorium pronūciaret, cælos verò nouos, & terram nouam exspectari,

Cap. 14. lib. de fide & operibus.

Galat. 7.

2. Pet. 5.

spectari, quæ iustus inhabitanda tradetur: vt ex hoc at-
tenderent quemadmodum eos viuere oporteret, quo
fierent ea habitatione digni. His ergo, inquit, omnibus
pereuntibus, quales oportet vos esse in sanctis conuer-
sationibus & pietatibus, expectantes & properantes,
in aduentum diei Domini: per quem cæli ardentes
soluentur, & elementa ignis ardore tabescent? Iacobus
verò vsque ad eò se huic errori infestum esse declarat,
vt eos qui sapiant fidem sine operibus valere ad salu-
tem, dæmonibus comparet, dicens: Tu credis quoniã
vnus est Deus? Bene facis: & dæmones credunt & cõ-
tremiscunt. Quid veriùs, breuiùs, vehementiùs dici
potuit? Sed apertiùs, Quid proderit, inquit, fratres
mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem nõ ha-
beat? nunquid poterit fides saluare eum? Pronunciat
quoque fidem sine operibus mortuam esse, similemque
videri corpori, à quo sit animus morte auulsus. Deni-
que & libertatis meminit, sicut Petrus, quòd hanc illi
prætenderent ad licentiam perfidorum morum pro-
pugnandam. Nunquid igitur libertatem in eo sitam
definierit, vt opera non necessaria crederentur, aut
Legis vinculo constricti nullo iusti tenerentur? videam-
us. Quapropter, inquit, abijcientes omnem immũ-
ditiem, suscipite insitum verbum. Quid autem esset
insitum verbum suscipere, ne id in sola cognitionis
perceptione poneretur, indicauit verbis consequenti-
bus: Estote autem factores verbi, & non auditores tã-
tũm, fallentes vosmetipsos. Quia si quis auditor est
verbi, & non factor, hic comparabitur viro conside-
ranti vultum natiuitatis suæ in speculo. Considerauit
enim se, & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit.
Qui autem perspexerit in Lege perfectæ libertatis, &
permanerit in ea, non auditor obliuiosus factus, sed
factor operis; hic beatus in facto suo erit. Quo loco
quamquã manifesta Apostoli doctrina sit, opera cum

fida

fide coniuncta esse debere, si quis sapienter sibi pro-
spicere ad salutem velit: tamen quæ sit Lex libertatis,
meritò inquiritur. Non enim significatum esse Deca-
logũ, ex eo videri cuiuspiam possit, quòd & veteris Te-
stamenti filij hunc acceperint, qui tamen non liber-
tatis, sed seruitutis potius legem accepisse videantur.
Neque aliam Apostolus literam vult intelligi, cum
ait: Litera occidit, spiritus autè viuificat, quàm ipsum
Decalogũ, inquit Augustinus, in duabus illis tabulis
scriptum. Literam igitur occidentem, num potest vi-
deri vocasse Legem libertatis? Verũm nihil obstat,
quo minùs eadem Lex Decalogi, & seruitutis sit pro-
pter timorem: & libertatis, propter dilectionem ad-
iunctam, ex qua libenter ac liberaliter impleatur. Vt
enim Nouum Testamentum scriptura dicit propter
nouitatem spiritus, quæ hominem nouum sanat à vi-
tio vetustatis; ita propter veram animorum quæ adsit
libertatẽ, Lex videri queat appellata libertatis. Quia
verò vbi spiritus Domini, ibi libertas est: cur non ea-
dem Lex esse putetur quæ hinc dicitur libertatis, alio
verò loco, Lex spiritus vitæ? de qua scribit Apostolus
ad Romanos: Lex enim spiritus vitæ in Christo Iesu,
liberauit me à lege peccati & mortis. Lex autem hæc,
non illa est extrinsecus posita, qua iniusti terrentur:
sed intrinsecus data, qua iustificarentur. Lex ergo Dei,
inquit Augustinus, est charitas. huic prudentia carnis
non est subiecta: neque enim potest: sed ad hanc pru-
dentiam carnis terrendam, cum in tabulis scribuntur
opera charitatis, lex est operum, & litera occidens præ-
uaricatore. Cum autem ipsa charitas diffunditur in
corde credentium, lex est fidei & spiritus viuificans
dilectorem. Lex igitur hæc spiritus viuificantis, siue
lex ipsa charitatis, liberauit me, inquit Apostolus, à
lege peccati & mortis. Liberauit autem quomodo?
nisi quia eius reatum peccatorũ omnium remissione
dissol-

Cap. 24. de
spiritu & li-
tera.

Aug. cap. 20.
de spiritu &
litera.

Rom. 8.

Lib. de spiritu
& litera c. 27.

dissoluit? ut quamuis adhuc maneat, & de die in diem magis magisque minuatur, in peccatum tamen non imputetur? In quibus verbis non ait August. manere peccatum, & non imputari: sed manere legem peccati, id est, concupiscentiam: verum ad eum modum imminutam, ut non dominetur, neque peccati rationem iam habeat quod imputari possit ad pœnam. Ac rursum, ne intelligere putaretur in eo qui sic esset per vitæ Spiritum liberatus, manere violationem Legis, quæ tamen propter libertatem non imputaretur ad supplicium; attende quam subiungat libertatis huius rationem. Iterum enim interrogans: Quomodo, inquit, liberauit, nisi quia per hanc iustificatio Legis impletur in nobis, qui non secundum carnem, sed secundum spiritum ambulamus? hoc enim subiunxit Apostolus, ostendens quonam modo eum Lex spiritus à lege peccati mortis que liberasset. Nam quod impossibile erat legi, inquit, in quo infirmabatur per carnem, Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, ut iustificatio Legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. Hanc igitur ipsam Legem viuificantis Spiritus, cur non iure Legem libertatis esse arbitremur: quæ hominem verè liberum efficiat, vinculis peccati solutis ac mortis? ut sicuti Lex eadem noua dicitur, propterea quod hominem interiorum renouet, ut fiat quod præcipit Apostolus: Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis: ita ipsa quoque Lex libertatis appellatur, quod verè afferat animis nostris libertatem: qua de manu inimicorum nostrorum liberati, Domino nostro liberaliter libenterque seruiamus in sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris. hæc igitur est Lex libertatis, non seruitutis: quia chari-

tatis vri-

tatis vti que, non timoris, inquit Augustinus. de qua & Iacobus Apostolus ait: Qui autem perspexerit in Legem perfectæ libertatis. Et tanquam exponens quid dixerit, perspicere in legem perfectæ libertatis; adiungit: non auditor videlicet obliuiosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit. Perspicit igitur in legem libertatis perfectæ, qui non modò quid faciendum fugiédum ve sit, ex Lege cognoscit: verum etiam quod didicerit, operatione exequitur. Ex quo intelligitur absurdè eos facere, qui libertatis Lege ad tollendam operum necessitatem, seu diuinæ Legis obligationem abutuntur, cum Lex ipsa libertatis, opera secum afferat, neque sine operibus aut reuera constare, aut concipi animo possit. hanc qui accipit, tantum habet, ut ei sit integrum non obtemperare precepto Legis, ut per eam necessariò impleat Legem. Plenitudo enim Legis dilectio est: & qui diligit proximum, Legem impleuit. Veruntamen quia subinde iustus labitur, & insidiant semper concupiscentiæ plusculum acquiescit: hæc ipsa libertatis Lege postulat à Deo misericordiam, quam ut impetret facilius, non negligit opera misericordiæ: ut dum eum cõserui sui miseret, à communi Domino facilius misericordiam consequatur. Beati enim misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequuntur. Hinc apud eundem Apostolum & illa sunt de Lege libertatis: Sic loquimini & sic facite sicut per Legem libertatis incipientes iudicati: quæ videlicet ita Legem Dei obseruat, ut tamen, quia sine peccatis hæc vita non ducitur, misericordiæ operibus iudicis clementiam sibi conciliare cõnetur. Iudicium enim sine misericordiâ; illi qui non fecit misericordiam. Quamquam & ipsum nouum Testamentum, secundum quod promissa tribuitur charitas & misericordiâ ijs, qui fecerunt misericordiâ, possit per Legem libertatis intelligi, hæc enim misericordiæ & gratiæ Lex est, secundum

Matthai 5:

416 DE CHRISTIANA LIBERTATE
 secundum quam & remissionem peccatorum hæc per
 fructus pœnitentiæ dignos peccator expectat; & ius-
 tus effectus, misericordiam sibi pollicetur ab eo iudi-
 ce, de quo scriptum est: Qui coronat te in misericordia
 & miseratione. Verus verò Testamētum, Lex erat ius-
 titiæ & seruitutis, pœnas sine misericordia graues de-
 pascens, si Legem non seruassēs, neque vllum præbens
 satis efficax remedium ad conciliandam sibi iudicis
 misericordiam, si fortè, vt est humana fragilitas, deli-
 quisses. Vnde beatus Augustinus ad illud Psal. 129.
 Propter Legem tuam sustinui te Domine: Quam, in-
 quit, legem? quæ reos facit? data est enim Lex sancta,
 iusta, bona, Iudæis; sed reos eos potuit facere: non da-
 ta est Lex quæ posset viuificare. Lex data est quæ ter-
 reat & constringat in reatum: & non soluit Lex à pec-
 catis; sed ostendit peccata. Est ergo Lex miseri-
 cordiæ Dei, Lex propitiationis Dei. Illa timoris fuit.
 Est alia Lex charitatis, quæ delet præterita, admonet de
 futuris. In ipsis monitis, si quid fortè titubauero, dedi-
 sti remedium, quo te orem, dicens: Dimitte nobis de-
 bita nostra, sicut & nos dimittimus. hanc legem sta-
 tuisti mihi, vt quomodo dimitto, dimittatur: & inui-
 uicem onera portando, adimpleatur Lex Christi. hæc
 itaque Lex est libertatis, secundum quam sustinentes
 atque expectantes Domini misericordiam, de pecca-
 tis nostris ac necessitatibus liberamur.

CAPVT X.

*Liberine fuerint veteris Testamenti sancti, qui Iudaicæ
 Legis ceremonias obseruare tenerentur.*

Hoc igitur satis, quantum arbitror, docuimus,
 minimè Christianam aut impediri aut immi-
 nuï libertatem, quòd diuinæ Legis vinculis ac obli-
 gatione tenamur. quin potius hominis animum, tum
 verè

verè liberum fore, cum, quod faciendum esse ex diui-
 na Lege perspexerit, id alacriter atque hilariter faci-
 dum suscipiet. Neque verò aberit ab hominibus bea-
 tis, vt nec modò ab Angelis sanctis abest, felicissima
 parendi necessitas, quæ ex æterna & incommutabili
 Dei Lege oriatur. Atqui dubium non est, eos qui beati
 sint, perfectissima suauissimaque libertate frui. Ve-
 rùm illud non immeritò moueat, quod de veteris Te-
 stamenti sanctis proponitur, fuerintne vera eis libertas
 Christiana, cum variarum adedò multipliciumque cæ-
 remoniarum iugo premi viderentur? Quòd si supe-
 rioribus aliquid effectum est, iam hæc quoque ad exi-
 tum perducta quæstio est. Cur enim hac caruissent
 libertate, qui Legem sanctam & vtiliter institutam,
 illis que temporibus congruentem, obedienti & alacri
 voluntate seruarunt; præsertim qui non essent ignari,
 quid rerum in Christo & in Ecclesia futurarum; om-
 nis illa Sacramentorum varietas præsignaret? Qui-
 bus & agendis & contemplandis cum vtiliter, magna-
 que cum voluptate futurorum fidem exercerent, ea
 profectò ex parte nihil potuere perpeti seruitutis. Nā
 alterum quidem quòd seruitutem affert iis qui inuiti
 grauatimque faciunt quod iis vtiliter & legitime præ-
 cipitur, longè fuit ab illis alienum, qui eo tempore ius-
 titiæ luce fulserunt. Sed ea demum est miserabilis
 animæ seruitus (inquit Augustinus) signa pro rebus
 accipere, & supra creaturam corporeā oculum men-
 tis ad hauriendū æternum lumen leuare nō posse. Et
 ad nostram nūc quidem pertinet libertatem, nō modò
 quòd remissis peccatis, Dei præcepta non timore; sed
 amore; non spe terrenorum, sed cælestium faciamus;
 verumetiam quod abstulit nobis Christus grauissi-
 mum illud multarum obseruationum iugum, ne car-
 naliter circumcidamur, ne pecorum victimas immo-
 lemus, ne Sabbatho septeno dierū volumine redeūte,
 d ab

ab operibus etiam necessariis quiescamus, & cetera eiusmodi: sed ea spiritualiter intellecta teneamus; remotaque umbris significantibus, in rerum ipsarum quæ significantur luce vigilemus. At ij qui Lege data vixere sancti, quos idem qui nobis datus est fidei ac dilectionis Spiritus, verè liberos faciebat, propter ipsius temporis statum, carnalemque hominum multitudinem, quam tali multiplicium obseruationum iugo conueniebat edomari, ipsas quoque illas umbras obseruatione tenebant; tantum hinc interim liberi præ cæteris, quanto magis & quid futurum significaretur, spiritu Prophetico prospiciebant; & propter mediatoris certam expectationem, læti atque alacres umbris ipsis gestandis temporis seruebant. Siue igitur Abraham, siue ante illū iusti, siue post eum vsque ad ipsum Moysem, per quem datum est testamentum à monte Sina in seruitutem generās, siue cæteri Prophetæ post eum, & sancti homines Dei, vsque ad Ioannem Baptistam; filij sunt promissionis & gratiæ, secundum Isaac filium liberæ, non ex lege, sed ex promissione hæredes Dei, cohæredes autem Christi. Absit enim vt Noë iustum, & prioris temporis iustos, & quicumque ab illo vsque ad Abraham iusti esse potuerunt, vel conspicui, vel occulti, negemus ad supernam Ierusalem, quæ mater nostra est, pertinere: quamuis anteriore tempore inueniantur esse quàm Sara, quæ ipsius liberæ matris prophetiam figuramque gestabat. Quanto euidentius ergo post Abraham, cui sic declarata est ipsa promissio, vt pater multarum gentium diceretur, quicumque Deo placuerunt filij promissionis habendi sunt? Non enim ex Abraham & deinceps iustorum generatio verior, sed Prophetia manifestior reperitur. Ad Testamentum autem vetus, quod est à monte Sina in seruitutem generans, quod est Agar, illi pertinent, qui, cum acceperint Legem sanctam & iustam, & bonam, putant

sibi

sibi ad vitam literam posse sufficere. Et ideo quo fiunt factores Legis, diuinam misericordiam non querunt: sed ignorantès Dei iustitiam, & suam iustitiam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Ex hoc genere fuit illa multitudo quæ aduersus Deum in Eremito murmurauit, & idolum fecit: & illa quæ etiam in ipsa terra promissionis fornicata est post deos alienos. Sed hæc quoque in ipso vetere Testamento valde reprobata est multitudo. Illi etiã quicumque ibi erant, sola quæ ibi Deus pollicetur terrena promissa sectantes, & quid pro nouo Testamento ea ipsa significant ignorantès; eorum adipiscendorum amore, & amittendorum timore, Dei præcepta seruabant: imò non seruabant; sed sibi seruare videbantur. Tales erant filij terræ Hierusalem, de qua dicit Apostolus: Seruit enim cum filiis suis, pertinent ad Testamentum vetus à monte Sina in seruitutem generans, quod est Agar. Ex ipso genere fuerunt, qui Dominum crucifixerunt, & in eadem infidelitate manserunt. Inde sunt adhuc etiam filij eorū ingenti multitudine Iudeorum, quamuis iam nouo Testamento, sicut prophetatum est, per Christi sanguinem patefacto atque firmato; & à flumine vbi baptizatus magisteriumque professus est, vsque ad terminos terræ Euangelio diffamato. Quæ Iudæi secundum prophetias quas legunt, per omnes sunt tetras vbique dispersi: vt ex eorū quoque codicibus Christianæ non desit testimonium veritati. In hac carnalium hominum vniuersitate; illa est multitudo quam præfigurabat Esau maior natus filius, de quo scriptum est, Maior seruiet minori. Acceperunt ambo de rore cæli, & de pinguedine terræ, Iacob & Esau: vt autem ei seruirent gentes, non accepit nisi Iacob. Carnales enim per vniuersum mundum, seruiunt spiritualibus; non spirituales, carnalibus. quia de his deficientibus, illi proficiunt. Et si enim quod nolunt faciunt,

d 2

prodest

prodest tamen spiritualibus mala conuersatio carnalium: cuius & considerata turpitudine, magis ad boni honestiq. studiū inardescūt, & toleratione coronātur.

CAPVT XI.

Veteris Testamenti sanctos non fuisse liberos beneficio veteris Testamenti, sed noui.

QUIA verò veteris Testamenti sanctos vera diximus præditos fuisse libertate: quæri potest cuius beneficio Testamenti illam fuerint consequuti libertatem. Nam vetus quidem ipsum Testamentum, quod in seruitutem dicitur generasse, nihil præstabat eorum quæ liberum queant efficere; siue Legem spectaueris duabus illis tabulis inscriptam, Deiq. digito exaratam; siue Spiritum eum, quo imbuebat eos quos peperisset; siue innumeras propè cæremonias, in magna sacrificiorum varietate constitutas. Et quod ad ipsum in primis attinet Decalogū, per eum quidem esse potuit cognitio peccati: sed vt ipsi obedientia, vera peccati declinatione præstaretur, id efficere nullo modo potuit. At qui veram hominis libertatem sine obedientia & impletione Legis diuinæ consistare non posse, hæcenus docuimus. Iustificabat ipsa quidem Lex obedientem sibi. Quis enim dicat non iustificari eos qui Legi obtemperant? Sed quia Legis sola cognitio in natura vitata & infirma non pariebat obedientiam, idcirco nec iustitiam cuiquam afferebat. Quocirca per Prophetam de ipso quoque Decalogo dictum est à Domino: Dedi eis præcepta non bona, & iudicia in quibus non viuunt: tum quòd non eos præcepta & cognita facerent bonos: tum quia etiam bonæ Legis occasione, deteriores sua prauitate euaderēt. Nam peccatum, inquit Apostolus, occasione acceptæ per mandatum, seduxit me, & per illud occidit. Itaque

Lex

Lex quidem sancta, & mandatum sanctum, & iustum & bonum. Quòd ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit, sed peccatum, vt appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem: vt fiat supra modum peccans peccatum per mandatum. Scimus enim quia Lex spiritualis est, ego autè carnalis sum, venundatus sub peccato. Tātum igitur abest vt Legis cognitio sola faceret liberos, vt grauior sub peccato seruitus, Lege cognita nasceretur. Neque verò spiritus ipse, qui ex veteri propriè Testamento concipiebatur, quemquam efficere liberum potuit. Siquidem timoris erat ille spiritus, non amoris. Ad quem duris populi cordibus incutiendum, terrifica in monte omnia diuinitus comparata fuere, fumus ingens, ignis, tonitrua: & hæc in deserto, terraque aliena & barbata. Mons quoque ipse tanta seueritate Legis non attingendus; vt si vel bestia tetigisset montem, lapidibus obrui oporteret. Denique sic erat quod cernebatur terribile, vt dixerit

Hebr. 12.

Moyses: Exterritus sum & tremebundus. Sed per hæc concepto duntaxat metu, quo voluntas iniqua non sanaretur, sed premeretur, serui discedebant: qui ea quæ præcepta cognouerant Dei Lege, non tam implerent, quàm implere se propter metum vindiçæ simularent. Iam sacrificia ipsa tam multa, quid ad libertatem veram, quæ est à peccatis, conducebant? nihil omnino per se ipsa. Quòd luculentis verbis Propheta declaras, Quid est, inquit, quòd dilectus meus in domo mea fecit scelera multa? Nunquid carnes sanctæ auferent à te malitias tuas in quibus gloriata es? Quòd obrem illa quæ per sacrificia pecorum fieri dicitur expiatio peccatorum, quatenus ad vetus Testamentum pertinet, tota umbratica est, non vera; & species atque imago iustificationis, non veritas: quemadmodum diuus Ambrosius ait sermone duodecimo in Psalmum centesimum decimum octauum, Et rursus sermone decimo-

Hier. 11.

d 3

nono,

Ezech. 20.
Aug. epist. 19.
ad Hieron.

Eum. 7.

nono, Vmbra est, inquit, non veritas: vt cum fiat oblatio pro peccatis secundum Legem, non fiat remissio peccatorum. Lex enim per Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum. Itaque illius umbraticæ expiationis ij quoque participes erant, qui in seruitutem generati, veterisque Testamenti filij, veræ sanctificationis nondum capaces euaserant. Quæ quidem sanctificatio, cum nisi per Christi mediatoris sanguinem acquiri non posset, nouo Testamento adscribenda est, non veteri. Impossibile enim est (ait beatus Apostolus) sanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Ideo ingrediens mundum, dicit: Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aprasti mihi. holocaustomata & pro peccato, non tibi placuerunt. tunc dixi, Ecce venio. In capite libri scriptum est de me, vt faciam Deus voluntatem tuam. Superius dicēs: Quia hostias & oblationes & holocaustomata & pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, quæ secundum Legem offeruntur: tunc dixi, Ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam. Aufert primum, vt sequens statuatur. In qua voluntate sanctificati sumus, per oblationem corporis Iesu Christi semel. Igitur ex nouo Testamento, omnis illa fuit sanctis veteribus libertas. inde enim vera Legis obedientia, inde spiritus fidei & dilectionis, inde vera remissio peccatorum, atque expiatio conscientiae ab operibus mortuis ad seruiendum Deo viuenti. Etenim hoc interest inter vetus nouumque Testamentum, quod Lex ibi in tabulis, hic in cordibus scribitur: vt quod illic forinsecus tenet, hic delectet intrinsecus: ibique fiat homo prauaricator Legis per occidentem litteram, hic dilector atque obseruator per viuificantem Spiritum. Quia hoc est Testamentum quod disponam domui Israel post dies illos (dicit Dominus) Dabo Leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribam eas, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi

in populum: & non docebit vnusquisque proximum suum, & vnusquisque fratrem suum, dicens; Cognosce Dominum: quoniam omnes scient me à minore vsque ad maiorem eorum, quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum iam non memorabor. Dicendo autem Nouum (inquit beatus Apostolus) inueterauit prius. Quod autem antiquatur & senescit, prope interitum est. Atque ad hoc Testamentum pertinet imprimis sanguis ille pretiosus Agni immaculati Christi, per quem nobis illa promissa donantur, ipsamque adeo confirmatur nouum Testamentum. Quod licet fuerit manifestatione posterius, vt propterea dicat Apostolus, veniente nouo prius veterascere atque aboleri oportuisse: tamen re ipsa fuit prius, perque Mediatoris mortem, quæ in oculis Dei præfens fuit semper, quotquot verè vnquam liberi fuerunt à peccati & diaboli seruitute, vera ipsorum iustificatione liberauit. Neque vnquam potuit captiua voluntas (vt diuus Augustinus ait) sine hac Dei gratia, nouo iam inde à lapsu promissa Testamento, in salubrem respirare libertatem. Idcirco etiam illud verus, hoc nouum appellatur Testamentum; vetus quidem illud, propter veteris hominis noxam, quæ per litteram iubentem & minantem minimè sanabatur: hoc autem nouum, propter nouitatem Spiritus, quæ hominem nouum sanat à vitio veteris, eoque ipso donat veræ gratiam libertatis. Si autem quæras quibus verbis illa veræ libertatis gratia fuerit à Deo promissa iam inde à principio; in promptu sunt illa in Genes. verba, quibus Serpenti dicitur: Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius: ipsa conteret caput tuum: siue, vt Septuaginta legunt, ipse qui est semen, vel ipsum semen: quomodo nonnullis in codicibus inuenitur. Quid autem est per semen conteri caput serpentis, nisi nos per Christum è femina ortum,

Lib. 4. ad Rom.
n. fac. cap. 3.

de seruitute peccati & diaboli liberari? Repetita est & Abrahæ hæc ipsa noui Testamenti promissio, cum ei dicitur: In femine tuo benedicentur omnes gentes. Non ait, in feminibus, quasi in multis, inquit Apostolus; sed quasi in vno, & semini tuo qui est Christus. Itaque quotquot vnquam iusti fuerunt, sicut filij fuerunt noui Testamenti, etiamsi viuerent tempore Testamenti veteris; ita quoque iidem omnes verè fuerunt per Christum liberi, etiamsi viueret tempore seruitutis. hoc enim libertatis bonum, per fidem in venturum Christum consequebantur: sicuti modò nos eam consequimur per fidem qua eundem mediatorem credimus aduenisse. Quæ cum ita se habeant; quis dicat quod olim Pelagiani Catholicos dicere iactabant, Spiritum sanctum adiutorem virtutis in veteri Testamento non fuisse? nisi cum vetus Testamentum (inquit Augustinus) sic intelligimus, quemadmodum Apostolus dixit: A monte Sina in seruitutem generas. Sed quia in eo præfigurabatur nouum; qui hoc intelligebant tunc homines Dei, secundum distributionem temporum, veteris quidem Testamenti dispensatores & gestatores, sed noui demonstrantur hæredes. An verò illum ad Testamentum nouum negabimus pertinere, qui dicit: Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis? Aut illum qui dicit: Posuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos, & immisit in os meum canticum nouum, hymnum Deo nostro? vel illum ante Testamentum vetus, quod est à monte Sina, patrem fidelium; de quo dicit Apostolus: Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius? nõ dicit, & seminibus, tanquam in multis; sed tanquam in vno, & semini tuo, quod est Christus. Hoc autem dico, inquit, Testamentum confirmatù à Deo, quæ post quadringentos & triginta annos facta est lex, non infirmat ad euacuandam promissionem.

Lib. 3 ad Ro-
m. cap. 4.

nem. Si enim ex Lege hereditas, iam nõ ex promissione. Abrahæ autem per promissionem donauit Deus. Hæc certè si quæramus vtrum hoc Testamentum, quod dicit confirmatù à Deo, nõ infirmari à Lege, quæ post quadringentos & triginta annos facta est, vtrum nouum an vetus intelligendum sit? Quis respondere dubitet, nouum? sed in Propheticis latebris occultatum, donec veniret tempus, quo reuelaretur in Christo? Nam si dixerimus, vetus; quid erit illud, à monte Sina in seruitutem generas? Ibi enim facta est Lex post quadringentos & triginta annos. Qua Lege hoc Testamentum promissionis Abrahæ infirmari non posse, confirmat: & hoc quod factum est ad Abraham, vult potius ad nos pertinere, quos vult esse filios libera, non ancillæ; hæredes ex promissione, non Lege, cum dicit: Si enim ex Lege hereditas, iam non ex promissione. Abrahæ autem per promissionem donauit Deus: vt quòd facta Lex est post quadringentos & triginta annos, ad hoc subintrauerit, vt abudaret delictum, cum per peccatum præuaricationis conuincitur hominis superbia, de sua iustitia præsumptis. Et vbi abundasset delictum, superabundaret & gratia, per fidem iam humilis hominis in Lege deficientis, & ad Dei misericordiam fugientis.

CAPVT XII.

*Sine discriminis aliquid constituendum inter libertatem
Christianam & Euangelicam.*

SVNT autem qui inter Christianam & Euangelicam libertatem putent aliquid ponendum esse discriminis; vt Christiana quidem libertas, quæ sit à peccato & à diabolo, omnium fuerit temporu ex quo redimi per Christum cœpere homines, perque eius sanguinem iustificari; quibuscunque interim illi pro ratione

tionem temporum legibus & institutis tenerentur ob-
 stricti. Evangelica verò libertas, Christiana huic ad-
 dat exsolutionem ab illo graui Mosaicæ Legis iugo:
 neque esse proinde cœperit, nisi manifestata gratia
 noui Testamenti, veterumque figurarum impletis
 vmbri, eaque ipsa ratione mortuis quodammodo,
 propterea quòd vim obligandi non haberent. Atque
 hæc est proculdubio Evangelica libertas, si eam intel-
 ligimus Evangelicam, quam sunt affecti fideles, Eu-
 angelio passim palamque in orbe terrarum prædicato
 & diuulgato, quæque per Euangelium iam adesse cre-
 dentibus in Christum, & per baptismum in eius corpus
 transeuntibus prædicabatur: quæ & ipsa proculdubio
 Christiana est. Quis enim nisi Christus veteris insti-
 tuti significationes impleuit, implendoque remouit?
 sed latius patet Christiana libertas. Et ideo qui hoc
 sequuntur discrimen, sanctos illos qui Testamenti
 veteris tempore vixerunt, liberos quidem aiunt fuisse
 Christiana libertate; sed non Evangelicam, quã, veniens
 in mūdum Christus, tum primū Euangelij sui ma-
 nifestatione reduxerit. Si tamen Evangelicam liberta-
 tem dicere libuerit eam quæ per Euangelium annun-
 ciatur & offertur hominibus, cum prædicatur Iesus,
 id est, Mediator ille Dei & hominum, qui saluum fa-
 cit populum suum à peccatis eorum: & hoc ita quidē,
 vt vel iam venisse, vel adhuc venturus esse nūcietur:
 rum & illi ipsi veteris Testamenti sancti, & quotquot
 à lapsu verè iusti effecti sunt, Christiana & Euangeli-
 ca libertate præditi fuere. Nam & tunc proponebatur
 atque annunciabatur (quamuis parcius & obscurius)
 salus & vera libertas per Christum, si in eum venturū
 crederetur. Neque verò multum interest, siue hoc, si-
 ue illo dicatur modo, quando loquendi varietas, nul-
 lam rerum aduersitatem inducit. Quamquam oritur
 occasione hac, illa quæstio: minū sine illi veteris Testa-
 menti

menti sancti homines liberi fuerint, quàm iusti noui
 Testamenti? Nam liberos quidem vtrosque fuisse illa
 quæ est à peccato & à diabolo seruitute, nullum est du-
 bium; quoniam vt iustitia, ita libertas vera vtrique tem-
 pori communis est. Sed cum hoc ita esse constet inter
 omnes, in eo controuersia est nonnulla, quòd quidam
 vtriusque temporis iustos æquè liberos fuisse conten-
 dant: propterea quòd Legis necessitas quantacunque
 sit, quando Lex ipsa iusta est, & vtilis eius obseruatio,
 eique obedientia vltro defertur, non autem extorque-
 tur metu, nihil omnino faciat ad seruitutem. Alioqui
 & ipsos quoque noui Testamenti iustos, aliquam esse
 dicendos pati seruitutem in suis legibus, quæ variæ,
 multæque sint, & interdum etiam graues & molestæ.
 At è diuerso alij maiorem hoc tempore ruentur esse
 libertatem: eo quòd præter Christianam, obtineatur
 etiam Evangelica libertas, per quam pro multis ob-
 seruatu difficillimis Sacramentis, pauca, sicut ex Au-
 gustino memoratum est, facta facilia, & obseruatione
 factiora, & significatione clariora accepimus. nec si-
 gnorum (inquit) illorum quæ iam intelligimus opera-
 tione graui, onerati sumus. In qua quidem me senten-
 tia magis esse profiteor: non quòd legum illa inuiola-
 bilis necessitas, libertatem minuat Christianam, aut
 Evangelicam: sed quòd vmbatica illa tam multa, &
 onerosa obseruatio ceremoniarum Legis veteris, quã-
 nis & ratione præcepti bona, & propter significationē
 sancta & pia, fideique vtile exercitium continens: ta-
 men, quia per se ipsam minū congruens spiritualibus
 animis, pleniorē hanc libertatem, quæ est tempore
 noui Testamenti, non habebat. Et quamuis nō exclu-
 debat vitæ spiritualis officia, tamen maluissent spiri-
 tuales illius ætatis homines, si ita tulisset ratio tempo-
 ris, in ipsis rebus quæ significabantur contempladis,
 sine eiusmodi vmbatica, & per se ipsam onerosa ob-
 serua-

Cap 9 lib. 9.
 de doctrina
 Christiana.
 videtur Au-
 gust. circa mi-
 tū epist. 118.
 ad Iulianum.

seruatione versari. Quis enim spiritualium Sacerdotū aut Leuitarum, non maluisset hoc nostro Sacrificio uti, eiusque ministerio exerceri, quàm tot pecudū carnificina & laniena, aut detrahendarum pellium distineri labore? Neque enim de nihilo est quod diuus Augustinus ait, nostra hæc obseruatione esse castiora, & significatione augustiora. Minus certè per illa pietas interior excitabatur ac promouebatur, quàm per hæc nostra. Quamuis & ex illis, propter significationē quam gerebāt, spiritualem vtilitatem ex fide sua colligerent sancti Dei homines. Sed quantum ad ipsos propriè pertinet, aptius, & ad fructum spirituales accommodatius fuisset eadem significatio aliis in rebus, quàm in crassioribus illis & molestioribus exercitiis collocata. Sic igitur agebant illa rudimenta puerorū, ad pietatem veram informandorum, quomodo prorektor aliquis, aut præceptor ipse, ad altiora magis idoneus, in scholis præceptisque Grammaticis cum teneriore exercetur ætate, hoc molestiæ magis propter alios suscipiens, quàm quod aptam illic habeat ingenio suo & eruditioni palæstram. Siquidem illa, carnalibus edomandis propriè imposita, & quæ per se ipsa nihil erant, sicuti beatus Apostolus loquitur, cum ait; Circumcisio nihil est, & præputium nihil est; minus profectò spiritualibus animis congruebant: quibus ea de causa, propter alios, quorum in societate viuendum erat, quædam in illis obseruandis, perferenda erat cōmunis molestia seruitutis. At Euangelicum institutū, & lenius est per se ipsum multo, & per omnia spiritualibus aptius. quippe quod ad eos peculiariter accommodatum sit, qui in ipsa, quæ prius adumbrabatur, veritatis luce versentur. Id quod est intelligendum non de iis modò quæ Christus ipse principio instituit per se ipsum: sed de his etiam quæ postea per suos ministros progressu temporum, prout Christianorū popu-

pulorum

pulorum poscebat vtilitas, adiungenda putauit. Nam & ieiuniorum & festorum frequentia, quibus magis quàm spiritualibus apta est: quorum & frigidæ carnis studium, & pia illa ab externis vacatio propria sit? Non igitur in hac causa differentiam facit maior vel minor ex lege parendi necessitas, sed ipsa conditio & qualitas legis: quæ quàm sit apta iis quibus præscribitur, id potissimum in hac disputatione attendendum esse arbitramur. Accepit ergo (inquit Augustinus) ille populus Legem digito Dei scriptam, in tabulis sanè lapideis, ad significandam duritiam cordis illorum qui legem non erant impleturi. Corporalia quippe dona, desiderantes à Domino, magis carnali timore, quàm spiritali charitate tenebantur. Legem autem nō implet nisi charitas. Ideo multis Sacramentis visibilibus onerati sunt, quo serui iugo premerentur in obseruationibus ciborum, & in sacrificiis animalium, & in aliis innumerabilibus: quæ tamen signa erāt rerum spiritualium, ad Dominum Iesum Christum, & ad Ecclesiam pertinentium; quæ tunc à paucis sanctis & intelligebantur ad fructum salutis, & obseruabantur ad congruentiam temporis: à multitudine verò carnalium tantummodo obseruabantur, non intelligebantur. Et rursus libro de vera Religione capite 17. Quoniam, inquit, pietas timore inchoatur, charitate perficitur; populus timore constructus tempore seruitutis in veteri Lege multis Sacramentis onerabatur. hoc enim talibus vtile erat, ad desiderandam gratiam Dei, quæ per Prophetas ventura canebatur. Quæ vbi venit, ab ipsa Dei Sapientia homine assumpto, à quo in libertatem vocati sumus, pauca Sacramenta saluberrima constituta sunt, quæ societatem populi Christiani, hoc est, sub vno Deo liberæ multitudinis continerent. Multa verò quæ populo Hebræo, hoc est, sub eodem vno Deo compedita multitudini erant imposita,

Cap. 2. lib. 8.
caus. rudibus.

DE
CHRISTIANA
LIBERTATE
LIBER NONVS.

PROOEMIUM.



QVONIAM id iam satis demonstra-
tum arbitror, cum libertate Chri-
stiana minimè pugnare, quòd diuinis
Legibus, non naturalibus modò, ve-
rumetiam positiuis, seu, vt loquitur
Bernardus, factitiis, non dubitemus
obtemperandum esse: illud iam ordine video esse ca-
nendum, ne superiorum hominum leges atque con-
stituta, siue illi Ecclesiastici sint, siue seculares, siue
priuatorum familiarum domini, siue multarum pro-
uinciarum Principes, libertati Christianæ quicquam
detrahere videantur.

CAPVT I.

*Non eo ladi Christianam libertatem, quòd superiorum
hominum preceptis parendum sit.*



PRINCIPIO autem pudeat existimare
quemquam, qui se velit esse atque haberi
Christianum, hoc quod gentilis Ora-
tor ad euerfionem Reipublicæ valere per-
spexit. Non solum enim ciuitatem suam legibus
generi dixit: sed hoc, inquit, vinculum est ciuitatis hu-
jus qua fruimur in Republica, hoc fundamentum li-
bertatis: hic fons æquitatis, mens & animus & consi-
lium

*Cicer. in Orat.
pro Auh.
Cluent.*

430 DE CHRIST. LIBERT. LIBER VIII.
fita, ab actione remota sunt, in fide atque interpreta-
tione manserunt. Ita nunc nec seruiliter alligant, &
exercent liberaliter animum. Hæc Augustinus, do-
cens perspicuè seruire esse, talibus tamque multis &
difficilibus Sacramentis alligari; etsi id vtile quibus-
dam fuerit: liberale verò esse, in eorum contempla-
tione atque intelligentia exerceri. Docuerat hoc antea
diuus Ambrosius, cuius in Lucam libro 7. verba sunt
eiusmodi: Itaque, inquit, antè superfluis obseruatio-
nibus vani & inani leuitate volitantes; nunc iam per
fidem Christi soluti manus, & liberi à vinculis Saba-
thorum, bonis operibus intendimus, & in ipsis epulis
libertatem habemus: intemperantiam excludimus,
ne liberi à Lege, cupiditatibus seruiamus. Lex enim
ligauit sibi, vt absolueret cupiditatibus: gratia, quæ
minorem abstulit seruitutem, multo grauiora præcep-
pit. Omnia nobis licent, sed non omnia expediunt.
Desiste esse sub Lege, vt virtute supra Legem sis. Hæc
Ambrosius. Sed hætenus diuinarum Legum vincula
non impedire per seipsa Christianam libertatem, de-
monstrasse atque explicasse sufficiat.

Cap. 23.

[Faint, mostly illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

lium & sententia ciuitatis, posita est in legibus. vt corpora nostra sine mente, sic ciuitas sine lege, suis partibus & neruis ac sanguine & membris vt non potest. Legum ministri, magistratus: legum interpretes, iudices: legum denique idcirco omnes serui sumus, vt liberi esse possimus. His ille verbis planissimè Republicam sine legibus constare negauit, & iis esse acquiescendo seruièdum dixit, si frui vera libertate vellemus. Et hoc ille dixit, qui erat alioqui amantissimus libertatis: nec ei venire in mètem potuit, eam demum veram esse libertatem, nullis legum vinculis teneri: sed in Republica, imò verò in turbulentissima confusione morum, quod libeat agere, & vitam instituire pro sua libidine: suam cupiditatem, dominam; suum iudicium, legem habere. Democrito quidem Damassippi filio, qui mundum asseruit infinitum, adscribit Epiphanius & hoc, quòd legum lationem improbarit, malamque excogitationem esse dixerit. Sapientem enim nò debere legibus obtemperare, sed liberè viuere. At falleris Democrite, falleris. Nò hæc libertas est, sed perditissima licentia, corruptela morum, euersio ciuitatum, societatis humanæ disruptio, certissimaque perniciis. Ideoque nec paterno iam imperio se coerceri perditus filius sustinēs, Sine, inquit, pater, meo me nunc morè viuere. Hanc ille, iuuenili calore feruescens, licentiam expetebat, qua fieret quicquid liber. Inde quoque illi erant mores, de quibus apud Plautum:

Nunc mores nihil faciunt, quod licet, nisi quod lubet.

Ambitio iam morè sancta, libera est à legibus:

Mores leges perduxerunt in potestatem suam;

Ea misera iam ad parietem sunt fixa clauis ferreæ

Vbi malos mores affigi nimio fuerat æquus.

Sic ille tempore suo. Ad id verò nunc hoc etiam accessit malum, vt quidam sic esse oportere quasi via & ratione doceant: nec scripturas sanctas, licet reclamantes,

tes, ad suum detorquere vereantur institutum; Christianam, si superis placet, prætexentes libertatem: neque aduertunt, propter eiusmodi homines scriptum esse, ne habeamus velamen malitiæ libertatem. Quales etiam Iudæ Thaddæi notat epistola, tanquam Domini nostri gratiam in luxuriam transferrent, vnde & hoc eueniebat vt, quemadmodum ait, dominationem spernerent, ac maiestatem blasphemarent: siue, vt alij reddiderunt clariùs, in potestate præditos maledicta congererent. Itaque fuisse iam tunc apparet tumultuosos homines qui Anarchiam quærerent, vt soluti legum metu, peccarent liberiùs: fereque hæc duo coniuncta sunt, vt qui proiecti sint ad nequitiam, simul omnem ordinem abolitum esse velint. Et quoniam vetus hic error subinde recrudescerebat, exstat etiã in Concilio Gangrensi Canon tertius, eiusmodi expressus verbis: Si quis seruum prætextu diuini cultus, doceat dominum contemnere proprium, vt discedat ab eius obsequio, nec ei cum benevolentia & omni honore deseruiat; anathema sit. Fuerunt & hac ætate fanatici homines (quorum etiamnum haud obscura semina durant) qui non tantum fremerent cohiberi se Magistratum imperiis, verum etiã furiosè aduersus omnem politiam declamarent, ius gladij prophanum, pietati que contrarium esse affirmantes; talesque se Libertinos vocauerunt: qui, cum spreto communi sermone, exoticum nescio quod idioma sibi fingerent, stiloque magniloquo verborum ampullas efflarent, postquam visi sibi essent auditores suos supra cælum rapere, in beluinos repente mores procidebant.

Principi seculari obediendam esse, nihil obstante Christiana libertate.

V autem de seculari Principe primùm breuissimè dicamus: si libertati Christianæ repugnat quæ illi præstanda obedientia sit; cur hanc Apostoli suis literis toties commendarunt iis hominibus quos iam Christus libertate donarat? Omnis anima, inquit Paulus, potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi à Deo. Quæ autè sunt, à Deo ordinatæ sunt. Ita .j. qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: siue quia superioris potestatis præceptu sit Dei ordinatio, cuius ille vice ac potestate in terris fungitur, minister enim Dei est, vindex in irâ his qui malè agunt: siue quia hoc Deus instituit atque ordinauit, vt essent alij superiores qui regerēt, alij inferiores qui obedierent madata susciperent. Qua Dei ordinatione, vsq. modò genus conseruatur humanū. Nam neq. sibi ad sui moderationem sufficit incòdita multitudo: neq. in vllam morum concordia societatisve politam compagē coalescere sine principe posset. Eam ob causam, qui leges primi tolerūt, iure laudantur: quòd homines incredibili morū varietate dissipatos, in societate vitæ conuocarunt, viresq. & respublicas còdiderunt. Neq. tamè hæc in eam partem accipi volo, vt inter varias administrandæ Reipublicæ formas, requirere Monarchiã videar vt necessariã. tamen si hanc Aristocratia, quæ per optimates geritur pauco, iure quidã anteposuerint: vt etiã democratia seu popularè administratione vt pessimã reiecerūt: propterea quòd ipsa promiscua multitudo non ratione, non consiliū, non discrimen, nõ diligentiam habet, facileq. quemadmodū Poëta canit,

Scinditur incertum studia in contraria vulgus.

Verùm hinc nos interim, illa omnia disputatione, præfecturam duntaxat, tribunal, legesq. quibus parendum sit, requirimus: iisque obtemperari citra Christianæ

Christianæ libertatis iniuriam, propositū est cõmonstrare. Pulchrè verò declarat Chrysostronus Principū in republica necessitatē, homil. 6. ad populū Antiochenū, cui titulus est, Quòd vilis sit Principū timor. quo loco inter cætera, Si iudicialia, inquit, sustuleris tribunalia, omnem vitæ nostræ ordinē sustulisti. & sicut, si gubernatorē à nauī separaueris, scaphã submersisti; & si ducē ab exercitu abducas, victos hostibus tradidisti milites: ita si principes de ciuitatibus abstuleris, feris irrationabilibus magis irrationabilè degimus vitã. Et infra: Quod in domibus, ait, faciūt lignorum cõtignationes: hoc Principes in ciuitatibus. & sicut, si illas sustuleris, dissoluti parietes per se corrunt: sic & si ex mundo principes tollas, eorumq. metum, & domus & ciuitates & gentes cū multa inter se licentia corruent, nemine existente qui cõtineat, & repellat, & pœnã timore quiescere persuadeat. Hactenus Chrysostronus. Qui igitur hunc esse voluit tam necessarium in rebus humanis ordinē Deus, vt alij præessent aliis: idè sicut à Superioribus prudentiã & vigilantiam in salutē subditorum; ita ab iis qui subessent obedientiam, ad totius communitatis stabilitatem postulauit. Siquidem aut frustra est, aut etiam nulla est præfectura, cui non debetur obedientia. Idcirco beatus Petrus in epistola; Subiecti, inquit, estote omni humanæ creaturæ; siue Regi, quasi præcellentis; siue ducibus tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem, verò bonorum: Quia sic est voluntas Dei, vt benè facientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam: quasi liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut serui Dei. Tito quoque præcipit Apostolus, Christianos vt admoneat subesse potestatibus. Neque verò in Republica solum subditos Principi, verum etiã in quaque familia seruos dominis, voluit diuina auctoritas obedire. Ex quo illa

Rom. 13.

*Tyranni, vt
est vultu
archus, Mo
narchia tē
perunt, ad
sio vncipiu
Senoria, qui
Regibus vlti
rent: tuc v
populari Pr
ci, auti rep
guntur, tuc
ne per vnu
Tyrannū fiet,
potilique v
suuolunt ma
nereit De
quo vide un
dem in Cle
rome.*

1. Petr. 2.

Tit. 2.

sunt in Apostolicis literis, non hominum, sed Dei madata: Serui obedite dominis carnalibus. Ac ne fortasse quisquam dicat sub bono quidem principe non esse seruilem obedientiam: nimirum iuxta id quod sic Claudianus expressit:

Fallitur egregio quisquis sub principe credit

Seruitium: numquam libertas gratior existat

Quam sub Rege pio.

at citra libertatis amissionem id constare non posse, si & iis obediendum sit dominis, qui deprauatis conspiciantur moribus improbi: Cùm enim (ait Cicero Philipp. 3.) omnis seruitus est misera, tum verò intolerabile est seruire impuro, impudico, effeminato: Hic occurrit alius Apostolus, & seruos sui muneris commonefaciens, ait: Serui subditi estote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam dytcolis. Denique Regum & Principum, licet impiorum, terrenam administrationem, vsque ad eò non inuiti pertulerunt Apostoli, vt etiam pro Regibus adhuc infidelibus, atque pro iis omnibus qui in sublimitate essent constituti, iuberent fundi preces ad Dominum, quo quietam & tranquillam vitam agerēt Christiani, in omni pietate & castitate: Secuti sunt hi Domini sui iudicium; qui non solum milites suos non prohibuit impendere & exhibere quæ debentur Regibus terræ: verum etiam de hoc calumniam sibi molientibus Iudæis, ait: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & Deo quæ Dei sunt. Nonne tributum de ore piscis etiã ipse persoluit? Nonne præcursor eius, militibus regni huius, quid facere deberent pro æterna salute querentibus, non ait: Cingulum soluite, arma projcite, Regem vestrum deserite, vt liberi possitis Domino militare: sed ait: Neminem concusseritis, nulli calumniam feceritis; sufficiat vobis stipendium vestrum. Exstiterunt, inquit Augustinus, Reges Babylonæ, sub quibus illi

ser-

seruiebant, qui ex eorum occasione, commoti quibusdam miraculis, cognoscerent & colerent, ac colli iuberent vnũ verũ Deum, qui condidit vniuersam creaturam. Iussi sunt autem & orare pro iis à quibus captiui tenebantur, & in eorum pace, pacem sperare ad dignandos filios, & domos ædificandas, & plantandos hortos & vineas. Post septuaginta autem annos promittitur eis ab illa captiuitate liberatio: Hoc autem torum figuratè significauit Ecclesiam Christi, in omnibus Sanctis eius qui sunt ciues Hierusalem cælestis, seruituram fuisse sub Regibus huius seculi. Dicit enim & Apostolica doctrina, vt omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit, & vt reddantur omnibus omnia; cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: & cætera, quæ saluo Dei nostri cultu, constitutionis humanæ Principibus reddimus. Quando & ipse Dominus, vt nobis huius sanæ doctrinæ præberet exemplum, pro capite hominis, quo erat indutus, tributum soluere non dedignatus est. Iubentur autem etiã serui Christiani, & boni fideles, dominis suis temporalibus æquanimiter fideliterq; seruire: quos iudicaturi sunt, si vsque in finem iniquos inuenerint: aut cum quibus æqualiter regnaturi sunt, si & illi ad verum Dominum conuersi fuerint. Omnibus tamen præcipitur seruire humanis potestatibus atque terrenis, quousque post tempus præfinitum, quod significant septuaginta anni, ab istius seculi confusione, tantquam de captiuitate Babylonæ, sicut Ierusalem, liberetur Ecclesia. Ex cuius captiuitatis occasione, ipsi etiam terreni Reges, desertis idolis pro quibus etiam persequebantur Christianos, vnũ verum Deum & Christum Dominum cognouerunt & colunt. pro quibus Apostolus Paulus iubet orari, etiam cùm persequerentur Ecclesiam. Sic enim dicit: Obscuro itaque primùm fieri deprecationes, orationes, interpellationes, gratiarum actiones,

1. Tim. 2.

E 3

pro

pro Regibus, pro omnibus qui in sublimitate sunt; vt
 securam & trāquillam agamus vitam cum omni pie-
 tate & charitate. Itaque per ipsos data pax est Eccle-
 sia, quamuis temporalis; & tranquillitas temporis, ad
 ædificandas, spiritaliter domos, & plantandos hortos
 & vineas. Hactenus Augustinus libro de catechizan-
 dis rudibus, cap. 31. Non igitur obstitit quicquam li-
 bertati Christianæ, hæc dominis superioribus parendi
 necessitas: cum in eo maximè sita sit libertas Christia-
 na, vt ordo diuinitus institutus conseruetur. Hoc au-
 tem ordo naturalis mortalium paci accommodatus
 postulat, vt imperanti iusta Principi, & cuius Superio-
 ri, ab inferiori pareatur: vsque adeo vt vir iustus (in-
 quit Augustinus) constitutus etiam sub Rege sacrile-
 go, possit ac debeat, illo iubente, bellare, cinicæ pacis
 ordinem seruans, cui quod iubetur, vel non esse cōtra
 Dei præceptum certum est; vel vtrum sit, certum non
 est; ita vt fortasse reum Regem faciat iniquitas impe-
 randi, innocentem autem militem ostendat ordo ser-
 uandi. Proinde primi temporis Christianorū, etiam
 in ipsis Christiani nominis hostium literis, laus hæc
 reperta est, contra Principum leges nihil eos solitos
 agere, sed obedienter imperata facere, quæ cum pie-
 tate & iustitiâ non pugnant, vt videre est apud Eu-
 sebiū. Nihil enim illi suæ quam attulerat Christus
 libertati detractum esse arbitrabantur, quod Princi-
 pibus sibi viderent obtemperandum esse: cum probe
 intelligerent, non eum obsequium venisse, vt legitimū
 & naturalem rerum ordinem perturbaret, sed vt, qua
 parte erat violatus, instauraret: qua verò adhuc parte
 esset rebus humanis necessarius, confirmaret. Neque
 verò vnquam sunt regna firmiora, aut stabiliōres Ma-
 gistratus, quam vbi iustitiâ & pietas colitur, viuuntq;
 ex Christi liberatoris nostri præceptis à quibus postea
 quam discessum est per fraudes, auaritiâs, libidines,

hæreses;

hæreses; non multo etiam post ipsa regna dilabuntur.
 quemadmodum verissimè Sapiens ait: Iustitia eleuat
 gentem, miseros autem facit populos peccatum. *Prov. 14.*

CAPVT III.

*Quod leges Principum, conscientias subditorum
 obstringant.*

DI X E R I T quispiam, faciendum quidè esse quod
 illi præceperint, ob vindictæ metum: quam sibi
 nullus suæ temeritate debeat accersere. Verum vt li-
 hera sit à Legis vinculis conscientia, id Christianæ li-
 bertatis beneficium postulare. Proinde cum imperabi-
 tur fore clam aut impudè auferendum, si tunc contra
 Legem quippiam designetur, nihil id coram Deo pec-
 cati habiturum esse. Verum hoc qui dicit, parum con-
 siderat quod Apostolus scribit, eos qui potestati resi-
 stunt, diuinæ ordinationi resistere. quo loco, sine du-
 bio, potestatem, pro superiore posuit auctoritate, quæ
 præcipiendi ius habet, cuique obedire laudabile sit.
 Nam diuina permissio seu concessio, quæ nomine po-
 testatis interdum significata est, velut cum dicitur Pi-
 lato: Non haberes potestatem in me vllam, nisi tibi *I. Ioh. 19.*
 datum esset desuper. & alio loco Iudæis: Hæc est hora *Luce 22.*
 vestra, & potestas tenebrarum; quam potestatem ad-
 nocendum non semper accipiunt mali, etsi nocendi
 voluntas non desit: Accipiunt autem interdum, secun-
 dum occulta Dei consilia, vel ad probationem fortium,
 vel ad vltionem perditorum, vel ad correctionem pec-
 cantium: cuiusmodi potestatem diabolus in Iob acce-
 perat, vt posteris exemplum patientiæ traderetur: ma-
 ximamque est in castra Sanctorum habiturus in fine
 sæculi, quando soluetur è carcere suo. Hæc igitur diu-
 na concessio atque permissio, non ea potestas est, cui
 obedire sit laudabile, aut de qua scriptum est: Qui po-
 testati

e 4

testati

Lib. 22 contra
 Faustum cap.
 75.

Lib. 1. Eccl-
 sic. 1. 2. 1. 2.
 cap. 12.

testati resistit, Dei ordinationi resistit. ut enim nocere nobis permittit Deus, quibusdam mala voluntate paratis ad inferendas iniurias: ita sese tueri, & iniuriam propulsare non prohibet. Sed potestas hoc loco intelligenda est sublimior in iis qui præsumunt, atque ad alios regendos & moderandos gubernacula suscipiunt, cui prius dixerat omnem animam subditam esse oportere. Quam potestatem quoniam in rebus humanis instituit is per quem Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt: idcirco huic qui resistit, diuinæ profectò ordinationi resistit. unde & hoc colligitur, eum qui non obediatur, diuinæ ordinationi non obtemperare. An potest autem culpæ nihil habere, diuinæ resistere ordinationi, vel ei non parere? Sed tamen quantum habeat culpæ, resistere; nec Apostolus reticuit. Adiungit enim: qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt: Damnationem, inquis, certè, sed eam quæ irrogatur à seculari potestate. Accipe igitur quod eodem loco est multo apertius: Ideo necessitati subditi estote, inquit, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Conscientiam maculatuos pronunciat eos, qui præceptis Principum non paruerint; siue id palam faciant, ut etiam Principum iras incurrant; siue clam, ubi tamen Deus potestatum ordinator intuetur. Cum autem eosdem illos sublimiore præditos potestate, Dei ministros appellat, quod eius in terris vice & auctoritate fungantur: quid aliud significat quam violationem horum constitutionis, cum Dei, qui eos præfecit, offensione coniunctam esse? Nec dubium est, quin id vitiosè fiat, quod sit contra Dei voluntatem. At qui hanc affirmat Petrus esse Dei voluntatem, ut Regibus atque Ducibus obtemperetur; eaq; executioni mandentur, quæ præceperint: nõ tantisper dum illi vident, quod esse dicit Apostolus ad oculum seruare; sed siue absint, siue presentes; attentè obediendi

seduli-

sedulitatem contèplentur. Magnum porrò & spirituale documētum (ait D. Ambrosius) quo Christiani viri, sublimioribus potestatibus docentur debere esse subiecti: ne quis constitutionem Regis terreni putet esse soluendam. Si enim censum Dei Filius soluit, quis tu tantus es, qui non putes esse soluendum? Et ille censum soluit, qui nihil possidebat: tu autè, qui seculi sequeris lucrum; cur seculi obsequium non recognoscas? Cur te supra seculum quadam animi arrogancia feras, cum seculo sis misera cupiditate subiectus?

Lib. 5. in Lucam, cap. 5.

CAPVT IIII.

Quid sibi velit quod in Euangelio dicitur,
liberos esse filios.

VERVM habere isti in ore solent, liberos esse filios à tributis persoluendis, Dominum iudicasse: neque id faciendum esse, nisi scandali causa declinandi. Cum enim Petrum interrogasset, quid ei videretur, Reges terræ à quibus tributa accipere solerent, à filiis videlicet, an ab alienis? atque ille incunctanter respondisset, ab alienis; conclusit, ergo liberi sunt filij: atque adiunxit: Ut autè nõ scādalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies staterem, illum sumens, da eis pro me & te. Ita scripturas semper hæretici sine sensu loquuntur. Quis enim neget ab hoc tributo pendendo Christum verè liberum fuisse? Si enim in quolibet regno terreno, principum filij non sunt vectigales, quia filij sunt: consentaneum erat, ut æterni Patris ac Regis Filius, communi hac lege minimè teneretur. Et iuxta Hilarij quidem, Chrysoptomi, ac Cyrilli expositionem, non agitur de didrachmate ac tributo principi persoluendo; sed de eo quod omnium domino esset iuxta Legem offerendum. Ex hoc enim loco Cyrillus,

Matth. 17.

Chrysopt. hom. 59. in Matth.

e s

filium

1. Pet. 2.

Ephes. 6.

Filium quatenus Filius est, nō debere Patri adoratio-
nem demonstrans. Quis, inquit, pati poterit has nu-
gas eorum qui dicūt Patrem à Filio adorari oportere?
Verūm quoniam sponte id fieri à filio dicebant, nec
alia re magis, quā æquo & bono id confirmari opi-
nabantur; age, rursus à sacris literis, vnde maxime ista
sumēda sunt, veritatē scrutemur. Lex igitur à singulis
Iudæorum, medietatem didrachmi, quasi tributi loco,
Deo offerri iubebat: nō quoniam pecuniam colligere
Deo vellet, sed quod per figuras maiora doceret. pri-
mum, quia nemo sui capitis dominus est: sed vnum
omnes habemus Dñm, quē tributi depositione profi-
temur. Deinde in re corporali, spirituale tributum de-
scribebat. Honora, inquit, dominum ex tuis iustis la-
boribus, & primitias ei offeras à tuis fructibus. quod
iam Evangelica doctrina, cultu legali cessante, effe-
ctum est. Non enim corruptibili materia & exteriorē
colendum esse Deum arbitramur, didrachmum attri-
buentes: sed vt veri adoratores, in spiritu & veritate
adoramus. Hunc sensum in lege illa latuisse puran-
dum. Cū igitur in Hierosolymis esset Dominus, ab
exactoribus didrachmi dictum fuisse Petro scribitur,
Magister vester non soluit didrachmum? Iesus autem
antequam à Petro quicquam audisset, præuenit eum,
dicens: A quibus Reges capiunt censum, à filiisne eorū,
an ab alienis? Cumque, ab alienis, Petrus respon-
disset: Liberi ergo sunt filij, Iesus subiicit, sed ne scan-
dalizemus eos, accipe, inquit, hamum, vade in mare,
& primum qui ascēderit piscem tolle. Et aperiens os
eius, inueniēs staterem, quem da pro me & te. Vides
sub tributo, nolle Filium fieri? vides ipsum nō pati, vt
sub iugo seruitutis, vt ceteri, esse credatur? Cū enim
liberam naturæ suæ dignitatem esse cognoscat, nihil se
Deo Patri seruire debere affirmat. Liberi enim, inquit,
sunt filij. Nec igitur omnino recusat (ait Chryso-
stomus)

mus) nec simpliciter iubet dare tributum: sed prius
monstrauit, non esse his veltigalium legibus se subie-
ctum: tūc demum dari iussit. alterum, ne illi; alterum,
ne isti scandalum patiatur. Non enim vt debitor red-
didit, sed vt illorum infinitati consuleret. Et ad hunc
quidem illi modum. Neque verò difficultatem res ha-
bet, cū didrachma id intelligitur, quod Deo ipsi iux-
ta legem in Exodo conscriptam, pensabatur à Iu-
dæis. Nam si Reges terræ non à suis filiis, sed à subdi-
tis censum accipiunt: neque igitur Rex omnium Deus,
à Filio suo existimandus est tributum exegisse. At si de
censu eo tributoque agitur, quod Romano Imperato-
ri viritum pendebatur: maior quæstio est, huicne sol-
uendo Christus secundum hominem fuerit obnoxius.
Vt enim secundum naturam humanam parentibus
subiectus, ita & Imperatori fuisse videtur. Si quidem
serui formam accepit, etiam morti quandoque sub-
eunda obnoxiam. Sed quemadmodum, cū esset
Deus, eoq; ipso mortem, quocūque modo venturam,
posset, si vellet, evitare, non necesse fuit eū simpliciter
mori, quamquam inellet in mortali carne moriendi
necessitas: ita, cū esset Dei filius naturalis, ideoque
Deus verus. Rexque ipse regum, & Dominus domi-
nantium; ad seruendum Principum terrenorum legi-
bus, nequaquam absolute obstrictus tenebatur. Neq;
id mirum videri debet, si de humanis Regum legibus
dixerimus; cū nec sabbathi quidem Lege, que diui-
na erat, obstringeretur. Dominus enim est, inquit, fi-
lius hominis, etiam sabbathi, Christus igitur, quia Dei
filius erat naturalis, eoque ipso omnium Dominus,
reuera liber erat à tributi lege, in quantum filius: sed
quia seruilem formam susceperat, in qua cognosce-
batur ab hominibus, ideo leges seruauit humanas, ne
offendiculo esset iis, qui supra formam seruilem nihil
in eo maius cogitabāt. Quamquam enim ratione for-
mæ

Matt. 12.

mæ seruilis, esset obnoxius, vt tanquam homo hominibus subderetur, sicuti dicitur factus esse sub Lege: tamen tanta persona, cui etiam illa forma competeret, in qua esset æqualis Patri, non sic potuit in seruilem redigi conditionē, vt non integrum esset pro libertate suæ maiestatis quæ vellet agere. Suscepit enim formam seruilem, sed non amisit suæ maiestatis libertatem. factus est sub Lege, sed non desijt esse supra Legem. Et quia factus ita est subditus, vt non desineret esse Dominus: idcirco potuit, si ita videretur, tanquam Dominus agere, quemadmodum id in lege sabbathi fecit. Quæ lex cum esset diuina, multo haud dubiè maioris erat ponderis, quàm humane Imperatorum constitutiones. Quemadmodum enim corpus quidem accepit ex sua constitutione morti obnoxium, & moriendi necessitati subiectum, neque tamen Christus simpliciter subditus fuit necessitati moriēdi, sed quòd mortuus est, sicuti & quòd esuriit, dignationis, non conditionis fuit, quemadmodum diuus Augustinus ait super Ioannem, agens de Martha quæ suscepit Dominium in carne pascendum: (potuit enim, si voluit, nec in tali corpore quale assumpserat, aut esurire, aut quicquam molestiæ pati.) Ita licet assumpta natura seruituti erat obnoxia, personam tamen ipsam in seruitutis legem non trahebat, obistente natura potentiore diuina, quæ nostra sic suscepit, vt sua non amisit. vnde sanctus Leo: Duplicis, inquit, formæ in Christo vna persona est, & filius Dei, idem quæ filius hominis, vnus est Dominus, conditionem seruilem consilio pietatis recipiens, nec Legem necessitatis incurrens. Hæc ille serm. 8. de Quadragesima. Quidam verò Christum, quod de libertate dicit, non ad se solū, qui naturalis erat Dei Filius, verum etiam ad nos, qui per adoptionē & gratiā filij effecti sumus, voluisse censent pertinere: Cum enim dixisset, Ergo liberi sunt filij,

sub-

subiunxit, Veruntamen da pro me, & pro te. hoc est, vt illis quidem videtur, pro capite & familia. Si enim hoc ad personam Christi, tãquam omnium Domini, propriè spectauisset, superuacaneum, aiunt, fuisset dicere: Ne scandalizemus, sed dicendum fuerat, Ne ego scandalizem, vade, da pro me. Generatim ergo filios Dei significari volunt esse liberos; attamen ne scandalizent, tributum soluere, legesque humanas subire debere. Ac reuera filij Dei, qua ratione filij Dei sunt, liberi existunt ab huius seculi legibus; veruntamen quòd adhuc filij sunt huius seculi, propterea necesse habent seculi leges suscipere & seruare, quemadmodum illa quæ suprà citata sunt; Ambrosij verba insnuant ex lib. 5. in Lucam cap. 5. Liberi enim sunt à seculi seruitute; hîc quidem in spe, aliquãdo verò futuri in re, cum præterierit figura mundi huius, & destruxerit Deus omnem principatum & potestatem, ad plenam filiorum suorum libertatem. Ne ergo, inquit, scandalizemus eos, qui hoc solū cogitantes seculum, filiorum Dei præstantiam & sublimitatem non agnoscunt: ne, inquam, scandalizemus eos, sic agendo pro conditione filiorum Dei propria, vt nos seculi filios esse non agnoscamus, idcirco vade & da. Non ergo quòd dari vult propter vitandum scandalum, declarat nulla obligatione cōscientias obstringi; aut Dei filios, à quibus exiguntur vectigalia, simpliciter ad ea non teneri: sed qua ratione Dei filij sint, ea liberos esse. Quæ filiorum Dei libertas tunc palàm erit, cum hoc seculum transferit. Quia sic tunc erunt Dei filij, vt amplius filij non sint huius seculi. Quidam autem, in quibus est Origenes, Dominum vltum putant occasione sublimius quiddam edocendi, quæstione mota de tributo hoc temporario. nimirum, vt significare voluerit, eos qui sunt adoptionis beneficio, Dei filij iam ab æternæ mortis tributo, quod ab omnibus i

diab

diabolus exigit, qui à Deo sunt alieni, liberos euasisse, omninoque tandem ab ipsa etiam temporaria morte liberandos. Illi enim serui sunt; quia qui facit peccatum, seruus est peccati: hi liberi, quos sibi acquiescentes, veritas liberauit. Quò pertinere arbitror quod ait diuus Augustinus in opere de consensu Euangelistarum eiusmodi verbis: Dicit in omni regno liberos esse filios; id est, non esse vectigales. multo ergo magis liberi esse debent in quolibet regno terreno filij regni ipsius, sub quo sunt omnia regna terrena. Tanquam diceret: Si terrena hæc libertas à iugo tributariæ seruitutis cohæret cum ea dignitate, qua sit quispiam filius terreni regis: quanto maior veriorque libertas, videlicet à peccato, diabolo, & morte competit iis, qui cælesti regeneratione filij Dei effecti sunt! Iam quòd pro Petro dederit, non id fecit, quia Petrus ipse esset debito eiusmodi contributionis obligatus: verùm magnæ id quoque rei significationem gerit. Nam cum tributum hoc à familiarum solis capitibus pensari solitum esset, satis insinuauit velle se aliquando suæ familiæ caput seu rectorem esse Petrum. Ex quo illa videtur exorta controuersia inter discipulos, de qua agitur capite consequenti: Quis putas maior est in regno cælorum?

CAPVT V.

Ecclesiasticis quoque Præfectis teneri Christianos obedire, idq; fieri citra vllum Christianæ libertatis detrimentum.

NEQVE verò regiæ tantummodo & sæculari cuiunque potestate, verum etiam Ecclesiasticæ, simili cura obedientiæque parendum est. Cùm enim potissimum duo sint genera rerum; alterum earum quæ ad temporariam Reipublicæ salutem & tranquillitatem pertinent, præsentique tantummodo vitæ seruiunt;

sunt: alterum earum quæ propter futurum sæculum comparantur, & famulantur pietati: vt in illo genere supremos quosdam esse administratores oportuit, qui communi omnium paci consulere, quibus eam ob causam obedientia deberetur, ira & hoc genus rerum (quoniam in vtroque versati & præesse per seipsos idem non poterant) proprios quosdam administratores moderatoresque poscebat, quibus tanto studiosius esset obtemperandum, quanto meliorem pacem & felicitatem veriorem. sua hominibus directione & prudentia procurarēt. Ideoque vt Isocrates præclare duas res maximas in hominum vita dicebat esse, Principatum & Sacerdotium; quas tamen res nemo non exspectaret tanquam dignas, nemo non crederet se posse rectè gubernare tanquam prudentissimus: ita Iustinianus Imperator, inter Christianos Principes iuris prudentia clarissimus, dicere solitus erat, maxima dona quæ à Deo mortalibus tributa essent, Sacerdotij dignitatem & Imperium se existimasse, quòd illa quidem diuinas res administraret & dispenseret; hoc autem, legibus æquis & iustis, omnia quæ in terris fiant, moderetur. Ignatius quoque sanctissimus & inuictissimus martyr: Scriptum est, inquit, Honora fili Deum & Regem. ego autem dico: Honorate quidem Deum, vt auctorem omnium & dominum: Episcopum autè, tanquam principem sacerdotum, imaginem Dei ferentem: principatum quidem secundùm Deum, sacerdotium verò secundùm Christum. & post hunc honorare oportet etiam Regem. Nemo enim potior est Deo, neque similis est ei: neque Episcopo in Ecclesia quisquam honoratior, sacerdotium Dei gerente pro mundi salute: neque Regi quis similis est in exercitu, pacem & benevolentiam omnibus Principibus cogitanti. Quòd si quis contra Regem insurgens, damnatione dignus est: quomodo vltionem euadere poterit, qui

qui præter Episcopum quicquam egerit? Sacerdotium enim, summâ est omnium bonorum, quæ in hominibus constant. Hæc ille in Epistola ad Smyrnenfes scripta reliquit: studiosè discernens & genera rerum, in quibus potestates illæ sacerdotij imperiijq. versentur; & non obscurè significans, vtra sit alteri, obediendi studio anteponenda. Si enim tēporaria æternis, & terrena cælestibus seruire debent; cauēdumque est atque omni cura nitendum, ne quid seculari administratione geratur, quod populos Christianos aut reuocet à studio pietatis, aut in eo quo ad vitam beatam contenditur cursu retardet: perspicuum est, ciuilem potestatem, cuius circa terrenas res cura distenditur, Ecclesiasticæ auctoritatis culmen & functionis dignitatem debere suspicere. Verissimè quippe & Chrysolomus & Gregorius Nazianzenus scribunt, sacrum & Ecclesiasticum principatum tanto esse omni regno excellentiorem, quantum inter spiritum & carnem, inter cælum & terram, inter diuina & humana discrimen & interuallum esse potest. Magna quidem est regij throni celsitudo, magnus coronæ splendor: sed ex quo Reges Christo fasces suos & scepra submiserunt, ac familiæ Christianæ membra, ciuesque cælestis Hierusalem adhuc peregrinantis effecti sunt: ex eo quoque tempore cœperunt ei debere obedientiam, quem ouili suo Dominus præfecit, & constituit super familiam suam, vt ei daret cibum in tempore; cui sine vlllo discrimine, sineq. exceptione dictum est, Pasce oues meas. Habet sanè potestas illa, in quibus regio sceptro sublimis & conspicua est, supremam auctoritatem in procuratione rerum humanarum. sed quoniam huius procurationis scopus esse Christiano principi debet, religionis & diuinorum mandatorum in otio & pace conseruatio: idcirco in iis rebus quæ salutis communis & religionis causas attingunt, iure & merito Christi-

stiani

stiani gregis pastori acquiescit: non modò vt vnus homuncio, aut vna quæpiam è grege Domini ouicula, quæ animæ salutisque suæ cura tangatur; verum etiam vt terrestris Reipublicæ moderator, si quando ea esset admissurus, quæ Ecclesiæ & spiritualis Reipublicæ commodis officerent. Quæ, vt opinor, consideratio primos illos clarissimosque Christiani nominis principes adduxit, v. Ecclesiastici ordinis quasdam exemptiones seu immunitates, aut vltro ipsi facerent, aut fieri potius Ecclesiæ auctoritate, iuxta diuini iurisdictionem paterentur. Neque enim mediocre nasciturum erat religionis detrimētum, si ministri Dei, quos summa in veneratione haberi, magnum est pietatis & fidei firmamētum; sua ob delicta, aut alias cuiusque generis temporales causas, ad sæcularia tribunalia traherentur. Vnde & apud Ambrosium est, epistola vigesima quarta, ne Episcopi causam præfectus cognosceret, magno populi ardore studioq; effectum esse. Atque hæc libertas est Ecclesiastica, ordinatione Dei, vt Tridentinum Concilium loquitur, & Canonicis sanctionibus constituta. Quam ne qui præfecti sæculares, studio cupiditatis, seu incōsideratione aliqua, violēt, diligenter inhiuit: decreuitque & præcepit, sacros Canones & Concilia generalia omnia, nec non alias Apostolicas sanctiones, in fauorē Ecclesiasticæ libertatis, & contra eius violatores editas, exactè ab omnibus obseruari debere. Cuius libertatis & apud diuum Bernardum est mentio, epistola centesima septuagesima septima, & ducentesima decima sexta, & ducentesima decima septima: in qua Theobaldum Comitem laudat, tanquam libertatis Ecclesiasticæ defensor. Valentinianum certè seniore, testis est Ambrosius epistola trigesima secunda, non solum sermone respondisse, verum etiam legibus suis sanxisse, in causa fidei, vel Ecclesiastici alicuius Ordinis, iudicare

f

cum

Vide hoc apud Leonem, epist. 96 ad Episcopos & Presbyteros intra Thraciam prouinciam constitutos.

cum debere, qui nec munere impar sit, nec iure dissimilis: hoc est, Sacerdotes de Sacerdotibus voluit iudicare. Quin etiam si aliàs quoque argueretur Episcopus, & morum esset examinanda causa, etiam hãc voluit ad Episcopale iudicium pertinere. In octaua quoque Synodo alloquens Basilius Imperator Synodum, his vtitur verbis: Quãquam non datum sit istis, scilicet laicis, secundum Canonem dicendi quicquam penitus de Ecclesiasticis causis. Opus enim hoc Pontificum & Sacerdotum est. Verum cum Ecclesiã utilitatem plus requirere pastores Ecclesiã summi iudicaret, constitutiones ediderunt, quibus cautum est, non solum vt Clerici ad Magistratus tribunial inuiti non trahantur, sed ne volentes quidem iurisdictioni Magistratus subijcere sese possint, ac prætermisso Sacerdotali iudicio, secularem adire potestatem, siue ciuilibis sit, siue criminalis causa. Censemus, inquit Leo, vt quicumque prætermisso Sacerdote Ecclesiã suã, ad disceptationem venerit secularium, sacris liminibus expulsus, à cœlesti arceatur altario: neque vllus post hanc definitionem, quã cõmuni sedit arbitrio, quicquam sibi vltra præscriptum vendicare nitatur. Quod ideo, inquit, singulos vniuersosque volumus agnoscere; vt quod pleno iustitiã & iuris ordine constitutum est, effectum totius firmitatis in omnibus Clericorum negotiis sortiatur. Sic ille. Nec pluribus est opus, vt intelligatur quanta adulationis peste dicatur à nonnullis, totius Ecclesiasticã disciplinã rationem à principũ secularium aut Magistratus politici nutu sic pẽdere, vt sine eorum assensu atque iudicio ab Ecclesiã Præfectis constitui nihil possit. Sic enim quidam ex Nouatoribus, cum ad Scotiã Regem scriberet, literis suis consignatum reliquit: Vt Ecclesiarum, inquit, disciplina certa & stabilis sit, ratum semper esse debet apud eos qui sub Principibus Christianis libera Euangelij

præ-

prædicatione fruuntur, illud Apostoli axioma, quod paulo antè adduximus, Omnes homines, siue illi ex vulgo sint, siue ecclesiarum ministri, suis ordinariis Magistratibus subiectos esse debere: iis nimirum, penes quos ius gladij Deus esse voluit. Diligenter ergo caueant Euangelij præcones, ne quam Ecclesiã Oeconomiam instituunt, qua Magistratum auctoritas labefactetur, & ne nouam immunitatem sibiipsis vendicando, ad eundem cum Papistico clero lapidem offendant, & aliis quoque minus honorificè de Magistratu sentiendi occasionem præbeant. Nam etsi, inquit, Dei verbum & religio nullius hominis arbitrio & imperio subijci debeant, debent tamen verbi & religionis administrati suos Principes agnoscere, neque his inconsultis & inuitis (de Christianis Principibus loquor) quicquã statuere: ne, dum sine his disciplinam exercere volunt, dominium affectare videantur, & simul Magistratum auctoritati derogent. Hęc ille. Talibus indubiè verbis, non regnum modò temporaneum; verum etiam Christi Ecclesiam, in his quã Ecclesiasticã sunt administrationis, potestati seculari subijciens. Et hoc quidem, vt certa, sicuti scribit, & stabilis Ecclesiarum disciplina esse possit, quasi plus ad stabilitatem valeat secularis, quàm cœlestis & diuina potestas. Quod autem fundamentum assertionis huius in eo ponit, quòd beatus Apostolus dicat: Omnem animam sublimioribus potestatibus subditã esse debere; id si quid haberet firmitatis, conuinceret, non Christianos modò Principes, verum etiam infideles, qualis Nero fuit, non temporalem solum regni, sed etiam spiritualem Ecclesiã præfecturam gerere; nec quicquam potuisse Petrum statuere quod ad Ecclesiã disciplinam pertineret, inconsulto Nerone. Valebat enim tunc quoque quod scriptum est: Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit. Imò verò pro-

f 2

ptor

Cap. Significati-
fi, & cap. Ci-
uili genti, de sã
vo competenti,
apud Gratian.

Leo epist. 96.
& Milenitan-
um concilii
Can. 19. & in
Decretis Sil-
uestri Pontif.

Rodolphus Ti-
gurinus, in
Præfatione in
epist. ad Gala-
tas, ad Iacobũ
Sextum, Sec-
tia Regem.

pter infideles, qui tunc erant Principes, commendata hæc est fidelibus disciplina; ne illis hoc nomine subtrahendam putarent obedientiam, quod essent infideles. Ut igitur illis temporibus subiecta erant regna terrena Regibus impiis, non ipsæ Ecclesiæ, tametsi ipsdem personis magna ex parte constarent: ita modò Christianis Magistratibus ciuitates subijciuntur, non Ecclesiæ. Quin potius, quia sunt Christiani Magistratus effecti, ob id ipsum Ecclesiæ, eiusque Præfectis reuerentiam atque obedientiam debent ijs in rebus que ad Ecclesiasticã propriè pertinent administrationem. Sicut enim gladius materialis, quem solum terrena potestas accepit, debet seruire accedere gladio spirituali: ita etiam Magistratus politicus non præesse, sed subesse Ecclesiastico debet in iis que spectant ad constituendam, vel conseruandam Ecclesiæ disciplinam: quippe quam & in ipsos Magistratus ac Principes secularès, cum opus est, pro sua auctoritate exercent. Et hæc eò pertinent, vt Ecclesiasticæ potestatis eminentia, præ ea quæ secularis est, cognoscatur. Cui si obtemperandum esse nihil impedit Christianam libertatem; quanto minùs illam eidem aduersari credendum est, quæ multo diuiniore in id potissimum incumbit, vt vera homines libertate potiantur? Quam & Gelasius Pontifex ad Anastasium Imperatorem scribens, eiusmodi verbis commendauit: Duo sunt, inquit, imperator Auguste, quibus principaliter hic regitur mundus, Auctoritas sacra Pontificum, & Regalis potestas. In quibus tanto grauius est pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus, vel legibus hominum, in diuino sunt examine rationem reddituri. Licet enim præsideas humano generi dignitate rerum; tamen Præfulibus diuinarum, deuotus colla submittis: atque ab ijs causas tuæ salutis expectas, inque sumendis cælestibus Sacramentis, eiusque

vt competit, disponendis, subdi te debere cognoscis, religionis ordine, potius quàm præesse. Hæc Gelasius de eminentia Sacerdotalis potestatis: quam aliàs quoque Valentinianus Imperator agnoscens, cum de Episcopi cuiusdam electione ageretur, eiusmodi verbis Episcopus est allocutus: Talem in Pontificali constituite sede, cui & nos, qui gubernamus Imperium, sincerè capita nostra submittamus, & cuius monita, dum tanquam homines deliquerimus, necessariò velut curantis medicamenta suscipiamus. Sed & ante hunc Constantinus ad Episcopos qui Nicæam conuenerant, Deus, inquit, vos constituit Sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi. Proinde sanctus Innocentius Arcadium Imperatorem à sacra Communione submouere non dubitauit, quòd consenserat vt Ioannes Chrysostomus à sua sede pelleretur. Sed nihil est ea historia memorabilius, quam Theodoretus libro quinto describit de Theodosio Imperatore, quem sanctus Ambrosius, Mediolanensis Episcopus, non solum exclusit à communionem, templique ingressu: verum etiam à publicam pœnitentiam adigit, deposita purpura, omnique Regio ornatu: atque id quidem fecit, propterea quòd apud Thessalonicam aliquot hominum milia promiscuè, & indicta causa, iussu eius trucidata essent. Qua in re, maiorémne Episcopi libertatem, an Imperatoris obedientiam, animique demissionem, admirari debeamus, incertum est.

CAPVT VI.

*Absurdè constitui ab ætatis nostræ sectariis, non esse
Episcopis relictum quicquam, nisi nudum
verbi ministerium.*

QVAE omnia cùm Ecclesiasticæ potestatis sacram
excellentiâ luculenter ostendant, audiendi non
sunt ætatis nostræ sectarij, qui præter verbi ministe-
rium ad Episcopos negent quicquam pertinere: non
leges ferendi, non coercendi potestatem. vnde inter
articulos suos secutus Ioannem Wiclef & Waldenses
Lutherus asseruit, neque in Pontifice neque in Eccle-
sia potestatem esse articulos fidei condendi, aut leges
morum. Cuius quidem articuli, cum aliis compluri-
bus, in bulla Leonis decimi, merita condemnatio re-
peritur. Quibus enim in Actis Apostolorum dicitur,
Attendite vobis, & vniuerso gregi, quos Spiritus san-
ctus posuit regere Ecclesiam Dei: ij non docendi mo-
dò functionem, verumetiam gubernandi regendi que
auctoritatem accepisse declarantur. Quis autem non
intelligat, quanto hæc discrimine seiuncta sint: docto-
ris officio fungi, alienaque duntaxat præcepta mon-
strare, & rectorem esse? Tamen si enim illos ita esse
voluit Christus Ecclesiæ rectores, vt simul essent do-
ctores; quemadmodum Timotheo dicitur, oportere
Episcopum esse doctorem: tamen rectoris & præfecti
Ecclesiastici munus, maius quiddam complectitur.
Etenim qualis rector ille tibi videatur, qui nihil queat
ipse præcipere? qui delicta videat, nec pœnis legitimis
possit afficere delinquentes? Cuiusmodi obsecro is
gubernator est & rector, cui cæteri sint potestate & au-
thoritate pares? cui obediētia neque deferatur vlla, ne-
que debeat? atqui rectè prudenter que administrari
aut in officio contineri familia nulla potest, nisi pote-
stas præfecto adsit, & constituendi quod pro temporū
homi-

hominum que conditionibus oportunum videatur, &
corrigēdi si quid in leges peccatum sit. Cum que mor-
taliū status nusquam fixus sit, sed pro temporum
locorum que diuersitate lubricè varietur, malè profe-
ctò Ecclesiæ Christianæ fuisset prospectum, si nullam
eius rectores haberent leges ferendi potestatem. Sed
habent omnino, semper que habuerunt in ædificatio-
nem, non in destructionem. Quocirca & hoc præce-
ptum literis Apostolicis expressum reperitur: Obedi-
te præpositis vestris, & subiaceite eis. Ipsi enim perui-
gilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri,
vt cum gaudio hoc faciant, & nō gementes: hoc enim
non expedit vobis. Nempe hoc de obtemperando Ec-
clesiasticis præfectis Apostolus præcipit, quemadmo-
dum de sæculari potestate dixerat, omnem animam
sublimioribus potestatibus subditam esse oportere.
Nisi autem & Ecclesiæ Pastoribus, cùm quippiā præ-
cipiunt, esset obediendum; nec iure præesse dicerentur,
neque esset vnde Apostolus diceret: Qui bene præfunt
Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè
qui laborant in verbo & doctrina. Qui inter homines
quoniam tanto in periculo maiore versantur, quanto
sublimiore sunt loco: idcirco Apostolus hoc à subditis
exigit, vt pro illis orent impensius; iisdem que labo-
rantibus atque sollicitis, non modò obediendi fide,
verumetiam charitatis ardore succurrant. Rogamus
vos fratres, inquit, vt noueritis eos qui laborant inter
vos, & præfunt vobis in Domino, & monent vos: vt
habeatis illos abundantius in charitate: propter opus
illorum pacem habere cum eis. Qui & alio loco cur
diceret, Quid enim mihi de his qui foris sunt iudicare?
Nam de his qui intus sunt, vos iudicatis: si sola ipsi
vel Ecclesiæ competeret docendi potestas? Eos enim
qui foris sunt, docere profectò potuit, & docuit: sed
quia familiam Christi & domum nondum erant per-
bapti-

Artic. 17.

Art. 10.

1. Tim. 3.

Hebr. 13.

1. Tim. 5.

1. Theff. 5.

1. Cor. 5.

baptismi ianuam ingressi, idcirco subditi ei nondum erant, ac per hoc nondum in eos potuit suæ iurisdictionis exercere potestatem, quæ in solos subditos exercetur. habuit ergo beatus Apostolus, & Ecclesia, aliam quàm docendi potestatem, nimirum iudicandi, discernendi, præcipiendi, puniendi. Quid autem paterfamilias noster Christus Dominus, cum profecturus in cælum, seruum vnum constituit super familiam suam, vt ei præberet cibum in tempore? nullamne ei reliquit quicquam constituendi, quod tempori congrueret, potestatem? Quis iste est familiæ præpositus, qui nulla præ ceteris auctoritate potestate quæ præpollat? aut fortasse ad cibum familiæ Christianæ non pertinent Leges salutares, non ipsa disciplinæ ratio, in omni regno, ciuitate, familia pernecessaria. quæ vbi colitur, stant illa suis viribus integra, membrorum quæ iucunda pace lætantur. vbi verò negligitur, quasi corporis soluta compage, diffluunt vniuersa. Sanè cum præfectus iste cæperit percutere cõseruos suos, & māducare cum ebriosis: tum prorsus cõcessa sibi potestate ad suam aliorum quæ perniciem abutitur. Qua namque oppressis opem ferre debuit, eadem opprimit: & qua oportuit delicta, moderatione adhibita, corrigi, eadem illa ipsa cumulantur. Verumtamen nisi posset ille, cum res postulat, etiam pœnis inflicis coercere, non ei diceretur: Et tibi dabo clauēs regni cælorum: hoc est, regimen administrationis quæ totius Ecclesiæ, quæ cæleste est in terris regnum. hoc enim & in clauibus intelligi, & iis traditis significari consuevit: quemadmodum & apud Isaiam, gubernationem Ecclesiæ Christo tradendam insinuatum est illis verbis: Et dabo clauem domus Dauid super humerum eius. Non ergo Petro, tanquam primarij huius gubernatoris vicario, clauēs regni cælorum committerentur; neque adiungeretur: Et quodcunque ligaueris super

terram,

terram, erit ligatum & in cælis: nisi eius esset aliquando inobedientes grauissimorum vinculorum pœnis coercere. Hæc verò coercendi potestas (quamquam in Petro summa amplissimaque fuit) ne ad eum tamen solum pertinere putetur, ad alios quoque & deinceps secuturos Ecclesiæ Præsides spectare demonstrat, quod dicitur: Si illos non audierit, dic Ecclesiæ: si Ecclesiam non audierit, hoc est, quos Dominus Ecclesiæ suæ præfecit, in quibus Ecclesiæ Senatus quidam auctoritasque consistit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Ac deinde ipsius seueritatis grauissimū terrorem adiungens, Quæcunque enim, inquit, ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis. Proinde quòd Ioannes in Apocalypsi vidit sedes, & qui super eas federent, quibus iudicium datum sit: ad tempus hoc peregrinantis Ecclesiæ, spectare a bitramur. Cum enim dixisset alligari diabolum mille annis, & postea solui breui tempore: mox quid in istis mille annis agat Ecclesia, vel agatur in ea, cõmemorans, Et vidi, inquit, sedes, & sedentes super eas, & iudicium datum est eis. Quod putandum non est, ait Augustinus, de vltimo iudicio dici, sed sedes Præpositorum, & ipsi Præpositi intelligendi sunt, per quos Ecclesia nunc gubernatur. Iudicium autem datum nullum melius accipiendum videtur, quàm id quod dictum est: Quæ ligaueritis in terra, ligata erunt & in cælo. Vnde Apostolus (quod antè quoque ex eo protulimus) Quid enim mihi est, inquit, de his qui foris sunt iudicare? Nõne de his qui intus sunt, vos iudicatis? Certè & infideles foris constitutos, docebant Apostoli: vt facillè appareat Ecclesiasticam potestatem, non in nudo verbi ministerio positam esse, verumetiam in exercenda disciplinæ seueritate. Reprehedit etiam diuus Augustinus, in quibusdam sui temporis, quòd sic instituendam putarent esse Ecclesiam, vt ad eius Præpositos non pertineret,

f 5

nisi

Ambr. de fide
lib. 5 ad Gra-
uanum, cap. 1.

Matth. 16.

Isa. 22.

Matth. 18.

Apc. 20.

Lib. 12. de
Cim. Dei, c. 9.

Lib. de fide &
operib. cap. 4.

nisi dicere quid cauendum, quidve faciendum esset. Quanto isti grauiore digni reprehensione videri debent, qui nec ferendi leges vtilis potestatem, Ecclesie Præfulibus permittendam arbitrantur? Habuit vetus Testamentum præter regnum, sacerdotalem quoque summam potestatem, de qua illud est diuinitus constitutum: Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram; & iudicium inter portas tuas videris verba variari: surge, & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore; quæresque ab iis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem: & facies quodcunque dixerint qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta Legem eius, sequerisque sententiam eorum. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo: ex decreto iudicis morietur homo ille. Synagogæ ergo non defuit sacerdotale tribunal, cui parendum esset, sub interminatione mortis: & Ecclesiam Christi existimabimus nullum in terris habere magistratum, qui præcipere quidquam vtiliter, aut seuerè, cum res exigit, coercere possit? Prorsus & potest hoc, & faciendum sibi esse aliquando videt, quod ait Augustinus, vt cum adest salua pace, facultas disciplinæ aduersus improbos, aut nefarios exercendæ, tum ne socordia, segnitieque torpescat, sed aculeis præceptorum, quæ ad seueritatem disciplinæ pertinent, excitata: aut degradationibus, aut excommunicationibus impleat, quod visibilis in veteri Testamento gladius præsignauerat esse in Christiana Republica faciendum.

Deut. 17.

Cap. 5. lib. de
Fide & operib.Cap. 2. lib. de
Fide & operibus.

CAPVT

CAPVT VII.

Vt se fidelium seruos esse, ac ministros, Apostoli fateantur.

SERuos se quidem Apostoli subinde & ministros ^{1. Cor. 4.} fidelium vocant: atque hoc illud est, quod Ecclesiasticæ superiorè potestatem tollere videtur imperitis, velut & illud quod scribitur Corinthiis: Omnia vestra sunt, siue ^{1. Cor. 3.} Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus. Verum id ipsum & de Regibus atque Principibus dici expressè potuisse, quis non perspicit? Hæc enim omnia ad vtilitatem aliorum diuinitus comparata sunt: vt rectè ipse quoque Plato præceperit: Omnes qui Reipublicæ præfuturi sunt, vtilitatem civium sic tueri debent, vt quid quid agunt, ad eam referant, obliti commodorum suorum. Quodque idem ille ait Apostolus: Non enim nosmetipsos prædicamus, sed Iesum Christum Dominum nostrum, nos autem seruos vestros: non id declarat, nulla ipsum potestate superiore præcelluisse; sed alienam salutem ministerio suo & labore quæsisse. Ideoque & Corinthiis alio loco dicit: Cum liber essem ^{1. Cor. 9.} ex omnibus, omnium me seruum feci, vt plures lucrifacerem. Atque eiusdem Apostoli illa quoque confessio est: Quid igitur est Apollo? quid veidè Paulus? ministri eius cui credidistis. sed quæ declarat ipsos in sanctificandis per baptisma credentibus, nihil præter ministerium externum adhibuisse: quod cum valeret atque efficax esset non meritis Petri, vel Pauli, vel cuiusquæ hominis, quætalibet sanctitatis excellètia præditi, sed solius meritis Christi Dei & hominis: nemo iure poterit gloriari tanquam sanctior, quod fuisset à sanctiore baptizatus. Hoc ergo cum Apostolus illo in loco velit; quis non videat quàm nihil ad præsentem causam pertineat? Serui sunt igitur Ecclesie & Episcopi, & Reges ipsi: sicut serui erant Apostoli, & Christus

Lib. 9. de Legibus.

1. Cor. 3.

Rom. 15.

Christus ipse: de quo à Paulo scriptū est, Dico Christū Iesum ministrū fuisse circumcisionis, propter veritatē Dei, ad cōfirmādas promissiones Patrū. Cæterū, si ita Apostoli aut Episcopi serui fuissent, vt credentes non possent, cū res postularer, tanquā de loco superiore corrigere: non dixisset Paulus Corinthiis, Quid vultis? In virga veniā ad vos? an in charitate, & spiritu mansuetudinis? Tanquam pares igitur cū paribus, cum bonis mansuetisque ipsi māsuētissimi versabantur. At vbi quis deliquisset, cui esset disciplinæ adhibenda castigatio, tum demum superior illa potestas eminebat. Quam vehementer atque etiam terribiliter quidam experti sunt, quos Satanæ tradidit, vt discerent non blasphemare. cuius commemoratio ne potestatis terrens eisdem Corinthios salubriter, Ideo, inquit, hæc absens scribo, vt non præsens durius agam, secundū potestatem quam Dominus dedit mihi, in ædificationem, & non in destructionem. Et iterum: Prædixi enim & prædico, vt præsens vobis, & non absens, iis qui antè peccauerunt, & cæteris omnibus: quoniam si venero iterum, non parcā. An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus, qui in vobis non infirmatur, sed potens est in vobis? Verumtamen superiore hac potestate, non dominandi affectu, in quo inest sua quærendi, sibi que placendi cupiditas: sed affectu ministrandi vtebātur, quo alienis vtilitatibus consulenter: Christum Dominum & exemplo prælucentem sequentes. & verbo præcipientem audiētes: Qui maior est vestrūm, erit minister vester. quam affectionem sibi inesse declarabat Apostolus cū scriberet: Sine offensione estote Iudæis, & Gentibus, & Ecclesiæ Dei: sicut & ego per omnia omnibus placeo; non quærens quod mihi vtile, sed quod multis, vt salui fiant. Ex qua affectione existebat illa omnium Ecclesiarum, qua vehementer discruciabatur;

solli-

2. Cor. 4.

3. Cor. 13.

Math. 23.

1. Cor. 10.

sollicitudo. Hanc denique affectionem sub graui interminatione requirit Dominus à pastoribus per Ezechielem, cū ait: Vt pastoribus Israël, qui pascebant semetipfos: nonne greges à pastoribus pascuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat, occidebatis; gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit, non consolidastis: & quod ægrotum, non sanastis: quod confractum est, non alligastis: & quod abiectum est, non reduxistis: & quod perierat, non quæstistis: sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. Itaque iure notatus est à diuo Ioanne Diotrophes, non quòd primatum in Ecclesia gereret: sed, quemadmodū ait, amaret gerere. quippe honore cathedræ delectatus, suę cupiditati, non gregis vtilitati, seruebat. Scripsissem, inquit, forsitan Ecclesiæ: sed is qui amat primatū gerere in eis, Diotrophes, non recipit nos. Qui propter si venero, commonebo eius opera quæ facit, verbis malignis gariens in nos: & quasi non ei ista sufficiant, neque ipse suscipit fratres; & eos qui suscipiunt, prohibet, & de Ecclesia eicit. Non igitur ille sublimiorem Episcopatus locum in Ecclesia non tenebat, sed quid nominis illius vis, officii que ratio postularer, non id magnopere ei curæ esse videbatur. Etenim Episcopatus, vel Episcopus, operis nomen est, non honoris. Græcum est enim, atque inde ductum vocabulum, quòd is qui præficitur, iis quibus præfectus est, superintendit, curam eorum gerens: vt intelligat (inquit Augustinus) non se esse Episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse. Atque idem alio in loco, In domo iusti, inquit, viuentis ex fide, & adhuc ab illa cælesti ciuitate peregrinantis, etiam qui imperant, seruiunt iis quibus videntur imperare. Neque enim dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi: nec principandi superbia, sed prouidendi misericordia. Sic Augustinus: & Chryso-

stomus

Ezech. 34.

Aug. Tractat. ad
123. in Ioann.
tractans illud:
Si diligis me,
pasc oves meas

Lib. 19. De
Cuit. Dei. cap.
19.
Ibid. cap. 14.

stomus hom. 18. in post. ad Corinth. de Episcopali præfectorum loquens, Non est, inquit, factus Principū, & seruitas subditorum, sed Principatus spiritualis, hoc magis excellens, quod plus laborum & curarum pro vobis suscipitur, non quod plures honores inquirantur. Hæc ille. Clarissimè verò sanctus Fulgentius Episcopus seruitutis hoc genus expressit, scribens ad Probam virginem: Ego quidem, ait, sancta filia, in quantum me charitas Dei, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctū, qui datus est nobis, tam delectabiliter quàm liberaliter seruite Christi membris instigat, volo quod iniūxisti, competenter implere: sciens illum verè Christo seruire, qui per illā charitatem Christi membris seruit, per quam ut eiusdem Christi membrum fieret, prior pro eo Christus ipse seruiuit. Propter quod Apostolus, ut ad libertatē perueniamus æternam, seruitutem liberam inuicē Christi membris imperat exhibendam, dicens: Vos enim in libertatem vocati estis, fratres: tantūm ne libertatem in occasione carnis detis, sed per charitatem seruite inuicem. Et rursum: Christus, inquit, offenditur, si quando debita seruitus membris ipsius denegatur: cū non ob aliud ipse voluerit malè quondam liberos, à peccati seruitio liberare, nisi ut nos doceret, nobis inuicem libera charitate seruire. Quos enim compressos inuenit iugo seruilis ac pessimæ libertatis, subleuauit dono liberalis atque optimæ seruitutis. Hactenus Fulgentius de liberali & verè Christiana superiorum seruitute. Turpiter verò nonnunquam seruiunt Præfecti subditis suis, ne potestatem amittant, quam fauore compararūt. Quod vitium turpissimæ nocentissimæque seruitutis, diuus Basilus inter ætatis suæ mala numerauit, ut videre est epistola 69.

Gal. 56

CAPVT VIII.

Itane Christus ipse omnia sanxerit, quæ ad Reipublica Christiana gubernationem pertinerent, ut superuacaneum esse ministris Ecclesiæ istiusmodi potestatem dari.

CVIVSMODI igitur ministri & serui Ecclesiæ fuerint Apostoli, qualesque esse debeant omnes Episcopi, satis est explicatum. Nunc quale sit, videntum est, quod aiunt nonnulli, potestate aliqua præcipiendi, ferendique leges, opus in Ecclesia non fuisse, quæ in eius Præfectis agnosceretur. Christum autem in primis volunt institutis suis & præceptis, quæ diuinis literis vniuersa comprehensa sint & expressa, satis superque Ecclesiam instructam munitamque reliquisse: non aliud proinde quàm ministerium, quo ab ipso instituta & condita, in hominum notitiam perferrentur, Pastoribus Ecclesiæ commendauisse; eamque ob causam & Apostolos hoc in mandatis tantummodo habuisse, primū, ut docerent fidem omnes gentes: deinde, fide instructas, baptizarent: postremò, docerent seruire omnia quæcunque Dominus mandauisset. non igitur ut præcipiant ipsi, sed ut Christi præcepta docendo demonstrent, id modò in potestate Ecclesiæ Pastores habere. Quod si sic est, magna temeritate Paulus ipse præscribere Corinthiis est ausus, ut in conuentu Ecclesiæ duo dumtaxat, aut ad summum tres linguarum facultate præditi, peregrino idiomate loquerentur, idque vicissim, neque id quidē nisi præsentente interprete. Vbi enim hoc Christus Dominus iam institutum reliquerat? vbi id ipse præceperat vnquam? Cuius si instituta & præcepta abundè sufficiebant Ecclesiæ, nec Apostolus Paulus suum hoc adiunxisse debuit: nec cū Syriam idem, Ciliciamque peragraret, iussisse & Apostolorum ac Seniorum præcepta & instituta

Matth. ap. ultimo, in fine.

1. Cor. 146

Act. 15.

stituta seruarentur. Verùm fuerat illud pro tempore, pro nata occasione constitutum: vt & alia complura, quæ hominum mores, aut loca sequuntur, causæ sãve alias, temporum exortas progressu, quæ antea decreuissent, superuacaneum est, ac sæpè ridiculũ. Tum est enim noua medicina paranda, cùm nouus fuerit morbus exortus. Nec de erigendo cogitatur ædificio, priusquam aliqua ex parte corruerit. Cumque ea propè sint innumera, quæ constitui aliquando necesse erat, nouis erumpentibus incommodis, & ita varia, vt ad hominum mores attemperanda, aliisque locis, & aliis temporibus alia necessaria forent: quis ea vniuersa putat, multo antè literis comprehensa, posteris tradenda fuisse? Incidunt enim tempora, ijque sensim irrepunt abusus, vt tolerari nõ expediat diutius, quod rectè prius vtiliterque seruabatur. Qua quidem in re Apostoli Pauli habemus exemplum; qui, vt à ieiunis deinceps Eucharistia sumeretur, instituit; quæ post alios cibos antea sumebatur. Quod quis neget rectè fecisse Christi discipulos, ipso præsertim Domino diuinum illum cibum porrigente? Sed quod initio à paucis bonis digna cum veneratione fiebat, posteaquã in multitudinem venit popularem, cœpit plærorumque vitio & insolentia noxiũ fieri, propter irreuerentiam. Itaque mutatus Apostolica auctoritate mos est, quem retineri Christus nusquam præceperat. Atque hoc ipsum in eorum esse numero existimandum est, de quibus Corinthiis scribit: Cætera, cùm venero, disponam. Nam Saluator quidem ipse, quo vehemētius commendaret mysterij illius altitudinem (inquit Augustinus) vltimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ discipulorum, à quibus ad passionem digressurus erat: & ideo non præcepit quo deinceps ordine sumeretur, vt Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc locum. Nam si hoc ille monuisset,

vt

vt post cibos alios semper acciperetur, credo quòd illũ morem nemo variasset. Cùm verò ait Apostolus, de hoc Sacramento loquens: Propter quod fratres, cùm conuenitis ad manducandum, inuicem expectate: si quis esurit, domi manducet: vt non ad iudicium conueniatis: ita im subtexiuit; Cetera autem, cùm venero, ordinabo. Vnde intelligi datur, quia multum erat, vt in epistola totum illum agendi ordinem insinuaret; quem vniuersa per orbem seruat Ecclesiã, ab ipso ordinatum esse, quod nulla morum diuersitate variatur. Itaque simili potestate, consimiles ob causas vsi sunt & cæteri, qui Apostolis in administranda Ecclesiã successerunt. Siquidem morem aliquando in Ecclesiã fuisse publicum, vt etiam Laici Dominicam cœnam sub vtraque specie celebrarent, certius notiusque est mediocriter eruditus, quàm vt debeat demonstrari. Sed cùm, vt ita perpetuò fieret, nusquam esset diuinitus constitutum: posteaquam intolerandis abusus res cœpit obseruationem irreligiosam habere; abrogatus mos ille est, atque à laicis remotus calix, nullò spiritualis fructus, vt fideles norunt, detrimento. Nostri verò ætate clandestina matrimonia sublata sunt; quæ rata haberi solebant, omnino id quoque Ecclesiæ necessitate maxima flagitante. Cùm enim effrenata Christianorum libido nullis iam finibus contineretur; initisque clam matrimoniis, quæ Ecclesiæ probari non poterant, ab iisdẽ personis alia frequenter publicis contraherentur: hæc posteriora probare Ecclesiã cogebatur, proque adulterijs sententiam dicere. quod diutius ferendum non esse, Concilij Tridentini Patres prudentissimè animaduertunt. Ergo & ex malis moribus, bonæ sepe numero nascuntur leges: & quæ bonæ vtilisque aliquando fuere, moribus immutatis ipsæ quoque interdum mutandæ sunt. Quod cùm subinde sit faciendum; perspicuum est eius faciendi

g

ciendi

1. Cor. 11.

Epist. 118.

ciendi potestatem, auctoritatemque Ecclesiæ Præsulibus dari debuisse. Iam cum sint nonnulla ab ipsis Apostolorum temporibus in Ecclesia Christi, magno Christiani populi consensu, constantissimaque consuetudine, obseruata: velut Quadragesimæ obseruatio, diei Dominicæ pro Sabbatho celebratio, Ieiuniū Quatuor Temporum, Paschæ festiuitas non Iudaico more decimaquarta Luna celebranda, & alia eius generis: quorum originem, quæcunque retro tempora respicias, demonstrare non possis Apostolorum ætate posteriorem: Hæc igitur vel fateantur oportet à Christo Domino esse instituta, quod eos dicere non sinit illa professio, Nihil instituisse Christum, quod scriptum non sit; esset enim omnino si id Christus instituisset, etiam ipsorum confessione faciendum: vel concedant necesse est, Apostolica auctoritate esse decreta, & Ecclesiæ commendata. Horū quidem, vtrum verum sit, non hoc loco discutimus. Sed cur ista non potuissent Ecclesiarum fundatores? populi Christiani duces & principes constituti super omnem terram? Quod autem mittens eos Dominus, non aliud expresserit, quam docere & baptizare, dicens: Ite, docete, baptizantes: nihil mirandum est, cum eos ad gentes incredulas, nondumque subditas regno eius mitteret; leges autem subiectis dantur populis. Quod ut facere Apostoli possent, aliis verbis accepere. At nec alios ab Apostolis institutos Præsules simili potestate caruisse, illud declarat Tito dictum: Idcirco reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates Presbyteros, sicut ego disposui tibi. Quod si tum temporis qui Episcopi essent, constitimere ea possent, quæ suis temporibus, sibi que subditis hominum gregibus conuenire viderent; efficitur, hoc ipsum illos potuisse, qui eandem postea cathedras longissima successione ferie tenuerunt.

CAPVT IX.

*Quanto pere excesserit Brentius studio submouendi
Ecclesiasticas leges.*

SED Brentius contra leges Ecclesiasticas usque aded insanit, modumque omnem, dum eas submouere conatur, excessit; ut quo validius eas refringeret, non dubitavit asserere, Christum ipsum nullas leges condidisse: neque verò ea gratia venisse in hunc mundum, [Christus, inquit, non venit in hunc mundum ut Legislator, & ut externus Monarcha. Cum rogaretur ut hereditatem inter fratres diuideret, ait: Quis me constituit Iudicem? Et aliàs: Filius hominis non venit ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret. Quare Christus, inquit, non venit in hunc mundum ut nouas leges, & nouas politias institueret: sed venit ut Euangelium de remissione peccatorum prædicaret, ac moreretur propter delicta nostra, & resurgeret propter iustificationem nostri. Eodem modo misit Christus Apostolos suos in hunc mundum, non ut Legislatores, non ut instauratores nouarum politiarum, sed ut ministros Euangelij. Sicut me, inquiens, misit Pater, ita & ego mitto vos. Et: Ite in vniuersum mundum, & prædicatè Euangelium omni creaturæ. Ex his vide quid concludat: Quare, inquit, quanto magis Romanus Pontifex gloriatur se successorem Apostolorum, & Vicarium Christi, tanto minorem habet auctoritatem condendarum nouarum legum.] Imo verò, inquam, si successor est Apostolorum & Christi vicarius, ut maxime est, propterea habet auctoritatem nouas condendi leges, sicut illi habuerunt. Quid enim absurdum, quam Christum negare cum hac auctoritate missum in terras? Nonne ille, veteribus abrogatis Mosæicæ Legis institutis, noua suffecit, quæ à populo Christiano perpetua ob-

Lucæ 12:
Matth. 20:

tua obseruatione tenerentur? An non veteri Paschate remoto, nouum deinceps iussit offerri, quale in cœna ipse ad similitudinem Melchisedech obrulerat, cum præcipiens, legemque ferēs, dixit: Hoc facite in meam commemorationē? Quis etiam alius legem eā condidit, quæ omnibus iis qui salui esse velint, baptisimi suscipiendi necessitatē facit? nullus profectō nisi ipse, hoc dixit, hoc instituit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare regnū Dei. Iam & ea quæ ad matrimonium spectabant, quis eius auctoritate neget ad primam institutionem esse reuocata? velut ne sit nisi vnus cum vna; ne quamlibet ob causam, sed ob fornicationem duntaxat, diuortium fiat; ne alia, si ob fornicationē dimissa fuerit, ducatur vxor. Ego, inquit, dico vobis, quia omnis qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari; & qui dimissam duxerit, adulterat. Denique cum alios quidem Apostolos, alios autem Euangelistas instituerit, alios Pastores atque Doctores, hisque vnum præfecerit supremum Pastorem in terris, à quo cæteri confirmarentur; & hæc quidem ob eum finem, vt non essemus tanquā paruuli fluctuantes, & circumferremur omni vento doctrine, in nequitia & astutia hominū: nonne tibi videtur politia in sua ciuitate sancta Hierusalem nouā instituisse? Nonne ipse est, qui suam Ecclesiam ædificauit super petram? nonne ei præterea dedit fundamenta duodecim, portasque duodecim, quibus inscripta essent nomina duodecim Apostolorum? Quid verò mirum, si noua in Ecclesia sua faceret omnia, quem dederat Pater caput super omnem Ecclesiam? quem constituerat Regem in monte sancto suo? Quod si vti missus ipse est, ita suos discipulos in mundum misit vniuersum, profectō eos magna instructos potestate, non nudo ministerio euangelizandi, misit: omninoque eos & leges ferendi, quæ pro

tempore

tempore vsui esse viderentur, & pœnis inobedientes coercēdi auctoritate donauit. Quorum alterū significat Paulus, cum ait: In propriū habētes vlcisci omnem inobediēciam, cum impleta fuerit vestra obediētia. & rursum. Prædixi, & prædico vt præsens vobis, & nunc absens iis qui antè peccauerunt, & cæteris omnibus; quoniā si venero iterum, non parcam. & Vultis in virga veniam ad vos? & Si is qui frater nominatur inter vos, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriolus, aut rapax, cum eiusmodi nec cibum sumere. De altero verò scriptum est, quia Paulus confirmans Ecclesias, iubebat custodiri præcepta Apostolorum & Seniorum, in quibus erat illud: Visum est Spiritui sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, vt abstineatis ab immolatis simulacrorum, & sanguine & suffocato. & alia quæ supra memorauimus. Et ministrare quidem venerat Christus; quia non sua commoda, sed nostram salutem venerat quaesiturus. sed si Dominus non fuisset, præcipiendi quod vellet potestatem habens, non hoc de se discipulorum approbasset iudicium: Vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis; sum etenim. Sic se quoque, eius exemplo, ministros exhibuere discipuli, non potestatem ostentantes, non gloriam, non honores, non pompas sibi à subditis petentes, sed eorum vilitatibus inuigilantes. Quis autem nescit, non illum voluisse videri externum seculi Monarcham, temporalia tractantem atque moderatē? Non enim erat regnum eius de hoc mundo. Quod si fuisset, ministris armatis incessisset stipatus, ad terrorem incutendum: illique pro eo decertassent, ne Iudæis in potestatem traderetur. Sed erat tamen Ecclesiæ suæ Caput, Rex, Sponsus ac Dominus: quæ omnia ridiculū est in eo ponere sine auctoritate præcipiendi atque coercendi. Porro si Pontifices & Episcopi in locum Aposto-

lorum successerunt, si Christi in terris iidem vices gerunt, profectò leges quoque ferendi, & coercendi potestatem habent. Ex quo perspicitur, ea ipsa quæ ad euertendam veritatem Brentius comparauerat, ad eandem constituendam mirificè conducere; per eadem quippe vestigia Ratiocinationum ingredientes, hoc confirmamus, quod ille frustra infirmare conatur.

CAPVT X.

Quatenus ad ea quæ fidei sunt & morum, Scriptura sancta Canon sufficiat.

VT igitur articulos fidei condere Ecclesia, ita & leges morum potest. Alterù, quo aduersus quasque hæreses insurgentes, fidelium animi, distincta plana que rerum credendarum explicacione muniantur. Alterù verò vt in officio pietatis & virtutis contineatur populus Christianus, legum disciplinæ que vilitate. Sed legum non eadem omnino quæ fidei ratio est. hæc enim noua esse non potest: illis subinde nouis est opus. Næc præscribit vnquam Ecclesia tanquam credendum, quod vel simpliciter creditum antea non sit: sed quod fieri non necesse fuerit priùs, id iustis adducta causis interdum præcipit faciendum. Equidem sufficere aliquosque fateor quæ scripta sunt, videlicet, non vt illic particulatim scripte leges vniuersæ putentur, quas obseruare solas necesse sit: sed vt præter multa explicatè posita præcepta viuendi, etiã morum sanctissimorum, & optimarum principia legum, illis literis credantur comprehensa teneri. Nam quemadmodum ad ea quæ fidei sunt cognoscenda, Christiano diuina scriptura sufficit: non quòd quecumque credenda sint, in ea sigillatim & expressè posita legantur, sed quòd & eiusmodi multa complectatur, & insuper Ecclesiæ demonstret auctoritatem, cui credendum sit:

ita

ita ad ea quæ sunt morum hætenus sufficit, quòd vel Ecclesiæ commendet potestatem, cui sit obediendum. Propter illud dictum est, Ecclesiam columnam esse & firmamentum veritatis; ne in ijs vacillares quæ credenda proposuisset. Propter hoc scriptum est: Obedite Prepositis vestris, & subiaceate eis; ne putares nõ esse faciendum quod illa præcepisset. Qui pius est igitur, suaque de salute prudenter sollicitus, ad ea quæ credere debeat, non magna difficultate perueniat, illam magistram agnoscens, cuius lumine prædictum est gentes illustrandas esse, in eoque ambulaturas. Et qui refractarius non est, is suæ matris, quæ illum Christo peperit, suspiciet potestatem, sequetur prudentissimã voluntatem: qui non solius Patris cælestis, verù etiam matris iussus sit parere præceptis, dicente scriptura: Conserua fili mi præcepta patris, & ne dimittas legem matris tuæ. Liga ea in corde tuo iugiter, & circumdaggutturi tuo. Cum ambulaueris, gradiatur tecum: cum dormieris, custodiant te: & enigilans, loquere cum eis: quia mandatum lucerna est, & lex lux, & via vitæ increpatio disciplinæ. Vt igitur nulla se possit excusatione tueri, qui neget se hoc aut illud esse crediturum quod scriptum non sit, cum Ecclesiam audire iubeatur, quam contemnit: ita se frustra is purgare conabitur, qui Ecclesiæ præceptis, quæ scripta non sint, parere recusabit, cui ex ipsa Scriptura parendum esse didicerit. Et quemadmodum Apostolus Paulus hæc laude ornat veteris Testamenti sacras literas, quòd ad salutem instruunt, sed per fidem quæ est in Christum: qua remota fide, non instruunt, sed excæcant: non liberant ad salutem, sed tanquam laqueis implicant ad ruinam, sicut scriptum est: Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributionem, & in scâdalum: Ita literæ & Propheticæ & Euangelicæ, abundè quidem erudiunt doctrina salutari, sed per fidem quæ de

Trom. 6.

Psal. 68.

Ecclesia habeatur. Quippe hanc si in illis agnoueris, probè doctus euasisti. non enim te illa fluctuare dubitatione animi, nō ignorare quod scisse oporteat, non errare noxia persuasione patientur. Sin impediēte cæcitate, illa non videtur, aut fluctuet animus incerta expositione scripturarum, aut labore variorum obscuritate locorū, aut perniciosè erret temeraria fictaque interpretatione, necesse est. Multa quidem sacræ literæ & perspicuè & expresse tradunt, quibus pietas moreſque inſormentur, hisque magno sunt ad salutē adiumento. Sed multa etiam sunt quæ hæretici commentando, deprauandoque obscura, ambigua, noxia reddunt. Complura quoque existunt, & credita semper, & obseruata à maioribus diligēter, quæ nusquam sacris expressa literis reperiuntur. Quid igitur in his omnibus agat Christianus? Vacillabit, quia illi inter se pugnando incerta faciunt? repudiabit, quia scripta non sunt? Errare cogetur, quod illi bene scripta, prauè interpretando corrumpunt? Minimè verò, si præter caput Christum, etiam corpus eius Ecclesiā sanctam, diuinis in literis tenuerit. Errare enim Christus & perire non potest. Christus autem totus, caput & corpus est. Qui corpus videt, is cui adharendum, cuiusque audienda vox, & cuius vestigiis insistentum sit, dubitare non potest. Huius vocibus si paremus, scripturam ipsam sequimur, quæ illas audire voces iubet. Baptizandos iterum non esse illos qui fuerint ab hæreticis baptizati, nusquam aperte scriptum est. Quid igitur hac in quæstione scriptura adiuvat? qua nos ratione confirmat, ad verustissimam consuetudinem retinendā? Quia hoc facimus, inquit Augustinus, quod vniuersæ iam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum scripturarum commédatur auctoritas: vt, quoniam sancta scriptura fallere non potest, quisquis falli meruit huius obscuritate quæstionis, eadem Ecclesiam de illa consulat,

Lib. 1. contra
Crescentium
cap. 33.

sulat, quam sine vlla ambiguitate scriptura ipsa demonstrat. Sed & aliud quiddam est in scripturæ singulari quadam opulētia animaduertendum. Non enim solūm Ecclesiæ demonstrat auctoritatem; sed ea quoque velut semina subministrat, aut rāquam principia suggerit, è quibus sanctissimæ leges oriuntur & eliciuntur. Quemadmodum enim, quia scriptum est, Principi tributa esse pendenda, rectissimè ille & modum & numerum tempusque prescribit: ita quia ieiunandum esse aliquando scriptura demonstrat, sapientissimè Ecclesia tempora ieiunandi præfigit. Item quia diuino cultui & orationi aliquando vacandum esse illa docet; hæc dies festos, quibus id commodissimè fiat, vtiliter instituit. Rursum quia diuinis in rebus, & ad Deum peculiariter colendum comparatis, summam reuerentiam illa requirit; idcirco hæc cærimonias varias, ad pietatem deuotionemque incitantes, rectissimè inseruit. Quia denique iudices illa demonstrat, qui continentium peccata aut retineant aut remittant, qui que propterea adeundi sint à reis, si velint peccatorum suorum è vinculis expediri; ob eam causam, cum iam elanguisset feruor ille Christiani animi, multique necessariam exomologesim peccatorum negligenter, ex Christi institutione faciendam; vtilissima tandem lege sancitum est, vt (saltem in anno) semel peccata quisque sua proprio Sacerdoti, aperta & simplici confessione detegeret: magna sanè moderatione id quidè, ne plus exegisse præcepto, multis, quos Ecclesia tolerat, transgressionis esset occasio. Quæ, cum ita sint; quis non perspiciat, Ecclesiasticas Leges, & ex Evangelica institutione ceu fonte manare, & ad eam confirmandā implendamque, mirificè conducere?

Concil. Later.
cap. 11.

CAPVT XI.

*Ecclesiasticas leges atque instituta, ob multiplicem eorum
utilitatem, non modo non minuire Christianam liber-
tatem, verum etiam augere & constabulare.*

SED multi, cum illa quæ ad hunc modum genera-
tim Scriptura commendat, aliquando facienda fa-
teantur: tamen id probari sibi posse negant, vt in iis
faciendis, ad certa tempora modò sue, legum vinculis
adstringatur Christianus, minimeq; id censent cum
libertate Christiana posse consistere. Qui ne sententiæ
suæ principem habere nullum videantur, habent
Aërium veterem quendam hæreticum, cuius apud
Epiphanium exstat sententia his explicata verbis:
[Quid est Pascha quod apud vos perficitur? Iudaicis
fabulis rursus addicti estis. Non enim oportet Pascha
peragere. Nam Pascha nostrum immolatus est Chri-
stus. Sed neque ieiunium erit ordinatum. Hæc enim
Iudaica sunt, & sub iugo seruitutis. Iustus enim nõ est
lex posita, sed iniustus. Si verò omnino volo ieiunare,
qualemcunque eligam diem à me ipso, & ieiunabo
propter libertatem.] Audis hæreticum, & serpentinæ
vovis virtus agnoscis: ieiunare non recusat omnino,
sed negat, quando id faciendum sit, superiorum lege
prescribi oportere: negat id quoque, iam conditis ie-
iuniorum legibus, Christiano parere necesse esse. Prin-
cipio autem hoc ponere in cuiusque voluntate quado
ieiunet, aut diuino cultui vacet, festa que celebret; ni-
hil est aliud, quam ad ieiuniorum, cultusque diuini
prius neglectum, postea & contemptum, aditum pate-
ficere. Cum enim in familia Christi ingens infirmo-
rum, maiorque sit carnalium multitudo, qui censet il-
los diu ieiunaturos esse, nulla vrgente prefectorum
lege, multum opinione fallitur, neque res humanas
satis habere videntur exploratas. Quis enim prudens

non

non animaduertat, ad ea quidem quæ vitiosa sint, vlt-
tro multitudinem solere rapi, ea que nemine cogente
cupidissime retinere: quod verò rectum sit ac salutare,
id negligi, id deferri, id euanescere celeriter ex hominũ
moribus, nisi certa sit disciplinæ lege roboratum? De-
inde sublatis legibus, vt sint qui ieiuniis sese macerent,
ac festa putent aliquando in Dei honorem celebra-
nda; nõne hæc aliis alio tempore, & pro sua quisque
priuata affectione facit? Ex quo nihil aliud consequetur,
quam rerum in Ecclesia confusio, perturbatioque
officiorum, & eorum quidem maximè, quæ maximè
statu oporteat fieri temporibus, prudenter que insti-
tuiti, & ita suscipi, vt in ijs colendis atque seruandis,
vniuersa quasi totius Reipublicæ Christianæ vultus ap-
pareat. Postremò sic esse videmus naturã cõparatum,
vt alij aliorum exemplo & seruire caleant, suscipia-
turq; alacrius, quòd ab omnibus fieri videatur. Quis
& ipsam Deum, cui nostris operibus placere stude-
mus, certum est plurimum facilius, quam vnus atque
paucorum ieiuniis & oratione placari. Quam ratione
Leo Pontifex præclare expressam reliquit; hunc in
modum: Diuinarum reuerentiæ sanctionũ, inter quæ
liber spontaneæ obseruantie studia, habet semper pri-
uilegium suum; vt sacratius sit quod publica lege ce-
lebratur, quam quod priuata institutione dependitur.
Exercitatio enim continentie, quam sibi quisque pro-
prio arbitrio inditit, ad utilitatem cuiusdam pertinet
portionis: Ieiunium verò quod vniuersa Ecclesia sus-
cipit, neminem à generali purificatione seingit: &
tunc fit potentissimus Dei populus, quando in vni-
tatem sanctæ obedientie, omnium fidelium corda con-
ueniunt, & in castris militiæ Christianæ similis ex omni
parte preparatio, & eadem est vbique munitio. Fre-
mar licet cruenti hostis peruigil furor, & lætibus
vndiq; præhendat insidias: nemine tamen capere, ne-
minem

Serm. 3. de
ieiunio 7. men-
fis.

minem poterit vulnerare, si nullum inertem, nullum desidem, nullū inuenerit ab opere pietatis extorem. Ex his perspicui potest, legum eiusmodi multiplicem vtilitatem existere. Prima est, quod ijs nostra tarditas extimuletur ad officium pietatis, felicissimaque illa fiat necessitas, quæ ad meliora compellit. Secunda, quod ordine, quod suis temporibus & locis, quod sapienter & tranquillè, constitutis legibus, cuncta in Ecclesia gerantur, quæ ad Dei cultum, nostramque salutem spectant. Nimirum vt obseruetur Apostolicus ille Canon, quo statuitur: Omnia honestè & secundum ordinem fiant in vobis. Tertia, quod his exerceatur humilitas & obedientia, res sanè non aspernanda homini Christiano. Nam si à medico prescribi nobis patimur dietam, non feremus à sapientissimis hominibus præcipi quæ maximis in rebus facienda sint, præsertim cum in eo genere rerum, maiore quàm in aliis ignorantia & imprudentia plerique laboremus? Audit miles in castris ducem suum, eiu'que ad nutum obsequitur: nos in Christi castris constituti, ita nobis præsidemus, vt nullius nobis ducis imperium tantis in rebus necessarium esse arbitremur? Quarta vtilitas est, quod legibus fiat communis omnium ratio, commune ieiunium, commune pietatis opus, quibus à tota simul profectis Ecclesiæ, efficacius diuina elemètia moueatur. Plenissima enim, inquit Leo, peccatorum obtinetur abolitio, quando totius Ecclesiæ vna est oratio, & vna confessio. Si enim duorum aut trium sanctorum pio consensu, omnia quæ poposcerint, Dominus præstanda promittit; quid negabitur multorum millium plebi, vnam obseruantiam pariter exequenti, & per vñ spiritum concorditer supplicanti? Magnum est enim in conspectu Domini, valdeque pretiosum, cum totus populus Christi, iisdem simul instat officiis, & in vtroque sexu omnes gradus, omnesque ordines, eodem

eodem cooperantur affectu. Et iterum alio loco: Publica, inquit, præferenda sunt propriis: & ibi intelligenda est præcipua ratio vtilitatis, vbi vigilat cura communis. Sic ille. Vidit hoc quoque aliquando nostris ex aduersariis, non infimi quidam neque obscuri nominis, quantum esset in legum disciplina momenti situm, ad virtutis pietatisque in vnoquoque, & rursus tranquillitatis, concordiaque popularis in republica conseruationem: qui si audire seipsum voluisset, nunquam hac quidem in parte, nos aliàs vnquam oppugnasset. At enim, in violatione Ecclesiasticarum legum, duas res maximas periclitari, disciplinam & tranquillitatem publici status: atque disciplina causa adiungit certis ordinationibus opus esse, propterea quod hæc vbi nullæ sunt, in procliu sit, vt licentia, officiique prætermisio consequatur. Licentiã autem prophanos effici prophaniores. Vulgus enim hominum ad id quod libeat naturã procliu, odisse legum vincula, libenterque imitari eiusmodi exempla licentia. Denique, vt ordo & harmonia publicorum rituum conciliat & consociat homines, ita confusionem ordinis, & discrepantiam rituum, animos distrahere, parereque tumultus ingentes, & æterna bella. Magna profectò vis veritatis, quæ & ab hoste claram ad eò sui confessionem expresserit.

Serm. 4. de ieiunio 7. uersis.

Philippus
Melancthon
in Epitome
Ethnicorum
Aristotelis.

CAPVT XII.

Legum Ecclesiasticarum contemptum & violationem ab offensione Dei seiunctam non esse.

QVOD si Legum Ecclesiasticarum summa vtilitas est, neque eas ferendi, Ecclesiæ potestas deest: facile intelligitur, quanto sit illis studio curaque parendum. Si enim, propter conscientiam, Principum legibus obediendum est: cui dubium esse potest, quin multo

1. Cor. 14.

Serm. 3. De
ieiunio 7. mel-
sis.

multo magis Dei metu, eorum præceptis acquiescendam sit. quorum nos ad regnum beatum cura perducit? In quibus est Apostolorum beata successio, de quibus scriptum est: Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos principes super omnem terram: memores erunt nominis tui Domine in omni generatione & generationem: propterea populi confitebuntur tibi. Et rursum: Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum. Hos igitur, eorumque successores, hæcenus habuimus Ecclesiæ Christianæ duces ac principes, eosdemque post vnum Deum spirituum patres: ut si carnis progenitores reueriti sumus, iisque obtemperandum duximus, multo magis, si volumus viuere, iis qui nos in Christo genuerunt, parere debeamus. De his scriptum est: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit: ne quisquam videlicet illorum se iussa impune putet aspernari posse; cum iis contemptis, Christus se contemptum esse arbitretur. Quod si dum iis obeditur, Christo ipsi obeditur, & si spreto eorum præcepto, Christo obedientia subtrahitur, fieri non potest ut non simul Christus offendatur. Etenim frustra sibi blandiuntur, dum velle se dicunt audire Christum, eiusque obediēter præcepta suscipere, qui hos quibus suas in terris credidit vices, audire recusant. Tales multos quia præuiderat Dominus in Ecclesia futuros, qui vni se Christo adherere verbis splendide præseferrent, cuius tamen ministros seu vicarios contemnerent, hoc indicio, qui se audirēt, internosci posse monstrauit, si eorum vocibus acquiescerent, qui ipsius legatione fungerentur. Qui vos, inquit, audit, is est qui me audire putandus est: qui autem vos spernit, frustra ille quidem se meum esse discipulum gloriatur, a quo etiam spernar in vobis. Hoc, inquit Cyprianus, ad Apostolos dicit, ac per hoc ad omnes præpositos, qui

Eph. 44.

Luce 10.

Lib. 4. Epistol. 9.

Apo-

Apostolis vicaria ordinatione succedunt. Idcirco & Moyse populi Israëliti dux, non ignarus cuius auctoritate & vice in eo populo regendo fungeretur, in Deum præcipue redundare suas dixit iniurias. Nos enim, ait, quid sumus? nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. Atque id Deum sic accipere, seruumque suorum iniurias, suas esse putare, Samueli his verbis ostendit: Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi: non enim te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos. Regem habere cæterarum gentium more gestiebant: Iudicis sui, simulque Prophete & patris simplicitatem & ætatem fastidiebant. Et se in eo Dominus contemni & abiici querebatur: atque ut hoc vlsceretur, excitauit eis Saul regem, qui eos iniuriis grauibas affligeret, & per omnes contumelias & pœnas, superbum populum calcaret & premeret: ut contemptus sacerdos, inquit Cyprianus, de superbo populo vltione diuina vindicaretur. Cur autem Heliam Thesbuen principum quinquagenariorum aded exasperauit oratio, ut ignem è caelo ad eos absumendos deuocaret, nisi quod sui contemptum, Dei contemptum esse animaduertet? Cui quantum deberetur honoris ac timoris, quantoque in pretio ministros eius habere oporteret, præsentivltione demonstrandum esse putauit. Nemo proinde sibi vitæ aut salutis putet constare posse rationem, si Episcopis & Sacerdotibus, inquit Cyprianus, obtemperare noluerit, cum in Deuteronomio Dominus Deus dicat: Quicumque superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, ex decreto Iudicis morietur homo ille. interfici Deus iussit Sacerdotibus suis non obtemperantes: iudicibus à se ad tempus constitutis, non obedientes. Et tunc quidem gladio occidebantur, quando adhuc & circumcisio carnalis manebat: nunc autem cum circumcisio spiritualis esse ad fideles Dei seruos cepit,

Exodi 16.

1. Reg. 8.
Cyprian. lib. 3.
epistol. 9.

Lib. 3. Epistol. 9.

Ipi-

spirituali gladio superbi & contumaces necantur, dum de Ecclesia eijciuntur. Neque enim viuere foris possunt, cum Ecclesia Dei vna sit, & nemini salus esse nisi in Ecclesia possit. Hæc ille. Siue autem sit corporis morte pereundum, siue Ecclesiasticæ æquitatis subcunda censura, nullum tam graue supplicium irrogari cuiquam, nisi ob crimē, potest. Beatus Apostolus cum dixisset Iudæorum Pontifici: Percutiet te Deus paries dealbate; obiectumque illi continuo esset, maledicere eum Sacerdoti Dei: quamuis Domino iam crucifixo, sacrilegi, & impij, & cruenti illi esse cœpissent, nec iam quicquam de Sacerdotali honore & auctoritate retinerent: tamen ipsum quamuis inane nomen & umbram quandam Sacerdotis cogitans, expauit. Nesciebam fratres, inquit, quia Pontifex est. Scriptum est enim: Principi populi tui non maledices. Cum igitur in illo Sacerdotio umbratico tanti Apostoli præcedat exemplum: quo nequitiae scelerisque loco esse putamus eos, qui non modò veris Dei Sacerdotibus Christi que ministris non obtemperant, verumetiam Sacerdotum hostes, & contra Ecclesiam rebelles, nec permouentur Domini comminatione, nec futuri iudicij ultione terrentur: cuius mali quam latè pateat pernicijs, Cyprianus ostendit. Hæc enim sunt, inquit, initia hæreticorum, & ortus atque conatus schismaticorum, malè cogitantium, vt sibi placeant, vt præpositum superbo tumore contemnunt. sic de Ecclesia receditur, sic altare prophanum foris collocatur, sic contra pacem Christi & ordinationem, atque vnitatem Dei, rebellatur. Neque enim, vt idem ait, aliunde hæreses ortæ sunt, aut nata schismata, quam inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur; nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur: cui si, secundum magisteria diuina, obtemperaret fraternitas vniuersa, nemo aduersum Sacerdotium colle-

Actorum 23.

*Cyprianus li. 1.
epistolæ episcopi 3.*

*lib. 1. epistolæ
lar. episcopi 3.*

collegium quicquā moueret: nemo post diuinum iudicium, post populi suffragium, post cœpiscoporum consensum, iudicem te non iam episcopi, sed Dei faceret. Hæc diuus Cyprianus. Si igitur contempto Sacerdotum præcepto, Christus ipse contemnitur: si, qui eos non audierit, iure grauissimo supplicio afficitur: si perniciosa adeò peste Ecclesiam inficit, obrèperare nolle Dei Sacerdoti: dubitabimus Deum offendi, quando præceptis eorum ac legibus obedientia recufatur? Quid quòd Apostolus mandata sua, Dei mandata vocauit? Si quis videtur Propheta esse, inquit, aut spiritualis, cognoscat quæ scribo vobis, quoniam Dei sunt mandata. An ea Dei mandata fortasse idcirco vocauerit, quòd ea lege naturæ aut diuina facere tenerentur? Sed in ijs est illud, cuius supra meminimus, de duobus vel tribus Prophetis: quod neque erat antea lege naturæ præscriptum, neque diuina vlla reperiebatur constitutum. erat in ijs & illud, vt mulier taceret in Ecclesia: cum tamen ad loquendum per naturæ & gratiæ dotes interdum præ viris reperiantur idoneæ. Restat igitur vt propterea Dei mandata, sua dixerit, quòd ea vice Dei & auctoritate constituisset. Ac reuera, quemadmodum ait Bernardus: Quid interest, vtrum per se, an suos ministros, siue homines, siue Angelos, hominibus patefaciat suum beneplacitum? Ideo quicquid vice Dei, inquit, præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud fecus omnino accipiendum est, quam si Deus ipse præcipiat. Hoc Bernardus.

1. Cor. 14.

In lib. de præcepto, ac præcepti dispensatione.

h

CAPVT

CAPVT XIII.

*Dissoluntur argumenta quædam, probare conantium,
legibus humanis conscientias non obstringi.*

3. *Occupatio.*

IAM autem quàm hoc leue sit perspicitur, non posse meam conscientiam quemquam hominum obstringere, quòd ea (soli Deo subiecta sit, solusque in eam habeat iudicij potestatem: cum ob hoc ipsum, quia Deum superiorem agnoscimus, eius potestate & auctoritate fungenti in terris, parère debeamus. Verùm quia nonnulli hoc tempore magnum id argumentum putant, ne quasi obiter dumtaxat attigisse videamur, ipsissimis hoc proponemus Caluini verbis, qui in epistolam diui Iacobi commentans, tractansque; quòd ille Apostolus ait, Vnus est Legislator & Iudex, qui potest saluare & perdere; hæc scripta reliquit: [Cum seruandi per dendique potestatem cum legislatoris officio coniungit, significat totam Dei Maiestatem ad se rapere eos, qui sibi ius ferendæ legis vendicant. Atqui tales sunt qui suum nutum aliis ingerunt pro Lege. Meminerimus autem non de externa politia hîc agi, in qua locum habent Magistratum edicta aut leges; sed de spirituali animæ regimine, in quo solum Dei verbum dominari conuenit. Vnus ergo Deus est, qui suis legibus cõscientias iure subiectas habet, quemadmodum solus animæ salutem vel interitum habet in manu sua. Hinc cõstat quid de humanis præceptis sentiendum sit, quæ conscientias laqueum necessitatis iniiciunt. Modestiam in nobis quidam desiderant, cum Papam vocamus Antichristum, qui tyrannidem in animas exercet, se legislatorem faciens Deo æqualem. Atqui ex hoc loco longè plus colligimus: Antichristi scilicet mēbra esse, qui tales laqueos sponte induunt, & Christo eatenus renunciare, dum illi non hominem tantum mortalem, sed qui se aduersus

uersus eum extollit, associant. Est (inquam) preuaricatoris obedientia, & quæ diabolo exhibetur, dum alium admittimus ad regendas animas legislatorem quàm Deum.] Hactenus Caluinus: quæ cum armare se beati Apolloli verbis videamus, numquid ea nos premant, intuendum est. Vnum ait Iacobus Legislatorem esse. Verùm quid obstat quominus hoc ita dictum accipiamus, quomodo vnus dicitur Pater, vnus Magister, vnus solusque Bonus? Hæc enim vnus Dei sunt principaliter, ceteris rebus quadam eius participatione cõueniunt. Sic Pater est, vt ex eo fluat omnis paternitas in celo & in terra. Sic Magister est, vt sine eius magisterio frustra cuiuslibet hominis lingua laboret. Sic Bonus est, vt de plenitudine eius accipiant quicumque dicuntur boni. Sic denique Legislator est, vt per eum Reges regnent, & Legum conditores iusta decernant. Penes eum itaque Lex illa est æterna, immensaque iustitia, è qua Lex omnis, qua temporaliter mortalium vtilitatibus consulitur, ceu riuius ex fonte deriuatur. Nam ne vulgarem intelligeres Legislatorem aut Iudicem; addidit: Qui potest seruare & perdere. Sed si propterea (vt Caluinus ait) totam Dei Maiestatem ad se rapiunt, qui sibi ius ferendæ legis vendicant; efficitur profectò non eos modò qui sibi hoc vsurpant in spirituali animarum regimine, verùm etiam in politica Reipublicæ administratione, hanc tantam incurere læsæ Dei maiestatis offensam. Siquidem vnus ipse Legislator non est, si vel in externa politia, mortalem hominem socium habuerit. Quod si in externa politia non socium, qui sibi ius æquale, aut à seipso vendicet, sed ministrum habet, qui ipsius auctoritate fungatur, quemadmodum beatus Paulus de Principe seculari loquens ait, Minister enim Dei est tibi in bonum: quænam obsecro diuinæ Maiestatis ista rapina est, si in directionem animarum, iure sibi concesso vtentes,

Pastorum Principi subseruiant illi, quos posuit regere Ecclesiam, quam sanguine suo acquisiuit? An regimen Ecclesiæ non est spirituale regimen animarum? aut in eo regimine subiectæ conscientiæ non sunt illorum quibus dicitur: Obedite præpositis vestris, & subiace-
 te eis; ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri? aut alium admittunt ad animas regendas quam Deum, qui Dei ministros suscipiunt, quibus obaudientes, ut iussi sunt, Deo ipsi obedire censeantur? Neque enim eorum præcepta sic hominum sunt, ut à Deo non sint; sed & è verbo eius fluunt, sicut è iustitia eius bonæ deriuantur Principum leges, & credita ab eo potestate atque auctoritate feruntur. An fortè per sapientiam Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt, & per eandem sapientiam non possunt Ecclesiarum præpositi salubriter regere, legesque condere ad regimen animarum
 I I I. • condugibiles? Non igitur peccata violantium ciuiles aut Ecclesiasticas leges, in eorum numero ponenda sunt, quibus homo, non Deus offenditur, de quibus scriptum est: Si peccauerit vir in virum, propitius erit ei Dominus: sed eorum potius in numero, de quibus subiungitur: Si autem in Deum peccauerit, quis orabit pro illo? Peccat enim in Deum, quisquis mandata eius voluntariè transgreditur; siue quæ per seipsum aut Angelos tulerit; siue quæ per hominum ministerium, tributa illis potestate & auctoritate, præfixerit. In his quippe omnibus Dei cernenda voluntas est, quæ ut à nobis impleatur, oramus; & quam si non facimus, offendimus. Sic autem nobis in Deum peccantibus; etsi hoc sæpenumero hominibus placendi studio curaquæ faciamus; quis orabit pro nobis, aut orasset vnquam omnino, nisi vnigenitus Filius è cælo venisset, qui fieret propitiatio pro peccatis totius mundi? Si quando verò propter Deum, hominem offenderimus,

mus,

mus, cum videlicet eius votis minimè satisfaciendum esse putamus, propterea quòd interdum diuinæ sint aduersa voluntati: hinc nos Dei propitiatio consolatur, propter cuius implendam iussionem, & non offendendam Maiestatem, hominis iram non pertimescimus. Cæterum, si non interdum peccantes in homines, in Deum ipsum peccaremus; non diceret Apóstolus: Sic
 I. Cor. 8. autem peccantes in fratres, in Christum peccatis. non diceret de præpositis Christus, quod commemorauimus: Qui vos spernit, me spernit: qui vos audit, me audit. Sublimis profectò, inquit Bernardus, inter homines hominum gradus: quos sibi Deus coæquare quodammodo in vtraque parte dignatus, sibi met imputat & eorum reuerentiam & contemptum. At homines, inquis, faciliè falli in Dei voluntate de rebus dubiis percipienda, & in præcipienda fallere possunt: quare non est eorum præceptum pro diuina habendum voluntate. Sed enim quid hoc refert tua, inquit Bernardus, qui conscius nō es? præsertim cum teneas de Scripturis, quòd labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem ex eius ore requirunt, quia Angelus Domini exercituum est? Requirunt autem Legem, non quam vel authètica vlla scriptura tradiderit, vel ratio manifesta probauerit: de huiusmodi quippe nec præceptor expectandus, nec prohibitor auscultandus est: sed quod ita latere, aut obscurum esse cognoscitur, ut in dubium venire possit, vtrumnam Deus sic aut aliter fortasse velit, si non de labiis custodientibus scientiam, & ex ore Angeli Domini exercituum certum reddatur. A quo denique potius diuina consilia requirantur, quam ab illo cui credita est dispensatio mysteriorum Dei? Ipsum proinde quem pro Deo habemus, inquit, tanquam Deum in his quæ apertè non sunt contra Deum, audire debemus. Hæc Bernardus. Ex quo animaduerti potest, inane esse illorum effugium, qui
 h 3 dicant

V.

Habr. 13.

II.
Hæc 29.

I. Reg. 2.

dicant teneri quidem subditos ad obedientiam, sed tum, cum eorum Præfæcti diuina ipsis mandata enunciauierint, non autem cum propria protulerint, quæ nusquam Lege Dei reperiuntur comprehensa. Inane, inquam, hoc est, & nullius firmitatis asyllum. Primum quod audire diuina mandata enunciantem atq. proponentem, nihil aliud est quam audire docentem, magistrique doctrinam amplecti & sequi, cum scriptura diuina non solum homines hominum velit esse magistros, sed & Præfæctos, neque eum solum agnoscat ordinem, qui sit inter discipulum & magistrum, verum etiam illum qui inter subditum Præpositumque uersetur. Deinde quis non uidet iuxta hanc intelligentiam, non modò subditos Præpositis, verum etiam Præpositos subditis suis, quando ex eis diuinam Legem, monitaque salutaria audierint, obedire debere? Nulla ergo ratio fuit cur potius inferiores Superioribus, aut filij parentibus, aut serui dominis parere iuberentur, quam è diuerso superiores inferioribus, parentes filiis, domini seruis, utique diuinam aliquando Legem docentibus, iussaque prominentibus caelestia. Ligant proinde Præfæcti conscientias subditorum, non ut doctores tantum, præceptis alterius præmonstrandis, sed etiam ut Rectores, præfigendis suis, neque doctrina modò præcellunt, verum etiam eminent potestate. At nolunt, inquis, Superiores interdum, quippiam præcipientes, conscientias subditorum ad culpam obstringi. Quasi uero, inquam, in eorum hoc manu sit, ut quod legitime, iustisque de causis præceperint, sine ulla Dei offensione uioletur. Nam ut Lex quidem feratur, aut præceptum constituitur, ab eorum id pender voluntate: sed ubi lara Lex est, neque postea ut abrogatione sublata, aut circa unumquempiam dispensatione relaxata, tum vi sua obligat, haud secus atque si ab ipso Deo immediatè profecta foret. non enim aliter

aliter accipiendum est, inquit Bernardus, Superioris præceptum, quam si ab ipso Deo præciperetur. Ut igitur telo emisso, non est in potestate iaculantis quid attingat, aut quem lædat: ita lege lata, non est in potestate conditoris, quemadmodum subiectos obstringat suos. Et sicuti, aut facto voto, aut dato iureiurando, quin his constringare, nulla tua voluntate impedire possis, quod illa suapte natura his qui ea fecerint, vincula quibus teneantur, iniiciant: ita Præfæctus quilibet, nulla potest impedire voluntate sua, quo minùs quod præceperit, fierique uoluerit, atque etiamnum velit, conscientias subditorum liget. Primum quod hanc voluntatem nihil omnino ualere sinat diuina ordinatio: Obedite Præpositis uestris, & subiaccete eis. Deinde quia legitimum Superioris præceptum, pro Dei præcepto, quod ex Apostolo constat, haberi debet. Et autem uoluntas Superioris, quemadmodum diuus Thomas annotauit, quocunque modo innotescat, tacitum quoddam præceptum. Et tanto uidetur obedientia promptior, inquit, quanto magis expressum præceptum obediendo præuenit, uoluntate tamè Superioris intellecta. Cum autem quippiam sub disunctione præscribitur, non unum aliquod præcisè; tunc considerandum est, utrum quod subiungitur sit afflictio & deiectio aliqua notabilis, an uero quedam operis permutatio. Si prius, satis declarari uideretur inesse culpam in uiolatione, quæ præscripta afflictione puniatur. Ideoque non satis propriè dici uideretur, obligari aliquem ad pœnam, & non ad culpam; cum pœna, nisi propter culpam, inferri non debeat. Sin posterius erit, tum non tenetur subditus alterum præcisè facere, sed hoc aut illud. ut cum dictum est, Vel abstinebis à lactariis, uel tantum pecuniæ erogabis in pios usus. Interdum autem præceptum non est, sed simplex ordinatio & statutum, quo declaratur quid fieri æquum sit.

Secunda secundæ, quest. 104, art. 2.

fit. vt cūm dicitur, Vel presentē te exhibebis, vel portione non habebis: quando videlicet ipsa portio, præsentia laborisq̄ue stipendium est. Æquum enim hoc est, vt qui non laborauerit, stipendium laboris nō accipiat vllum. Dixerit hīc aliquis: Si nō est in Superioris voluntate positum, obligetur nec ne præceptis eius conscientia subditorum, ideoq̄ue nec illud, quantum quisque obligetur: vnde igitur prouenit, quōd transgressionum alia sit aliis grauior? Primum ex conditione & natura præceptorum. neque enim sunt omnia paris ponderis, necessitatis, vtilitatis, dignitatis. Hinc illud Bernardi est: Si iubente seniore vt fileam, verbum mihi fortē per obliuionem elabitur, reum me fateor inobedientia, sed venialiter. nimirum propter legis ipsius qualitatem & conditionem. Quod ipsum & in diuinæ Legis præceptis ita reperitur, vt propterea contra eam & venialiter & mortaliter quandoq; peccetur. Sunt enim alia merito obseruationis maxima, sed minima culpa transgressionis: velut nō irasci omnino, non otiosē quicquam aut dicere aut facere. Alia verō merito quidem obseruationis non magna, sed in quibus tamen violandis grauissimi culpa criminis inest. Neque enim magnum est nō occidere, aut adulterium non facere: quæ tamen perpetrata, grauissimo- rum scelerum reatu cōstringunt auctores. Sic omnino inter præcepta Superiorum, non est omnium par dignitas & conditio, sed alia sunt aliis grauiora, maiorisq̄ue momenti. quo fit etiam vt maiori à prudentibus Præfectis cura præcipiantur atque exigantur. Siquidē præcipiendorum conditionem ac necessitatem, Superioris prudentia sequi debet, cura præcipiendi & intentione exigendi. Sed euenit interdū, vt quæ secundū se non sunt magni momenti, ea tamen in materia certæ virtutis à Superiore constituta, maioris multo ponderis efficiantur: vnde etiam existat non paulo gra-

grauior transgressio. velut si quid iustis de causis in virtute iubeatur sanctæ obedientia, quod alioqui per sese non tanti videatur esse ponderis. Nam & hoc in Lege diuina ita se habere perspicitur. Neque enim magnum erat per sese quiescere, neque operis quicquam agere: sed quatenus hoc ad Dei cultum præcipiebatur, iamq̄ue pietatis opus erat, magnam habebat dignitatem. quamobrem grauis adē existimata fuit illius transgressio, qui in die Sabbathi vel pauca ligna collegerat, vt morte mulcetur. Rectē igitur ac breuissimē Bernardus: Etsi vnus est qui offenditur, non tamen vnus ponderis quæ iubentur, nec vnus subinde discriminis iussorum est omnium censenda transgressio. Deinde culparum varietas pendet sæpenumero ab eorum diuersitate qui peccant: quōd alius ex infirmitate, alius ex ignorantia, alius ex contemptu & malitia delinquat. quorum priora duo, & in grauioribus culpam vehementer extenuant, postremum verō etiam in ijs quæ alioqui leuia forent, grauem admodū & exitialem reddit. De his autem apud Bernardum quædam vtiliter scripta reperies ab eo loco vbi ait: *Folio 289.* Quamobrem non video, inquit, cur ita omnem inobedientiam & transgressionem, vel minorum quorumlibet mandatorum exaggerandam putaueritis, vt exclamaretis: Quid ergo iam monacho poterit veniale peccatum esse, vel leue, cuius vniuersæ actioni crimen insidiatur inobedientia? Sed hoc inde videlicet cōstare creditis, quōd Prælatorum iussionibus tantum tribuendum asseritur, quantum si diuinitus traderentur. quasi verō & ipsa Evangelica præcepta non multum inter se discrepent, & merito obseruationis & transgressionis periculo. Ceterū sicut non omnia vnus esse constat vel necessitatis, vel vtilitatis, vel dignitatis; sic non vna de omnium transgressione fertur sententia, nec paria manēt discrimina dispares culpas.

Porro nec pari culpa negliguntur, quia non pari cura præcipiuntur, nec pari proinde pœna puniuntur. Ecce enim Euangelium tam vitium crapulae, quam fornicationis turpitudinem damnat. Verum quis magis non horreat è duobus malis, turpitudine fœdari, quàm cibo exsaturari? Nonne denique Veritas in Euangelio sub nominibus trabis & festucae, graues, leuesque discernit inobedientiæ culpas? nonne ipsa disputate, inò definiente, gradatim nobis distinguitur, quæ cuique reatui pœna debeatur, dum alium iudicio, alium consilio, alium & gehenna reum esse proferretur? Hac aliæque plura Bernardus. Denique ex diuersitate præcipientium tradit diuus Thomas culparum nasci varietatem: vt ceteris paribus, tãto plus culpæ inesse videatur, quanto cui magis obedire teneamur. Sed de his pro instituto satis.

CAPVT XIII.

Quod varietas multiplicataq; præceptorum Ecclesiarum non violet Christianam libertatem.

VIDEO nunc à quibusdam posse dici, vt non sit molestè ferenda obedientia, quæ superiori homini deferatur, tamen varietate multitudinèque præceptorum, plus æquo grauari Christianos: præsertim eos qui in monasteriis degunt, vbi viã ad cælum oporteat esse facilimam atque expeditissimam. Neque desunt qui propter eiusmodi queri putent Augustinum his verbis ad Ianuariũ: Nonnulli Christianam libertatem, quam Dominus paucis sacramentis voluit esse contentam, seruilibus quibusdam premunt oneribus: vt tolerabilior Iudæorum cõditio esse videatur. Quænam igitur ista? Turbam aiunt imprimis irruisse festorum dierum, quos vel Episcopi, vel Romani Pontifices, causis non necessariis instituerint. Et quis deinde

enumeret, inquit, quæcunque Concilii tum Oecumenicis, tum prouincialibus constituta leguntur? quæcunque item instituta monastica, siue regulis, siue statutis complectuntur suis? Et hæc quidem ita esse dicunt, cum scriptũ sit, in duobus præceptis totam pendere Legem & Prophetas. Quibus respondemus, primum non esse querimonie locum, vbi quid non impositum refugienti, sed antea meditatũ, frequenterque petitũ, & vltro voluntarieque susceptũ sit. id quod in monasticis institutis obseruari notissimum est. Quod verò ad ea pertinet quæ sunt populi Christiani communia, dicimus, neque multa neque graua esse illa, nisi his qui ea inuiti faciunt: quibus & diuinæ Legis præcepta, suapte natura facilima, graua videntur. Nihil autem tam facile, quod non difficile sit, si inuitus facias: neque verò seruiliter premũt, quæ sunt iustissimis de causis ad summam Christiani populi vtilitatem instituta. cur enim graue sit bonis mentibus, quàm sæpissimè in diuinarum rerum, & ad salutem pertinentium, cõtemplatione, tota animi cura & contentione versari? Quid dulcius cogitatione diuinæ bonitatis, in tam multis eius operibus & beneficiis ad contemplandum amandumque nobis expositæ? Quid vtilius atque salubrius, quàm subductis paulisper à terra nostris animis, in cælum tantisper meditatione ac desiderio ferri, exercere fidem, nutrire spem, charitatem inflammare? Quæ si deceat quotidie facere Christianum, patiantur etiam plusculos esse dies in Ecclesia institutos, quibus Christi cultores, abiectis secularibus curis, tam necessaria occupatione teneantur: patiantur vel quoque anno, congruentissimis temporibus, animos cælestibus alimentis refici, qui quotidie certas deligunt horas, quibus corpora, terreno rerum genere concreta, pascant atque conseruent. An verentur ne nimis officiosa gratitudine, beneficia in nos colata

lata diuinitus recolamus? ne propositis ad imitandum fortissimorum Christi militum exemplis, nimium aut fide crescamus, aut fortitudine roboremur, aut cæterarum quarumcunque virtutum amore & complexu sanemur? Quid de ieiuniis loquar? quæ tum demum nimis esse frequentia poterunt, cum verendum erit, ne pro nostris delictis nimis studiosè Deo satisfaciamus, ne lasciuam & rebellantem spiritui carnem nimium edomeimus, ne spiritus atque interior homo noster, renouetur supra modum, atque immoderatiùs ad superna eleuetur, ne fortè laudatissimam illam mulierem Annam virtute vincamus, quæ non discedebat de templo, ieiuniis & obsecrationibus Domino seruiens die ac nocte. Parum cogitât ablatum à nobis esse sponsum, atque hunc luctum frequenti ieiunio monstrandi, iustissimã causam existere. Sic enim Dominus iusserat: Cùm ablatas fuerit ab eis sponus, tunc ieiunabunt, seu ieiunare debebunt, frequentioribusq. se abstinentiæ studiis exercere, quòd hoc ipsius temporis status & ratio postulabit. Tempus enim hoc, pœnitentiæ & lachrymarum est & laboris. Tempus hoc, luctus est & satisfactionis, conciliandæque sibi apud supremum iudicem misericordiæ: de quo scriptum est, Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Ad cuius rei significationem, quadraginta dierum ieiunium ex Apostolica traditione, Paschæ tempus proximè antecedit, cùm Alleluia cantamus. Sicut enim Quadragesimæ dies, inquit Augustinus, ante Pascha significauerunt laboriosam vitam, in hac ærumna mortali: sic qui sequuntur dies læti, futuram significant vitam, ubi erimus cum Domino regnaturi. vita quæ significatur Quadragesima ante Pascha, modò habetur: vita quæ significatur quinquaginta diebus post resurrectionem Domini, non habetur, sed speratur, & sperando amatur, & in ipso amore, Deus qui promisit ista, lauda-

Matth. 9.

Matth. 5.

Serm. 7. Augustini in reces edito.

laudatur, & ipsæ laudes, Alleluia sunt. Quid igitur est, quòd instituta mirantur frequentiora ieiunia, quando hoc & ad salutem nostram accommodatissimum, & temporari, quo sponsi præsentia caremus, congruentissimum reperitur? Ideoque cùm in literis Euangelicis & Apostolicis præceptum esset (quemadmodum Augustinus ait) ieiunium; quibus autem diebus oporteret ieiunare, præcepto Domini vel Apostolorum, non esset in iisdem literis definitum: intellexerunt Ecclesiæ præfecti, id sibi relictum esse, vt ea in re, sicuti & in modo ieiunandi, certum præscriberent ordinem, qui à subditis seruaretur.

Epist. ad Casulanam.

CAPVT XV.

Institutorum Monasticorum varietatem, nihil officere Christianæ libertati.

QVOD autem propriè pertinet ad instituta monastica, suam hîc Bernardus causam tueatur. Eos enim alloquês, qui de multitudine varietatèque præceptorum querebantur, si ea cõscientias subditorum, quemadmodum Bernardus docuerat, obligarét: hinc vos, inquit, sumentes materiam sue occasionem argumentandi, asseritis, si hoc cõsiterit, vt iussa hominum quælibet, vel instituta, diuinæ auctoritatis pondere æstimanda sint, hominem sub homine aut vix aut nequaquam posse saluari, cùm in tanto cumulo mandatorum, quæ Prælati etiam per incuriam sæpe præcipiunt, interdum non præuaricari, aut difficile admodum, aut omnino impossibile videatur. Et quidem nõ nego difficultatem tantæ inesse perfectioni, sed cùm ipsa corde imperfecto præsumitur. Porro imperfecti cordis, & infirmæ proflus voluntatis indicium est, statuta seniorum studiosius discutere, hærete ad singula quæ iniunguntur, exigere de quibusque rationem, & malè

Lib. de præcep. & dispens.

malè suspicari de omni præcepto, cuius causa latuerit: nec vnquam libenter obedire, nisi cùm audire contigerit quod fortè libererit, aut quod non aliter licere seu expedire monstauerit vel aperta ratio, vel indubitata auctoritas. Delicata satis, imò nimis molesta est huiusmodi obedientia. Non planè hæc illa est quæ ex regula traditur, obediētia sine mora: disputare profectò hoc est in astu cordis, non in auditu auris obedire. Istiusmodi ergo carnalem animam non modò premi, sed etiam opprimi pondere præsumptæ perfectionis, necesse est: quia non potest portare caro infirma, quod solus spiritus promptus experitur iugum esse leuæ, & onus leuæ. Christi quippe iugum & onus est, & omnino importabile, nisi Christi æquè Spiritui. hinc itaque si dicitis legem regulæ subintraße, vt abundaret delictum, verum dicitis. Cæterum culpa hæc, non est dare legis, aut dantis legem, sed improuidè profitentis, & impiè præuaricantis. Mandatum quidem sanctum & iustum, sed tu te noris esse carnalem, venundatum sub peccato. Verùm hoc antè prouidisse debueras; quo turris huius Euangelicæ non priùs iaceres fundamenta, quàm sedens computares, si haberes sumptus ad perficiendum. Nunc autem quid restat, nisi vt aut correctus obedias senioribus, aut confusus audias ab illis: Hic homo cœpit ædificare, & nō potuit consummare? Hęc Bernardus. Multa igitur esse fatemur & varia præcepta monastici instituti; sed eiusmodi, quæ obseruata, perfectionis studium mirè promoueat: quæ peccata innumera, quibus in seculo procliuus polluimur, excludant: quæ conducant ad pleniorē diuinæ Legis obseruationem, in qua omnis Christianæ virtutis progressio atque consummatio est: quæ ipsa varietate sua, bonas mentes & voluntates instruunt plenius; præbentque illis scientiam vtilem, cui se conforment: cuiusmodi instructione, propter varios vitæ casus,

casus, & ignorantias nostras atque infirmitates, indigemus: quæ viam in cælum verè expeditam & munitam reddant: quæ denique nemini graui videantur, nisi qui adhuc Spiritum Christi ad eam mensuram nō habet, qua veraciter amatur, & toto corde quaritur Christianæ vitæ perfectio. Sed etsi aliquantam initio molestiam exhibeant, duræque eius instituti tam multa vincula videantur: tamen eos postea quos salubriter constrinxerint, mirè liberos dimittunt. atque id proprium habet Christi iugum, veræque sapientiæ disciplina. constringit, vt laxet: premit, vt leuet: seruitutem quandam carnī facit, vt spiritus pariat libertatem. Ac voluptas mundi huius, id est, seculi & diaboli iugum, habet omnia contraria, blanditur, vt noceat: laxare videtur, vt amarissimè cōstringat: pollicetur libertatem, vt inextricabilis vincula seruitutis iniiciat. Ac præclare quidem Augustinus in Epistola quæ scripta est ad Licentium, describit quid intersit inter iugum & vincula sapientiæ, & iugum ac vincula mundi huius. Sapientia (inquit) quos primò alligauerit, & exercitatoris quibusdam laboribus edomuerit, soluit postea, liberatisque sese donat ad fruendum. Et quos primò temporalibus nexibus erudierit, post æternis amplexibus alligat, quo vinculo nec iucundius, nec solidius cogitari quicquam potest. Prima hæc, aliquantulum dura esse confiteor: illa verò vltima, nec dura esse dixerim, quæ dulcissima sunt; nec mollia, quæ firmissima. Vincula verò huius mundi, asperitatem habent veram, iucunditatem falsam; certum dolorem, incertam voluptatem: durum laborem, timidam quietem; rem plenam miseriæ, spem beatitudinis inanē. Hactenus Augustinus loco memorato.

Epist. 39.

CAPVT

CAPVT XVI.

Augustini doctrinam nihil hæreticis hac in parte patrocinari.

August. ad Ianuarium.

RESTAT vt quid aliàs sibi velit, ostendamus: Ipsam enim religionem, quam paucissimis & manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei liberam esse voluit, seruilibus ait oneribus premi, vt tolerabilior sit conditio Iudæorum, qui etiã si tempus libertatis non agnouerint, legalibus tamen sarcinis, non humanis præsumptionibus subiciebantur. Sed qui hæc, de quibus loquitur, seruilia onera, in præceptis institutisque Ecclesiasticis intelligunt, prorsus neque quid disputet Augustinus, neque quid proximè antecedit, animaduertunt. Differit autem capite decimo nono de ijs quæ tanquam sacramenta, non publicæ eorum auctoritate qui præ sunt, instituta: sed priuata quorundam præsumptione, excogitata seruetur & à paucis, & variè. Scribit enim hunc in modum: Quod autem instituitur præter consuetudinem, vt quasi obseruatio sacramenti sit, approbare nõ possum: etiamsi multa huiusmodi propter nonnullarum vel sanctarum vel turbularum personarum scandala deuitanda, liberius improbare non audeo, sed hoc nimis doleo, quia multa quæ in diuinis libris saluberrima sunt præcepta, minus curantur; & tam multis præsumptionibus plena sunt omnia, vt grauius corripitur qui per octauas suas terram pede nudo tetigerit, quàm qui mentem vinolentia sepelierit. Omnia itaque talia, quæ neque sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Episcoporum Conciliis statuta inueniuntur, nec consuetudine vniuersæ Ecclesiæ roborata sunt, sed diuersorum locorum, diuersis moribus innumerabiliter variantur: ita vt vix, aut omnino nunquam inueniri possint causæ, quas in eis instituen-

stituendis homines secuti sunt, vbi facultas tribuitur, sine vlla dubitatione rescanda existimo. Quamuis enim neque hoc inueniri possit, quomodo contra fidem sint: ipsam tamè religionem, quam paucissimis & manifestissimis celebrationum Sacramentis misericordia Dei esse liberam voluit, seruilibus oneribus premunt. Sed Ecclesia Dei, inter multam paleam, multaque zizania constituta, multa tolerat: & tamen quæ sunt contra fidem vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit. Sic Augustinus. De præceptis autem ijs & consuetudinibus, quæ exhortationem habet vitæ melioris, vide superiori capite quid dicat. Miror sanè quid ita volueris (inquit) vt de ijs quæ variè per diuersa loca obseruantur, tibi aliqua conscriberem: cum & non sit necessarium, & vna in his saluberrima regula retinenda sit: vt quæ neque sunt contra fidem, neque contra bonos mores, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris, vbicunque institui videmus, vel instituta cognoscimus; non solum non improbemus, sed etiam laudando atque imitando sectemur, si aliquorum infirmitas non ita impedit, vt amplius detrimentum sit. Si enim eo modo impediat, vt maiora studiorum lucra speranda sint, quàm calumniatorum detrimenta metuenda: sine dubitatione faciendum est maximè illud, quod etiam de Scripturis defendi potest, sicut de Hymnis & Psalmis canendis: cum & ipsius Domini & Apostolorum habeamus documenta, & exempla, & præcepta, de hac re tam vtilia. Sed & in hac eadem epistola, Quadragesimæ ieiuniū, ob quod maximè isti queruntur se premi seruitute, quanti fecerit, verbis eius manifestissimis exprimitur. Quadragesima sanè, inquit, ieiuniorum habet auctoritatem & in veteribus libris, ex ieiunio Moyse & Helix, & ex Euangelio: quia totidem diebus Dominus ieiunauit, demonstrans Euangelium non dissentire à Lege &

Prophetis. & infra: Nam vt quadraginta dies ante Pascha seruentur, Ecclesiæ consuetudo roborauit. Vnde peripicuum est, non voluisse eum hoc ieiunium inter ea censeri, de quibus loquitur in Psalmum 118. Scribens: cum & inter Christianos esse dicit, qui timorē habeant Dei, sed non secundum scientiam, statuentes duriora præcepta, quæ non possit humana conditio sustinere, idq. disciplinæ prætextu, cui consulere velle videantur. Sed neque ea quæ significandi causa instituta sunt, superiore loco improbat, quando neque legitima deest auctoritas qua sint instituta, & causa reddi potest, quamobrem sic vtiliter obseruentur. In eadem quippe epistola, Paschæ, & eius quæ ante celebratur Quadragesimæ, sacramentum exponit. Quid etiam sit quod medium tempus inter Pascha & Pentecosten significet, declarat: in quo ieiunia relaxatur, & stâtes oramus, inquit, quod est signū resurrectionis. vnde etiã omnibus diebus Dñicis, inquit, hoc ad altare obseruatur, & Alleluia cantatur, quod significat actionem nostram futuram nō esse, nisi laudare Deū: sicut scriptum est: Beati qui habitant in domo tua Domine, in secula seculorum. laudabunt te. vbi verò legitimam auctoritatem posuerit, qua istiusmodi quærit institui, verbis quoque suis aperuit: siue cum ait adiunctam esse ipsorum dierum obseruationem per Patrum Concilia, & orbi vniuerso Christiano persuasum esse, eo modo Pascha celebrari oportere: siue cum postea dicit, illa, cum facultas adest, rescari debere, quæ neque sanctarum Scripturarum auctoritatibus continentur, neque in Conciliis Episcoporum, nec consuetudine Ecclesiæ vniuersæ roborata sunt, sed diuersorum locorum, diuersis moribus innumerabiliter variantur, ita vt vix aut omnino nunquam inueniri possint: causæ, quas in ijs instituendis homines secuti sunt. Hæc si in literis Augustini perpenderent, non

ad eò

aded nobis impudenter paucula eius verba objicerent, quibus fucum facerent imperitis.

CAPVT XVII.

Quomodo supradictis nihil repugnet, quod scriptum est, in duobus de dilectione mandatis Legem Prophetasque pendere.

SI quem autem fortasse moueat quod scriptum est, Sin duobus de dilectione mandatis Legem Prophetasque pendere: is vel hoc consideret, non minus veteris Legis tempore verè id dici potuisse: cum tamen essent tam multa, & aded multiplicia diuinæ Legis præcepta, quæ obseruare etiam homines eius temporis iusti debuerunt. Sed quia plenitudo Legis dilectio est, idcirco quæcunque præcepta sunt, siue quæ peculiariter diuina dicuntur, siue quæ à Præfectis vice Dei constituuntur, duobus illis obseruatis de dilectione præceptis (quorum vis patet latissimè) vniuersa expeditè seruantur. ipsaq. dilectio, qua maximè in rebus ordo seruatur, & obedientia roboratur, impleri illa iubet: ne qua à nobis offensione charitas Dei proximæ lædatur. Si enim paternam dilectionem violat filius, recusans qualecunque iustum patris imperium: quomodo charitatem quam proximis superioribusque suis debeant, illi conseruabunt, qui iustissimas eorum leges & præcepta reiiciunt? Quonam modo etiã cum hac obstinatione animi rebellantis, charitas ipsius Dei constabit, cuius voluntas est, vt Præpositis quisq. suis obtemperet? Si diligere Deum (ait Chrysostomus) diligere proximū est (Nam, si diligis me o Petre, inquit, pasce oues meas) si etiam dilectio proximi facit vt mandata custodias: meritò ait in hoc totam Legem & Prophetas pendere. Diuus quoque Augustinus, Meritò, inquit, magister bonus dilectionem sic sepe com-

Matth. 23

Hamil. 7. in Matth.

Tract. 87. in Ioannem.

mendat, tanquam sola præcipienda sit, sine qua non possunt prodesse cætera bona, & quæ non potest haberi sine cæteris bonis, quibus homo efficitur bonus. sicut igitur haberi charitas non potest sine fide, longanimitate, bonitate, mansuetudine, continentia: quæ beatus Apostolus, tanquam ex ipso charitatis capite religata contexit in Epistola ad Galatas: ita sine obedientia, qua Dei Superiorumque mandatis pareatur, constare non potest. Nihil sanè debere nos patitur Apostolus, nisi ut inuicem diligamus. sed hoc eam ob causam, quòd, cum cetera eiusmodi sint, ut persolui possint, nec iam amplius persoluta debeantur: vna charitas est, quam ita perpetuò proximo iubemur exhibere, vteam semper nihilominus debere nos intelligamus: hoc quippe debito, nunquam ita nos exsoluimus, ut aliquando proximum diligere minimè teneamur. Denique finis præcepti, quemadmodum Apostolus ait, charitas est, de corde puro, cōscientia bona, & fide non ficta: non ut habita charitate, Superiorum præceptis repugnemus; sed finis præcepti idcirco dicitur, quia per charitatem præceptum consummatur, absoluitur, & quodammodo finitur: ut videlicet nihil aut perparum de præcepto supersit, quod non obseruetur. vel sanè hoc modo potest accipi, ut præcipièdi finis, propter quem nimirum præcepta hominibus dantur, sit charitas siue præcepti impletio. quæ cum in nobis erit consummata atq. perfecta, tum præceptionibus atque ad monitionibus nullis opus erit, quando videlicet ad eam peruenerimus perfectionem diuinę cognitionis & amoris, ut, iuxta Prophetiam, non necesse sit cuiquam dicere, Cognosce Dominum. Nunc verò, in tanta vitæ infirmitate, & charitatis imperfectione, variis præceptionibus, quibus ad perfectionem nitamur; & adhortationibus, quibus frigidi subinde calefacimus, utendum est.

*Quonam modo Christianos dominari Christus
vetuerit.*

VEHEMENTER autem falluntur, qui omnem superioris excellentiam potestatis, Dominum sustulisse censent, cum ait: Principes gentium dominantur eorum; & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit inter vos fieri maior, sit vester minister: & qui voluerit inter vos esse primus, erit vester seruus. sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam in redemptionem pro multis. Quibus Euangelij verbis non satis attentè consideratis, & ipse Ludouicus Viues scribere non dubitauit, Christum disertis verbis omnem inæqualitatem sustulisse, honoresque & principatus vniuersos, ad Gentilium infanias reiecisse, nihilque esse voluisse quod nobis spiritus attolleret. Primùm autè, non ait Dominus: Gentium populi Principes habent ac Reges, vos Christiani nullos habebitis Reges: & inter illos quidam maiores sunt, ac potestate præcellunt; vos omnes pares esse oportet. Quem enim haberet locum, quòd ipsos Christianos alibi per quandam futuri prophetiam sic admonet Reges: Er nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram: Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, nequando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta? sed cum illum diuinitus institutum ordinem, quo alij alij gubernandis præfunt, Deique in eo ministri sunt, approbaret: vitium quod sublimiorem solet potestatem infestare, à suis cupit esse alienissimum. Neque verò ad Ecclesiasticos Præsules dumtaxat hæc pertinent, verum etiam Christianis Regibus Principibusque dicuntur: ut se quoque admonitos intelligant, tametsi amplissima sunt in cæ-

*Matth. 20.
Luca 22.*

*In caput 29.
lib. 18. De Ci-
uitate Dei.*

psal. 2.

teros præditi potestate, tamen Gentilium non debere dominari in subditos, aut in eos potestatem exercere. quod ij faciunt, qui neglecta vtilitate subditorum, concessæ sibi potestatis vsum, ad honores suos & glorias, commodaque vitæ conuertunt: quasi non propter alios, sed propter se, neque publicæ & communis vtilitatis procurandæ causa, sed propriæ commoditatis & gloriæ gratia, sublimioris sedis locum adepti fuissent. Ex quo euenit facillimè, vt dum ambitionis aut voluptatum gurges nulla re potest expleri; grauibus exactiõnum oneribus, subiecti populi opprimantur. Sibi ergo seruire cogunt populos, qui propterea potestate superiores effecti sunt, vt populorum vtilitatibus inservirent: sibi deberi cuncta persuasam habent; nec quid subiectis debeant ministerij, considerant. Vnde etiam illud tetrum dominantium genus exoritur, de quo scriptum à Gentili est: Si quid ijs præstes obsequij, leuior pluma est gratia: sin offendas paululum, plumbeas iras gerunt. Quod Præfectorum vitium in veteri quoque Testamento, per Isaiam est reprehensum illis verbis: Audite verbum Domini viri illusores, qui dominamini super populum meum, qui est in Hierusalem. Quod etiam Gentilis militum Imperator, dominationis vitium intellexit, & verbo eodem designauit. Sic enim loquitur apud Salustium Marius: His præceptis militem hortabor, neque illos arcè colam, me opulenter: neque gloriam meam, laborem illorum faciam. hoc est vtile, hoc civile imperium. Namque cum tu per mollitiem agas; exercitum supplicio cogere, id est dominum, non imperatorem esse. Atque idem Salustius, cum describit Catilinæ coniurationem, Post, inquit, vbi imperium Regum, quod initio conferuandæ libertatis, atque causa regendæ Reipublicæ fuerat, in superbiam dominationem quæ se conuertit, &c. Sic planè & diuus Hieronymus in

Epi-

Epistola ad Nepotianum, Episcopi, inquit, Sacerdotes se esse nouerint, non dominos: ad illam (opinor) beati Petri respiciens vocem: Non vt dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Propterea forsitan & Cæsar Augustus, cum eo spectante ludos, pronunciatum esset à quodam Mimo, O dominum æquum & bonum! vniuersique, quasi de ipso dictum esset, exultantes approbauissent: statim quidem manu vultuque indecoras adulationes repressit, & in sequenti die, grauissimo corripuit edicto, dominumque se post hac appellari, ne à liberis quidem aut nepotibus suis, vel seruo vel ioco passus. contra verò, quemadmodum Aurelius Victor annotauit, Caligula, cuius atrocissimus fuit principatus, vt ipso quoque nomine quod affectabat demonstraret, primus diademate imposito; dominum se iussit appellari. vti & alios: deinde per ambitionis morbum, hunc titulum honoris adamasse declarat illud Martialis Epigramma:

Mane salutauero te nomine, casu,

Nec dixi dominum, Ceciliane, meum.

Quanti libertas constet mihi tanta, requiris?

Centum quadrantes abstulisti illi mihi.

Ab hac igitur dominandi affectione, liberos esse Christus voluit eos qui in Republica Christiana præessent vt videlicet quemadmodum animus corpõri, non quomodo superior animi pars, iracundiæ atque libidini; ita suis subditis imperaret. quod ipsum antè Sapiens monuerat his verbis: Rectorem te posuerunt? noli extolli; esto in illis quasi vnus ex ipsis: curam illorum habe. Neque enim aliud est quod requirit Dominus, vt qui maior sit, minister omnium fiat; quàm vt qui ceteris potestate antecellit, locum superiorem sibi esse creditam intelligat, quo vtilitati communi saluæque prospiciat. Patitur omnino alios aliis maiores esse; sed, Qui voluerit esse maior, sit vester minister, in-

i 4

quits

Plautus in
Pœnulo.

Cap. 18.

In bello Jugur-
tino.Paulus Oroscus
lib. 6. cap. 22.Lib. 6. Epi-
gram. 38.Aug. lib. 4.
contra Iulianum
cap. 12.

Ecclesiast. 32.

quit: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Qui si neminem in Christiana societate primū esse voluisset, cur hīc statuisset modum potius in administrando primatu, quā ipsū primatum vniuersum sustulisset? vt enim cū ait Apostolus, Præcipe diuitibus huius seculi, non sublime sapere, nec sperare in incerto diuitiarum: non diuitiarum possessores, sed superbos diuites sibi non probari significat: alioqui dicturus: Præcipe ne quisquam sit diues, sed diuitias quisque suas abijciat. Et quemadmodum militibus Ioannes Baptista præscribens, vt concuterent neminem, sed contenti essent stipendiis suis, non militare damnauit institutum: quem dicturum alioqui fuisse non dubium est, militiam deferendam esse, si suæ vellent saluti consulere. Sic in Euangelio Dominus noster, non principatum sustulit, sed modum præscripsit, ne eo quisquam per insolentiam abuteretur, sed ij qui Reges essent ac Principes, vni omnium Domino, & Regum Regi, sua potestate seruirēt. Ideo quæ sui proponit exemplum, quem auctoritate & potestate discipulis superiorem fuisse quis neget? Non enim Magister modò, sed & Dominus erat: quemadmodū hoc ipsorum de se iudicium approbat, dicens: Vocatis me Magister & Domine, & bene dicitis, sum etenim. Sed quamquam reuera primus esset, tamen Filius hominis, inquit, non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam in redemptionem pro multis. Non enim querere venerat, quæ sibi priuatim essent commoda, sed quæ nobis communiter essent vtilia. Etenim Christus, inquit Apostolus, non sibi placuit: sed, sicut scriptum est, Improperia impropertantium tibi ceciderunt super me.

CAPVT

CAPVT XIX.

Vt seruos hominum Apostolus Christianos fieri noluerit.

QUEMADMODVM autem eos qui præfunt, dominari Christus non patitur: sic qui subsunt, hos negat Christi Apostolus hominibus seruire debere. Ideo cū ad capeffendam (ait Chryostomus) veram libertatem nos beatus Apostolus hortaretur; Crucis memoriam refricans, Præcio, inquit, empti estis, nolite fieri serui hominū. Atque hoc is dicit, qui tantū abest vt vellet seruos iugum seruitutis excutere, neque suorum dominorum imperia perpeti: vt antea posuerit, Seruus vocatus es? non sit tibi curæ: sed etsi potes fieri liber, magis vttere. Qui enim in Domino vocatus est seruus, liberus est Domini. Quæ res cogit inuestigare, quid sit seruos fieri hominum, ne secum Apostolus vicinis ad eò locis pugnare videatur. Et non mediocrem quidem ad eam rem afferunt adiumentum aliæ quædam sermonis Apostolici sententiæ: velut cū Ephesius scribit: Serui, obedite dominis carnalibus cum timore & tremore in simplicitate cordis vestri, sicut Christo: non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes; sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei ex animo: cum bona voluntate seruientes, sicut Domino, & non hominibus: scientes quoniam vnusquisque quod fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus siue liber. Per similia sunt quæ scribit Colossensibus: Serui obedite per omnia dominis carnalibus; non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis timētes Deum: quodcumq; facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus: scientes quòd à Domino accipietis retributionem hæreditatis: Domino Christo seruite. Quoniam igitur non corruptilibus auro vel argento,

1. Tim. 6.

Lucæ 3.

Euan. 13.

Rom. 15.

1. Cor. 7.

Hamil. 58. in
Marth.

Eph. 6.

Col. 3.

vt Petrus inquit, redempti sumus de vana conuersatione nostra paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi & incontaminati: ideo nos totos Christus iure suo sibi deposcit, ei que vt in omnibus seruiamus, exigit. quod qui faciunt, supermi que Domini sui, à quo empti sunt, assidue nutum obseruant; etsi hominibus seruire videatur, Christo tamen reuera seruiunt: atque ob id liberi sunt, conditione licet seruili ex huius vitæ sorte premantur. Nō igitur quia Christianus factus es, inquit Augustinus, dedigneris seruire. Cū enim Christo iubente seruis homini; non ei seruis, sed illi qui iussit. Sic ille in Psalmo 124. Proinde si quid à terreno domino præcipitur, quod illius cælestis ac primarij Domini voluntati sit aduersum, id serui tales exequi nefas ducunt: sin quod imperatur eiusmodi est, vt fieri citra offensionem superioris Domini possit, hoc tanquam ab ipso supremo Domino imperatum accipiunt. Quo fit vt neque id segniter neque grauatim, sed promptè libenterque effectum reddant: vt se in corde, inquit Augustinus in Psal. 70. faciant liberos libenter seruiendo: neque verò in præsentia domini terreni, illoque dumtaxat inspectante, sed siue absens ille siue præsens adsit, semper officium sibi faciendum putant: non ignari Dominum habere se in cælo, cuius animaduersionem & conspectum nulli effugere queant. Itaque vt sua quisque exercenda conditione mercedem meretur ab homine, cū hac illi seruerit: ita suis obsequiis studioque parèdi seruus Christianus mercedem à Christo meretur, cui propriè se exhibuerit seruum. Qui verò ad hominis tatum modo, non Dei respicit voluntatem; atque ad carnalis domini ita se nutum accomodat, vt superiorem se Dominum, cui potissimum seruiendam sit, habere non cogitet: is propriè hominum seruus existimandus est; homini enim soli seruit,

non

non Deo. Ex quo vitiosè facta multa nascuntur. Primum quòd ad oculū seruiat: si speret fore clā, rursus ad ingeniū redit. Eum enim timor humanus bonum facit, non diuturni (vt ille ait) magister officij. Deinde quòd grauatim animoq. reluctate faciet multa, laboris mercedē nullam expectans. Postremò qualecunque Domini imperium suscipiet atque exequetur, etsi id erit inhonestum, diuinæque voluntati contrarium. Neque id mirum, cū hoc vnicè propositum habeat, humanæ vt voluntati & cupiditati obsecundet: quod cū in nemine ferendum sit, tum est turpissimum Christiano: qui, quòd à Christo redemptus sit, illi debeat cunctis vitæ officiis seruitutem. Ideoque milites Christiani, inquit Augustinus, infideli Imperatori seruiantes, vbi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant nisi illum qui in cælis erat. Quando autem dicebat, Producite aciem, ite contra illam gētem: statim obtemperabant. distinguebant Dominum æternum à domino temporali, & tamē subditi erant propter Dominum æternum etiam domino temporali. Hæc in Psal. 124. Sic igitur vitiosum est seruire hominibus, vti apud eūdem Apostolum, placere hominibus, cū ait, Galatis scribens: Si hominibus placerem; Christi seruus non essem. Quod ipsum reprehensum damnatumque esse à Propheta, ille in Psalmis versus declarat: Dominus dissipabit ossa eorum qui hominibus placent. quomodo illi affecti sunt, qui hoc sibi tanquam primum proponunt, vt placeant hominibus, à quibus collaudari, atque in eorū opinione & ore cum iucunda recordatione versari, mercedis loco ducunt. Quos homines, vt gestire laudibus, ita frangi necesse est, nimiumque deiici. cū in aliquas reprehensiones humanas, sua vel facta vel dicta incurrere senserint. Melius verò & æquabilius se res humanæ & Ecclesiasticæ & ciuiles haberent, si neque dominarentur qui præfunt,

Cicero Philippica 2.

Gal. 1.

Psal. 52.

Consulatur Augusti. epist. 64. ad Aurelium Episcopum.

præfunt, neque qui subsunt, præfectorum voluntatibus nimio placendi conatu seruirent. Quorum quod est posterius, magnos sæpe viros adulationis peste corripit: alterum verò, quas non sæpe turbas in rempublicam dedit? quos non ciuiles motus excitauit? quàm multas peperit secessiones? quando præfectorum optimè institutos ordines, non fœdè maculauit? perditis quidem hominibus subministrata materia est, non solum paucorum nominibus vera dicendo detrahendi, verumetiam bonos omnes, qui eodem ordine præfunt, criminandi falsa fingendo. Hoc enim, ait Cyprianus, diaboli semper opus est: vt seruos Dei mendacio laceret, & opinionibus falsis gloriosum nomen infamet: vt qui conscientia suæ luce clarescunt, alienis rumoribus fordidentur. Sed vt veris in criminibus præpositi deprehendantur, & iam eos sine mendacio queant illi traducere, mouere nos nihil debent, quibus non est in sacris literis ea demonstrata Ecclesia, quæ malos præpositos non haberet: cum in ea Dominus noster significauerit, posse esse eum familiae suæ Præfectum, qui percutiat conseruos, māducetque ac bibat cum ebriosis; cuius propterea portio cum hypocritis futura sit in tormentis: & is nihilominus quamuis perditè viuat, dignitatē retineat, ob quam illi sit in eis quæ legitimè præceperit, obtēperandū, sicuti hoc clarè docet Chrysostomus Homilia 33. in Epistolā ad Hebræos. Et hactenus quidem probatum sit, non aduersari libertati Christianæ præstandam legibus humanis obediētiā: quin potiùs ad id esse populis subiectis conducibilem, vt vera libertate fruantur. Nec enim ideo vitiosæ aut vanæ, quia humanæ dicuntur: falsumq; omnino quod nonnulli prætendunt, in diuinis libris vbique damnari, quod esse dicatur humanum: cum beatus Apostolus humanum dicat, quod tamen saluberrimè hortabatur illis verbis: Sicut exhibuistis membra vestra seruire

Lib. 4. Epistolar. Epist. 2. & Aug. epist. 137

Rom. 6.

uire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibere membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Laudabile proinde est frequenter quod appellatur humanum: siue quia sit ad infirmitatem humanam sapienter attemperatum, siue quia sit tributa homini à Deo potestate atque prudentia vtiliter, & prouidè circa humanas res constitutum. Sed interdum tamen & doctrinæ & mandata hominum vituperantur, quæ videlicet ita sunt hominum, vt ad Deum referri non possint auctorem. Denique vt diui Ambrosij *Epist. 7.* verbis concludam, Quàm indignum vt populi integri obediant humanis legibus, quo sint libertatis participes; sapientes autem veram legem naturæ, expressam ad imaginem Dei, veramque rationem signiferam libertatis negligant & derelinquant! cum in ea tanta libertas sit, vt paruuli seruire vitis nesciamus, alieni ab ira, exfortes auaritiæ, ignari libidinis. Quàm miserum igitur, vt qui nascimur in libertate, moriamur in seruitute!

DE

uire

DE
CHRISTIANA
LIBERTATE
LIBER DECIMVS.

PROOEMIUM.

FORTVNA, ait quidam è seculi sapientibus, duas homini vias ostendit in vita: Alteram libertatis, cuius principium accessu difficile, sed finis planus: alteram seruitutis, cuius facile principium & accessibile, finis autem laboriosus. Templum quoque illud in Ezechiele, angusta principia, latiores autem sensim in altum progressus habet: donec summa tandem in culmine amplitudo constiterit. Quo quidem expresso diuinitus templi typo, adumbrata nobis est libertatis via: quæ per suorum initiorum angustias, ad veræ felicitatis commodissimam latitudinem, illac commeantes, perseverantesque transmittit. Verùm quia plerosq. principia terrent; non difficile fuit, prætextu libertatis, in diversum abducere, mortiferaque seruitutis vinculis quàm plurimos implicare. Qua in re cum maiores in dies singulos apparerent proventus: sacrilega sectariorum audacia non solum ad euersionem obedientiæ totiusq. disciplinæ; sed etiam ad summam Religionis iniuriam, libertatis velamen obtendit, consilia dominica sic repudiando, sanctissimaque votorum vincula ita rescindens, vt ea negaret cum Christiana libertate posse consistere. Verùm id quoque quanto errore & quàm nefaria assertione statuatur, breuiter est hoc libello demonstrandum.

CAPVT

CAPVT I.

*Esse bona quadam non præcepta diuinitus, sed consulta;
ad promouendam expeditius Christianam
libertatem.*



CVM igitur libertatem Christianam omne opus sanctum atque laudabile promoveat: efficitur quo magis id Deo gratum atque laudabile sit, eo magis libertatem Christianam augere. Et continentiæ quidem, obedientiæ, paupertatisque voluntariæ virtutes Deo esse pergratas, nemo sanus negauerit: quæ toties literarum sacrarum encomiis celebrentur. Quæ quidem virtutes inter ea imprimis bona numerantur, quæ tamquam excellentiora non præcipiuntur, sed consuluntur, vñtatoque vocabulo Supererogationis opera nuncupantur. At his modò, Caluino duce, infesta hæresis est: omnia præcepta affirmans esse, quæ ad hominis perfectionem pertineant. quo nimirum funditus ipsa Christianorum vota subuerteret, quæ dici soleant circa meliora excellentioraque bona versari. At non sic beatus Apostolus, qui dicit in priore ad Corinthios: *Cap. 7.* De virginibus præceptum Domini non habeo: consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Deo, vt sim fidelis. Et rursum: Dico non nuptis & viduis, bonum est illis, si sic permanferint, sicut & ego. Non sic in Evangelio Christus, qui affirmanti se præcepta obseruasse iuueni, hoc ita esse concedens, vel certè dissimulans, tanquam affectanti sublimiora respondit: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus; & nudus nudum me sequere. Non sic diuus Chryostomus, qui monachos eremi cultores collaudans, atque id quod in oratione vsurpabant, vt abundarent in omni opere bono præcantes, quid id sibi vellet exponens, hoc eos significare scri-

*Homil. 56. in
Matth.*

Homi 55. in
Matth.

scribit petere, vt non solum faciant quæ debent ex præcepto, verum etiam vltra iniuncta progrediantur. Qui aliàs quoque præcepta ipsa sic facilia esse commemorat, quæ hæretici obseruari impossibilia clamitant, vt eorum multi mensuram in agendo excesserint.

Qui virginitatem ac paupertatem ab his discernens, quæ necessaria atque vrgentia vocat, ad eos pertinere docet, qui pro gloria certant, ipsa videlicet necessaria supergressi. Qui quoddam spiritu adoptionis filiorum agimur, eo manifestum fieri maximè dicit, quoddam mandata non solum implemus, sed etiam transcendimus. Ipse quoque Augustinus accuratè distinxit ea quæ iubentur præcepto, ab iis quæ consilio monentur. Quin & ea ipsa quæ consuluntur, vnde supererogationis opera solita sint nominari, haud obscurè significat, cum his scribit verbis: Neque enim sicut non mœchaberis, non occides, ita dici potest, Non nubes. Illa exiguntur, ista offeruntur. Si fiant ista, laudantur: nisi fiant illa, damnantur. In illis Dominus debitum imperat vobis: in his autem si quid amplius supererogaueritis, in redeundo reddet vobis. Et rursus in Psalmum 125. Amplius, inquit, erogauit Apostolus: quia cum omnibus Apostolis permissum esset vt acciperent tanquam milites Christi stipendia à provincialibus Christi, ille manibus suis laborauit, & annonas suas provincialibus donauit. Quid euidentius, quàm significare Augustinum illis verbis ea quæ consilij discuntur esse, velut ipsam sanctam virginitatem, supra ea quæ imperantur erogari? Ideoque nonnullam esse causam, quam obrem supererogationis opera nuncupentur? Neque verò iustitiæ perfectionem arbitramur propterea vllam maiorem esse, quàm ea sit quæ sita est in dilectione ex toto corde, & anima tota, viribusque vniuersis. Sed ad eam perfectionem adipiscendam, quæ præcepti finis est, media quædam non præcepta, sed consulta dumtaxat

H. mil. 12. in
Epist. ad Rom.
Serm. 14. in
Epist. ad Rom.
Enchyridij 121
& Epist. 88.

Cap. 30. de
sancta Virg.

Lucæ 10.

taxat asserimus: quibus sanè præstitis, vulgaris illa præceptorum impletio atque iustitia longo intervallo superetur.

CAPVT II.

*Quantum ad veram libertatem faciat
continentia virtus.*

DE his igitur vt pro instituto dicamus: principio continentia in laude versatur caput septimum prioris ad Corinthios, vbi hoc primo loco posuit Apostolus, bonum esse homini mulierem non tangere. Nam in Paradiso quidem ante lapsum, cum integritas naturæ primo adhuc honore teneretur, continentia à muliere laus nulla fuisset: nunc verò, posteaquam naturam hominū libidinis morbus inuasit, cœpit multo esse laudabilius ac melius, mulierem non tangere omnino, quàm illā etiā Christiano coniugio vti. Vnde Apostolus. De virginibus, inquit, præceptum Domini non habeo: consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis. Existimo enim bonum hoc esse, propter instantem necessitatem: quoniam bonum est homini sic esse. vbi quod dicit, Propter instantem necessitatem, non sic accipiendum est, tanquam propter præsens tantummodo seculum, non propter futuram æternitatem, melius esse dixerit sic esse: quia videlicet coniuges terrenis curis pluribus atque arctioribus distenduntur, qua molestia virgines & continentes carent; quasi ob hoc tantum melius sit non coniugari, vt huius temporis relaxentur angustia, non quod in futurum seculum aliquid proficit. Sic enim & Gentiles, commodis vitæ huius dumtaxat prouidè satis consulentes, matrimonio celibem vitam præponebant: vt illa Mitionis apud Terentiū indicat oratio:

Et, quod fortunatum isti putant vxorem nunquam duxi.

Ex quo & illud est apud Plautum:

k

Nege-

Negotium habere qui volet,

Navem & mulierem, hac duo sibi comparato.

Et Cicero ab Hircio rogatus ut post repudium Terentia, sororem eius duceret, respondit, se uxori & philosophiæ pariter operam dare non posse. Non talem igitur necessitatem Apostolus intelligit, cuius omnis dispensatio ad vitam æternam vocat; sed eam quæ aliquid bonorum impedit futurorum: quæ necessitate, vita cogitur conjugalis cogitare quæ mundi sunt, quomodo placeat vir uxori, & uxor viro. non quod ea separent à regno cælorum, sicut sunt peccata, quæ ideo præcepto, non consilio prohibentur; quia Domino præcipienti non obedire, damnable est: sed illud quod in ipso Dei regno amplius haberi posset, si amplius cogitaretur quomodo placendum esset Deo, minus erit utique cum hoc ipsum minus, conjugij necessitate, cogitatur. Propter hanc ergo necessitatem, qua in nuptiæ carent, dicit Apostolus: Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit. Ideoque & Ignatius in Epistola ad Philadelphenses, Virgines, inquit, subditæ estote Christo in incorruptione: non execrantes nuptias, sed meliora diligentes; non in criminatione conjugij, sed propter legis meditationem. Et Ambrosius Epistola 81. Iure, inquit, laudatur bona uxor, sed melius pia virgo præfertur. hæc enim cogitat quæ Dei sunt, illa quæ mundi. Illa conjugialibus vinculis colligata est, hæc libera vinculorum. Illa sub lege, ista sub gratia. Bonum conjugium, per quod inuenta est posteritas successionis humanæ; sed melior virginitas, per quam regni cælestis hereditas acquisita, & cælestium meritorum reperta successio. Per mulierem cura successit, per virginem salus euenit. Cum autem ab omni concubitu continentiam, conjugio præponimus; ad nullam hoc sanctorum Patriarcharum iniuriam pertinere putandum est,

est, qui ipsam continentię virtutem in habitu retinentes, sui conjugij opere illis temporibus seruiebant, ad propheticam futurorum significationem. Tunc enim illis hominibus ipsius pietatis erat operatio, etiam carnaliter filios propagare: propterea quod illius generationis populi, nuncia futurorum esset, atque ad dispensationem propheticam pertineret. Maius ergo bonum erat in illorum nuptus; quam est bonum proprium nuptiarum: cui procul dubio bonum continentię præferendum est; quia non tali officio quærebant illi filios ex nuptis, quali ducuntur isti, ex quodam sensu naturæ mortalis, successionem decessioni requirētis: Sed illi homines istum naturæ mortalis affectum longè sanctiore mente superabant, qui de nuptis filios propter Christum quærebant, ad genus eius secundum carnem distinguendum ab omnibus gentibus. Proinde continentibus vel mares qui defunctis uxoribus, vel femina quæ defunctis uiris; vel utriusque qui pari consensu continentiam deo uouerunt, sciant sibi quidem amplius mercedis deberi, quam castitas conjugalis poscit: sed sanctorum Patrum nuptias, qui prophetice coniungebantur, qui neque in concubitu nisi prolem, neque in ipsa prole, nisi quod in carne venturo Christo proficeret, requirebant; non solum præ suo continentendi proposito non contemnant, verum etiam suo illi proposito sine dubitatione præponant. Alioqui, si res ipsas generatim inter se conferamus, nullo modo dubitandum est, meliorem esse castitatem continentię, quam castitatem nuptialem; cum tamen utrumque sit bonum: multoque hoc tempore continere laudabilius esse, quod adhuc temporis illius ratio non ferebat. Tunc enim ad veram Religionis, qua vnus colitur Deus, propagationem, conjugium erat necessarium: ut quos susciperent pij de conjugio liberos, eosdem saltem institutione paterna, in eadem haberent religione suc-

*Vide beatorum
August. cap.
29. De bono
conjugali.*

*Vide August.
cap. 23. De be-
no conjugali.*

cessores. Ex quo etiam fiebat, ut feruorum multitudi-
ne, familiæ sanctorum abundarent. At verò ubi ad-
uēnit plenitudo temporis, non fuit ea ratio propagan-
dæ religionis necessaria: cum effusa latissimè vberri-
meque cælesti gratia, plures multo vna prædicatione
fideles efficeretur, etiam ex infidelibus, quàm ex plu-
rimis coniugiis effici potuissent. Potēs enim est Deus,
etiā ex lapidibus, suscitare filios Abrahæ. Quod ad eò
potenter ac numerosè præstitit, ut planissimè demon-
strauerit, quàm sibi iam populi illius superbi & carna-
lis successio necessaria non fuerit ad Abrahæ promissa
complenda. Cùm itaque & continere per se sit lauda-
bilis ac melius quàm coniugio simpliciter vri, adeoq;
sit temporum mutata conditio: satius nunc multo, ad
Christianam que libertatem conducibilis est, conti-
nentiam amplecti virginalem, quàm se connubij vin-
culis innectere. nisi quòd ij qui adhuc ita liberi sunt,
ut ijs integrum sit hoc aut illud amplecti vitæ insti-
tutum, si se non continent, iuxta Apostolica monita,
nubere debeant: quia melius sit nubere quàm vri. Ne-
que enim hoc ijs dicitur quos alia iam occuparūt vin-
cula; nisi fortè & coniugato, propter aliquam vxoris
vel necessariam absentiam vel ægritudinem immedi-
cabilem de incontinentia periclitanti, suadendū quis-
quam putet alterum coniugium, quoniam melius sit
nubere quàm vri. Homines verò cùm comparamus;
ille est melior qui bonum amplius quàm alius habet:
nec rectè comparantur homines hominibus ex vno
aliquo bono; fieri enim potest ut alius non habeat ali-
quid, quod alius habet; sed alius habeat quod pluri-
æstimandum est. Maius enim bonum est obedientiæ,
quàm continentię. Si ergo proponatur virgo perman-
sura, sed inobediens; & maritata, que virgo permanere
non possit, sed tamen obediens; quam meliorem dica-
mus? hanc procul dubio maritatam. Melius enim est
habere

habere omnia bona vel minora, quàm magnum bo-
num cū magno malo: quia & in corporeis bonis me-
lius est habere Zacchæi statutam, cum sanitate, quàm
Goliæ, cum febre. Si autem propterea melius est con-
tinere, quòd à libidinis intemperantia longissimè ab-
ducit, & præstat, quemadmodum Apostolus dicit, fa-
cultatem sine impedimento Dominum obsecrandi;
quis non intelligit, quantum ad libertatem conferat
Christianam? quæ in eo sita est maximè, ut amoribus
curisque secularibus expediti, liberis mentibus, totis-
que desideriis, Domino seruiamus.

CAPVT III.

*Quaratione voluntaria paupertas ad libertatem
conferat Christianam.*

ET quoniam de continentia diximus, sequitur ut
de paupertate quoque dicamus. Sed prius notan-
dum est, non vnus generis in Scriptura diuina signifi-
cari paupertatem. est enim alia semper mala & im-
probanda paupertas: alia semper laudabilis, & cum
virtute coniuncta: tertia media est, neque vitiosa per
se, neque virtutis laudem habens, sed quæ vtramuis
in partem transferri queat, pertinetque ad miseram
quandam & afflictam vitæ sortem, per quam necessa-
riis quoque rebus humana indiget infirmitas. Hanc à
se deprecabatur sapiēs Salomon cùm in oratione pre-
cicaretur: Diuitias & paupertatem ne dederis mihi. Atq;
vtrumque idcirco à se remoueri cupiebat, quòd infir-
mioribus animis vtrumque sit occasio delinquendi:
vnum per elationem, alterum per fracti abiectioneque
animi impatientiam. Nam, ut ille ait,

Magnum pauperies opprobrium, iubet

Quiduis & facere & pati,

Virtutisq; viam deserit ardua.

Horatius.

Ar vituperatione semper digna, semper quæ deest anda
 paupertas est, necessariis destitutum esse virtutibus:
 de qua loquitur in Threnis Ieremias: Ego vir videns
 paupertatem meam, in virga indignationis tuæ. Quia
 enim paupertas hæc quanto est perniciosior, tanto est
 etiam ab humano magis sensu remota, neque tamen
 vitari, nisi cognita potest: idcirco Propheta, superbi
 pauperis in eo personam gerens, hoc vtilitatis sibi esse
 præstitum gratulabatur, virga iracundiæ diuinæ; vt
 apertis cordis oculis, suam videre inciperet paupertatem:
 quo sic ea cognita, veræ iustitiæ diuitias à Deo
 sibi posceret dari. vnde & illud est in Apocalypsi
 superbo cuidam obiectū: Dicis quia diues sum, & nul-
 lius ego: & nescis quia tu es miser & miserabilis, &
 pauper, & cæcus, & nudus. Suadeo tibi emere à mo-
 aurum ignitum, probatum, vt locuples fias, & vesti-
 mentis albis induaris, vt non appareat confusio nudi-
 tatis tuæ, & collyrio inunge oculos tuos, vt videas. Ego
 quos amo, arguo & castigo. Sed his relictis paupertatum
 generibus, vt quæ ad institutum nihil pertineant,
 terra superest paupertas voluntaria: in qua inest diuitiarum
 contemptus, & vltronea reiectio. Quam nonnulli
 significatam volunt, vbi scriptum est in Euangelio:
 Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum
 cælorum. Quo loco Tertullianus libro quarto
 contra Marcionem, contendit legendum esse: Beati
 mendici, propter significationem Græcæ dictionis:
 tametsi Erasmus malit locum eum ad humiliatis cõ-
 mendationem pertinere. Sed vt cuique se habeat loci
 illius genuina interpretatio, si in voluntaria paupertate,
 magna quædam non inesset vis ad perfectam liber-
 tatem, non diceret in Euangelio Dominus, id quod
 ambiguitatem nullam habet: Si vis perfectus esse, vade,
 & vende quæ habes, & da pauperibus, & veni, &
 sequere me. Non cogo, inquit, non impero, sed pro-

pono

pono palmam, ostendo præmia. Tuum est eligere, si
 volueris in agone atque certamine coronari. Nec di-
 cit, Partem bonorum tuorum vède, sed omnia. Cum-
 que vendideris, quid sequitur? Et da pauperibus. non
 diuitibus, non propinquis, non ad luxuriam, sed ne-
 cessitatem. Siue ille sacerdos sit, siue cognatus, siue af-
 finis, nihil in eo aliud consideres quàm paupertatem.
 Laudent te esurientium viscera, non ructantium opu-
 lenta cõiuia. Hoc demum est Apostolici fastigij per-
 fectæque virtutis, quo sic expeditis humeris, sine sar-
 cina curarum secularium, ad cælestia subuolare ani-
 mus cum Christo possit. Idcirco, inquit Paulinus, me
 leuare sarcinis, & vestimentis onerantibus exuere cu-
 rati, vt vndosum hoc quod inter nos & Deum peccatis
 interlattrantibus separat presentis vitæ salum, om-
 ni amictu carnis & cura diei sequentis, iubente & ad-
 iuuante Christo, expeditus enatem. Quod si Crates
 ille Thebanus, vt est apud diuum Hieronymum, ho-
 mo quondam ditissimus, cum ad philosophandum
 Athenas pergeret, magnum auri pondus abiicit, nec
 putauit simul se posse virtutes & diuitias possidere
 (sentiebat enim ac dicebat, referente id Epiphanio,
 nihil possidere, hoc demum verè esse libertatis) quãto
 æquius est hoc & sentire & facere Christianos, vt nu-
 dum Christum facilius nudi expeditique sequantur.
 Hæc enim suarum possessionū voluntaria derelictio,
 curis secularibus animum liberat, quibus implicatus,
 liber esse non potest. Qui enim volunt diuites fieri,
 inquit Apostolus, incidunt in tentationem, & in la-
 queum diaboli, & immergunt se desideriis inutilibus
 & noxiis, quibus ad interitum pertrahantur. Quam-
 obrem his qui militant Deo, fugiendæ sunt ex toto
 corde diuitiæ. quas qui habere volunt, sine labore
 non querunt, sine difficultate non inueniunt, sine cu-
 ra non seruant, sine anxia delectatione non possident,

k 4

sine

In Epistola ad
 Paulinum, epist.
 3. v. inter Epi-
 stolas August.

In oratione de
 fide Catholica.

sine dolore non perdunt. Apostolus autem Christi militibus dicit: Volo vos sine sollicitudine esse. & Radix omnium malorum est auaritia. Hæc suarum voluntaria derelictio facultatum, ad id plurimum valet, cuius Apostolum tenemus hortatorem, ut redimatur tempus, quoniam dies mali sunt. Quo enim pretio, inquit Prosper, quies huius temporis aptius comparatur, quam ut ipsi mudo omnes diuitiæ, omnes dignitates, & vniuersarum cupiditatum materiæ refundantur, & sancto beatoque commercio, ematur Christiana libertas, fiantque filij Dei de paupertate diuites, de patientia fortes, de humilitate sublimes? Non enim, ut dilectores huius seculi putant, prauis cordis, aut segnibus est animi, terrenas opes spernere, honores occiduos fastidire: nec tibi gloriam querere, vbi laudatur peccator in desiderij animæ suæ; & qui iniqua gerit, benedicitur. vnde si verè intelligatur, contemptus iste rerum præsentium ad quæ tendat, & qualia concupiscat: nihil huiusmodi mentibus rectius, nihil inuenietur electius, quæ sacratissimis desiderijs vniuersa transcédunt, neque ad vllam creaturam, quamuis potentem atque mirabilem, sed ad ipsum omnium visibilibus & inuisibilibus ambiunt Creatorem; cui appropinquare, clarescere est, quem timere, gaudere est; cui seruire, regnare est. Hactenus Prosper. Denique hæc suarum derelictio facultatum, militem Christi ad luctandum cum inuisibilibus hostibus maximè idoneum reddit. Nihil enim maligni spiritus in hoc mundo proprium possident. Nudi ergo cum nudis, inquit Gregorius, luctari debemus. Si enim vestitus quispiam cum nudo luctatur, citius ad terram deijcitur, quod habeat vnde teneatur. Quid autem sunt terrena omnia, nisi quædam corporis indumenta? Qui ergo contra diabolum ad certamen properat, vestimenta abijciat, ne succubat. Sic Gregorius. Sed ea actu ipso relinquere, ne quid impli-

*Epistola ad
Demetriadem.*

Ps. 9.

implicitum detineat impediaturque certantem, paucorum est, qui Apostolicis vestigijs studio maiore insistant. omnis autem Christiani est saltem affectu omnibus quæ possidet renunciare, ut, diuitiæ si affluant, fiat illud quod adiungitur: Nolite cor apponere. Qui enim non renunciauerit omnibus quæ possidet, ait omnium Magister Christus, non potest meus esse discipulus. Nec verò dicere vlli possunt, relictis omnibus, iam se quod pauperibus erogent, non habituros: quandoquidem nemo, inquit Prosper, perfectius erogauerit eo, qui sibi nihil, perfectionis intentione, reliquit ex propriis. Nec ei querimoniæ locus est, quia se minus beatos conquerantur, quia sit dictum à Domino: Beatius est magis dare quam accipere. Non enim hoc generaliter dantem accipienti præponit; sed donationem acceptioni. Illa enim ad liberalitatis aut misericordiæ virtutem pertinet: hæc per se nullius virtutis est. Nec tamen paupertatis Euangelica professio donationem excludit: quia & Apostolus sic accipiebat, ut labore manuum non modò pararet victum sibi necessarium, verum etiam, ut suppeteret quod largiretur necessitatem patienti, sedulus efficeret. Virtutum igitur officia paupertas non impedit: sed ad ea mirificè confert. Quæ etiam non habeantur vniuersa in exteriori exercitio (neque enim omnes ab omnibus decet exerceri virtutes) tamè partim melioribus compensantur officiis; partim affectu, & ipso virtutis amore tenentur. Asserebat verò Vigilantius, melius eos facere, qui vtuntur rebus suis, & paulatim possessionum suarum fructus pauperibus diuidunt; quam illos qui possessionibus venundatis, semel omnia largiuntur. Cui, inquit Hieronymus, non à me, sed à Domino respondebitur: Si vis perfectus esse, vade, & vède omnia. Ad eum loquitur, qui vult perfectus esse; qui cum Apostolis patrè, nauiculam & rete dimittit. Iste quem

*Lib. 2. de vita
contempl. c. 13*

Act. 20.

*Lib. contra
Vigilantium.*

tu laudas, secundus aut tertius gradus est. Quem & nos recipimus, dummodo sciamus prima secundis & tertiis preferenda. Bonum igitur est, facultates proprias cum dispensatione pauperibus erogare: sed melius, intentione Dominum sequendi, simul omnia donare, & absolutum in solitudine egeret cum Christo. Siquidem facilius est quibus careas contemnere, quam possessa non amare: arctiusque terrena constringunt, inquit Augustinus, ad epra, quam concupita. Nam vnde iuuenis ille tristis discessit, nisi quia magnas diuitias possidebat? Aliud namque est, nolle incorporare quæ desunt: aliud, iam incorporata diuellere. Illa enim velut extranea repudiantur: ista velut membra præciduntur. Nec verò minus est voluntaria paupertatis meritum ijs qui pauca possidebant: si veraciter omnia, etiam quæ voluissent habere, contempserint. Neque enim, inquit Augustinus, quia diues non fui, idcirco mihi minus imputabitur. Nam neque Apostoli ipsi, qui priores hoc fecerunt, diuites fuerunt: sed totum mundum dimittit, qui & illud quod habet, & quod optat habere, dimittit. Quis enim pauper non turgescit in spe seculi huius? Quis non quotidie cupit augere quod habet? Ita cupiditas proprii abiectione præceditur: utique diuus ait Hieronymus, Totum Deo dedit, qui seipsum obtulit. Apostoli nauem tantum & retia reliquerunt. Vidua duo æra misit in gazophylacium, & præfertur Cræsi diuitiis. Sed neque id meritum paupertatis impedit, aut rationem tollit, quod communiter Ecclesiæ facultates etiam amplæ possidentur. Expedit enim, inquit Prosper, facultates Ecclesiæ possideri, & amore perfectionis proprias contemni. Proferturque ad eam rem beati Paulini exemplum, qui ingentia prædia, quæ ipsius fuerat, pauperibus erogauit: cum verò postea factus esset Episcopus, non contempsit Ecclesiæ facultates, sed fidelissimè dispensauit.

Qua

In epistola ad Paulinum numero 34.

Epist. 89. Et in Epist. 103.

In Epistola ad Paulinum, cuius exordium, Frater Ambrosius.

Lib. 2. de vita contemplat. cap. 2. & 9.

Qua te satis ostendit, & propria debere propter perfectionem contemni, & sine impedimento perfectionis posse quæ sunt communia Ecclesiæ possideri. Hæc igitur paupertas spiritus, quæ verè beatum, regni quoque cælestis possessorem facit, quoniam animum amore mundi liberat, grauesque illas soluit auaritiæ catenas, verè etiam liberum reddit. Nemo enim Deo seruire potest & mammonæ: quantoque longius ab huius dominatu disceditur, tanto facilius & promptius est, vera libertate, quæ in Dei seruitute sita est, perfrui. Non enim hoc solo diuitiæ nocent modo, quod contra nos latrocinantium armant manus, nec quia magno cumculo intellectum nostræ mentis obtenebrant, verum etiam quod nos à Dei seruitute diuellunt, ait Chrysostomus, & rei mortuæ, pecuniarum scilicet, captiuos efficiunt. Is igitur Dominus earum est, ac proinde liber, qui contemnit. Quod ipsum & Gentilis agnouit Poëta, qui sic gloriatur: quàm verè id quidem, viderit:

Nil cupientium

Nudus castra peto, & transfuga, diuitum

Partes inquare gestio,

Contempta dominus splendidior rei.

Omnia nimirum habet, inquit Valerius, qui nihil concupiscit: eo quidem certius, quam qui cuncta possidet, quia dominium rei collabi solet; bonæ mentis usurpatio, nullum tristioris fortunæ recipit incursum. Itaque quorsum attinet aut diuitias in prima felicitatis parte, aut paupertatem in ultimo miseriarum statu ponere? eumque & illarum frons hilaris multis intus amaritudinibus sit referta, & huius horridior aspectus, solidis & certis bonis abundet? Amplectenda nobis igitur, animoque & vita retinenda est adhortatio diui Chrysostomi moralis, quam reliquit homilia septuagesima nona in Ioannem his verbis: Quanto,

inquit,

Homil. 22. in Matth. Vide eundem Hom. 21. in Matth. de miseranda seruitute sub auaritie iugo. Horat. lib. 3. earm. Ode 16.

Lib. 4.

inquit, plura amplecteris, tanto magis tuæ derogas libertati: vera namque libertas est, nulla re indigere: in secundo loco minimis, quam angeli habent. Quod autem in mortali corpore hoc quispiam consequatur, considera quàm laudandus sit. Hoc & Paulus Corinthiis dicebat: Ego autem vobis parco, & ideo ne tribulatione carnis habeant huiusmodi. Ideo pecunias, ut ijs in necessariis utamur, non ut seruemus & defodiamus condonatas, habemus. hoc enim non est possidere, sed possideri. Quod si considerarem quomodo eas augere possimus, non ut ad necessitatem uteremur, ordo peruerteretur, & illæ nos, non nos illas possideremus. Liberemus igitur nos ab hac graui seruitute, & tandem in libertatem nos vindicemus. Quid tot & tam graua nobis vincula excogitamus? Non sufficit tibi naturæ vinculum, & vitæ necessitas, & tot rerum turba, sed & alijs te rebus intricas? Et quando poteris de cælo cogitare, & eius altitudinem speculari? Satis erit, satis, si his omnibus præcis vinculis, supernam ciuitatem adire poterimus. Tot alia restant impedimenta; quæ ut superemus, paupertatem amplectamur. Hucusque Chrysostronus.

CAPVT IIII.

Quantopere libertatem Christianam promoueat obedientia.

AT nunc de obedientia dicendum est. Cui virtuti tertium propterea dedimus locum, quod Christus expressè ac per semetipsum paupertatem continentiamque consuluit; obedientiam verò, Ecclesiæ suæ prudentia, factisque sanctorum: idque tamen apprimè iuxta Euangelij doctrinam. tum quod eo modo propriavoluntas melius ac perfectius abnegetur à plerisque: nam qui abnegauit semetipsum, & omnes suas volun-

voluntates deposuit, ait sanctus Basilius, nõ quod vult facit, sed quod docetur: tum quod ea quæ Christus expressè consuluit, continentia & paupertas, securius atque facilius in sancta societate disciplinaque seruentur. Itaque tametsi expressum non habemus disertis scripturæ verbis de obedientia consilium, habet tamen ipsa fundamentum in abnegatione sui. Quæ omnibus quidè Christianis præcepta est generatim: propterea quod debeat suam quisque voluntatem, quam secundum seipsum, id est, secundum carnem habet, abnegare, ut sequatur Dei voluntatem. Cæterum ut hoc plenius fiat, longissimeque à propria quisque voluntate recedat: studio tantæ perfectionis, consultissimè se pius eius amator alteri tradit, tanquam spiritali patri, ab eo regendum & ducendum: ad idque se obedientiæ vinculo prudenter adstringit. Nec enim iam de obedientia loquimur ea quæ diuinis debetur Legibus, quam palam est Christianorum hominum esse communem: sed de ea quæ in aliqua religiosa societate, sub spiritali patre ac duce certisque viuendi legibus, more sanctorum perantiquo suscipitur. Generatim autem verum est de obedientia quod ditius Augustinus expressit in Psalmum 70. Nihil tam expedire animam quam obedire. Certè ita laudatum est in Scriptura per os Samuelis Prophetæ, vt dictum sit: Melior est obedientia quam victimæ. Neque id quidem de nihilo: quia per victimam, aliena caro; per obedientiam verò, propria voluntas mactatur. Sic autem necessaria est, vt sine ea nihil placeat, quantumuis aliqui præclarum esse videatur. Vnde quamuis sancta Marthæ actio, & sanctior Magdalenæ contemplatio, pœnitentia, lacrymæ, ea tamen omnia in Bethania, hoc est, in domo obedientiæ, fieri debuerunt. Quod si quispiam quærendum putet, quamobrem Christus Dominus per seipsum non ita hanc monasticam con-

*Quest. 14.
quæst. diffinit.
explicita.*

1. Reg. 15.

*Vide apud August. Epist. 38.
quàm latè pateat veniunt
omnibus.*

luerit obedientiam, vt continentiam consuluit atque paupertatem? Responderi poterit in causa esse, quòd non perinde omnibus qui perfecti esse volunt, ea necessaria sit aut consulta, vt cæterę à nobis commemoratę virtutes. Sunt enim haud pauci quos propter assequendam perfectionem, & continentes & pauperes quidem esse conueniat, ne tamen expediât in monasticam venire societatem, certisquę sub vno rectore morum legibus obstringi, vel quòd se meliùs ipsi sublimiusquę in vita habituri sunt, singulari quodam eos Spiritus afflatu regente: qualis fuit Ioannes Baptista, Paulus Eremita, Propheta Helias, aliique nonnulli admirandę perfectionis viri: vel quòd ab eiusmodi institutis liberi, studiis laboribusquę suis, quibus se liberè exerceant, Christianę sint Ecclesię vberius profuturi: vel denique propter aliqua corporis aut valetudinis incommoda atque impedimenta. Quoniam igitur generatim omnibus qui perfectionis studio tenentur, consulta erat noui Testamenti tempore cum paupertate continentia: idcirco has Christus virtutes & exemplo suo commendauit, & doctrinã verbo consuluit: non autem obedientiam monasticam, quòd ea non ita communiter ad perfectionis adipiscendę studium pertinere videretur. Sed ramen & hęc virtutem ad id plurimũ valere, vt maior sit in Christiana libertate profectus, ex eo perspicitur, quòd vt se communis hominum infirmitas habet ad illam conquirendam, duce ac directore plerisque sit opus. Porro hic ne frustra habeatur, promptè obedire necesse est. Quemadmodum enim is qui magistri opera vsus discere velit, magistro credat oportet, Discentem enim, inquit Aristoteles, oportet credere: sic eum qui perfecti & liber esse velit, spirituali Præfecto, fixisque ad spiritualem profectum legibus, obsequi necesse est. Ea propter cum beatus Hieronymus hanc obediētiam persuadere co-

nare-

naretur præter ipsa naturę testimonia, etiam de artibus addiscendis adhibuit similitudinem. Nulla, inquit, ars absque magistro discitur: etiam muta animalia & ferarum greges ductores sequuntur suos. In apibus principes sunt. Grues vnã sequuntur ordine literato. Imperator vnus. Iudex vnus prouincię. Roma vt condita est, duos fratres simul habere Reges nõ potuit, & patricidio dedicatur. In Rebecçę vtero Esau & Iacob bella gesserunt. Singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi, & omnis ordo Ecclesiasticus suis rectoribus nititur. In navi vnus gubernator: in domo vnus dominus: in quouis grandi exercitu vnus signum expectatur: & ne plura replicando fastidium legenti faciã, per hæc omnia ad illud tendit oratio, vt doceam, te non tuo arbitrio dimittendum, sed viuere in monasterio sub vnus disciplina Patris, consortioquę multorum: vt ab illo discas humilitatem, ab alio patientiam: hic te silentium, ille doceat mansuetudinem. Non facias quod vis, comedas quod iuberis, habeas quantum acceperis, vestiarius quod acceperis, operis tui pensum persoluas: subiiciaris cui non vis, lassus ad stratum venias, ambulansquę dormites, & necdum expleto somno surgere compellaris. Et rursus in eadem epistola: Primum, inquit, tractandum est, vtrum solus, an cum aliis in monasterio viuere debeas. Mihi placet, vt habeas sanctorum contubernium: nec ipse te doceas, & absque doctore ingrediaris viam quam nunquã ingressus es, statimquę tibi in partem alteram declinandum sit, & errori pateas. In solitudine citò subrepat superbia; & si parumper ieiunauerit, hominemquę non viderit, putat se alius esse momenti: oblitusquę sui, vnde, quòd venerit, intus corde, lingua foris vagatur. Dormit quantum voluerit, facit quod voluerit, nullum veretur, omnes se inferiores putat, crebriusquę in vrbibus, quàm in celula

lula est. Et paulo post: Quid igitur? Solitariam vitam reprehendimus? minimè: quippe quam sæpe laudauimus. Sed de ludo monasteriorum huiusmodi volumus egredi milites, quos eremi dura rudimenta non terreat; qui specimen conuersationis suæ multo tempore dederint, qui omnium fuerint minimi, vt primi omnium fierent: quos nec esuries aliquando, nec saturitas superauit: qui paupertate letantur: quorum habitus, sermo, vultus, incessus, doctrina virtutum est. Haecenus diuus Hieronymus. Quanta autem sit huius obedientiæ virtus, ex eo potest intelligi, quod cum continentia certamen sit aduersus concupiscentiam carnis; paupertati contra concupiscentiam oculorum; ideoque illa huic præponenda sit, quod vehementior est corporum quam pecuniarum cupiditas: vt propterea Chrysostomus fatuas illas interpretetur virgines; quod maioribus superatis, à minoribus, hoc est, pecuniarum concupiscentia vincantur: hæc quam nunc laudamus obedientia contra superbiam vitæ luctatur: qua non est hostis infestior aut periculosior, quemque in nobis aut habeamus maturius, aut difficilius tardiusque debellemus. Ad huius ergo tam malæ stirpis euerisionem, obedientia securim vibrat, atque ad radicem admouet. Ideo difficilis, inquit Basilius, obedientiæ conatus, & præter naturam, quæ libertatem imprimis appetit, at tamen cæteris præstantior. Quod enim difficilius, hoc præclarior. Relinquere diuitias, præterea continentiam ac castitatem seruare, multis quidem Philosophis datum: se autem, propriumque arbitrium negare, ex libero seruum facere, nulli prorsus, nisi qui crucem Christi sequitur, concessum; qui non propriam, sed Patris voluntatem est exsecutus. Et iterum: Virtus, inquit, hæc alij subiectum esse præter communia præcepta, maximè ab initio Ecclesiæ fultis: ad eò vt idem sublimioris existat meriti iussum quam sponte

*Lib. de Instit.
monastica.*

sponte facere. Hæc Basilius de obedientia. Cuius quidem laus memoratur singularis, si ea sit quæ dicitur obedientia sine mora. quæ tum præstatur facile, si fiat quod monet diuus Hieronymus in epistola supra citata: Præpositum, inquit, monasterij timeas vt dominum, diligas vt patrem. Credas tibi salutare quidquid ille præceperit: nec de maioris sententia iudices, cuius officij est obedire & implere quæ iussa sunt, dicente Moysè: Audi Israël, & tace Ex hac igitur, quæ sic Hieronymus expressit, animi moderatione, facile fluit, illa quæ dicitur obedientia sine mora. Quæ tamen sic accipienda non est (nec enim ita cæca esse debet) vt diiudicare quale sit quod præcipitur, non liceat: sed quia promptè faciendum est quod iubetur, vbi nihil appareat diuini contrarium institutis. Vnde illud reprehendit Bernardus epistola septima ad Adamum monachum, non attendere, quale sit quod præcipitur: hoc satis esse quod præcipiatur. cum enim hanc, ille interpretaretur esse obedientiam sine mora, respondet ei Bernardus, Si sic esse oporteat, sine causa legi in Ecclesia; Omnia probate, & quod bonum est tenete: deleri quoque de libro Euangelij illud oportere: Estote prudentes sicut serpentes: cum alterum sufficiat, quod additur, Et simplices sicut columba. Nec dico, inquit, à subditis mandata Præpositorum esse, diiudicanda, vbi nihil iuberi deprehenditur diuinis contrarium institutis: sed necessariam assero & prudentiam, quæ aduertatur, si quid aduersetur, & libertatem, quæ & ingenuè contemnatur. Cæterum iste, Nihil, inquit, habeo interrogare; viderit ille quid iusserit. Dic, quæso, si datò in manus gladio, suum te armari, iussisset in iugulum, ac quieuisse: aut si se tuo voluisset impulsu in ignem vel in aquam præcipitem dari, obtemperas-fes? Nonne etiam ab his non prohibere, cum possis, in crimen tibi reputatur homicidij; & alia quæ sequuntur

eadem pertinentia. At hinc forsitan aliquem moueat, quod cum esse contingat religiosarum familiarum Præfectos, qui ea præcipiant interdum quæ diuinæ parum consonent voluntati, periculosum futurum sit, alterius se committere arbitrio, qui & ipse homo sit, & suis frequenter affectibus magis quam Deo velit inferui. Cui respondebitur primo loco, sicut is qui discere vult, non se cuiuslibet sine discrimine erudiendum tradit, sed ei qui magister optimus habeatur: ita in hoc assequendæ perfectionis studio, quærendum esse illum, qui eiusmodi viæ dux optimus peritissimusque iudicetur. Deinde cum iam instituta monastica approbata fixaque sint, non tam hominum iam præfectorum, quam instituti quod quisque sequatur, delectum esse faciendum. Vbi si qui sunt Præfecti, qui pro suo arbitrio aliena & inutilia præcipiant; ij suæ potestatis limites excedunt: cum ad hoc præpositi sint, vt ea que iam sunt constituta, & regulari in formatione comprehensa, seruentur. Denique, quemadmodum ait Augustinus, auctoritate quidem decipi miserum esse, sed cerè miserius non moueri: ita ab aliquo Præfecto quem nobis ducem idoneum futurum putauerimus, miserum est decipi, sed miserius, omni repudiato ductore, sibi præfidere, sibi que ducem esse velle ad perfectionem assequendam. Sunt rursum qui dicant, non esse laudabilem obedientiam, nisi per quam homo remoueatur ab illicitis: per monasticas autem obedientias sæpe ab iis rebus abstinendum, in quibus nihil insit vitij. Quibus Domini ipsius opponendum exemplum est, qui nunquam prohibuisset boni ligni fructum bonum tangere, nisi & ea fuisset perutilis valde que laudabilis obedientia. Neque enim potuit Deus, inquit Augustinus, perfectius demonstrare quantum sit bonum obedientiæ, nisi cum prohibuit ab ea re quæ non erat mala.

CAPVT

CAPVT V.

Continentiæ, paupertatis, obedientiæque virtutes, si per votum Domino consecrantur, mirificè Christianam augere libertatem.

HÆc ipsa autem tria quanquam per se præclara sunt, maximeque promoueant Christianam libertatem: tamè cum voto Domino consecrantur atque dedicantur, laudabiliora redduntur, & Christiani hominis libertatem veram multo maiorem efficiunt, tribus potissimum de causis. Prima est, quod iam ad pietatem & Dei cultum pertinere incipiunt: quæ virtus est multo nobilior. Secunda, quod is qui hæc vouet, pleniùs se perfectiusque Deo subiicit & adiungit, quam ille qui eadem sine voto facit. Ita enim se totum Domino consecrat in hoc genere actionis, vt iam non sit integrum aliud agere. Quamobrem non actum vnum, sed ipsam quoque illi potestatem offert, velut si quis non ex arbore fructum decerpere, quem Domino offerret suo; verum etiam ipsam quoque arborè in illius transferret potestatem. Tertia, quia per vorum voluntas confirmatur & roboratur in sancto proposito: firmitus enim fixiusque bonum retinemus, quod nos sine graui periculo amittere non posse videamus. Magis etiam vehementiusque opprimitur flamma concupiscentiæ, cui spes nulla relinquatur desiderata voluptate perfruendi. Ideoque de virginibus vestalibus; quæ nubere vel senes poterant, seque aliquando nupturas sperabant; dicit Prudentius contra Symmachum libro secundo:

*Non totum spes salua interficit ignem;
Nam resides quandoque facès adolere licebit,
Festaque decrepitis obtinere flammae canis.
Tempore præscripto membra intemerata requirens,
Tandem virginem assidit Vesta senectam.*

I 2

Quo

Cap. 16. lib. de
utilitate cre-
denda.

In Psal. 70.

Quo autem est voluntas in sancto proposito constantior atque stabilior, eo melius gratusque est quod ex ea boni proficiscitur: sicut è diuerso, quo voluntas est in malo obfirmatior, eo ipso redditur peius, quod agitur ex ea.

CAPVT VI.

Quàm laudabile sit continentia votum ostenditur.

SA NE quod ad sanctum continentia: propositum attinet, magnopere hoc ponderauit Augustinus, quod virginitas Domino vouetur atque dedicatur. Ait enim in libro De sancta virginitate: Nulla carnis fecunditas sanctæ virginitati etiam carnis comparari potest. Neque enim & ipsa, quia virginitas est, sed quia Deo dicata est, honoratur: ac per hoc spiritalis est etiam virginitas corporis, quam vouet ac seruat continentia pietatis. Sicut enim nemo impudicè virtutem corpore, nisi spiritu prius concepta nequitia: ita nemo pudicitiam seruat in corpore, nisi spiritu prius insita castitate. Porro autem si pudicitia conjugalis, quamuis custodiatur in carne, animo tamen, non carni tribuitur, quo præside atque rectore, nulli, præter proprium coniugem, caro ipsa miscetur: quanto magis, quantoque honoratius in animi bonis illa continentia numeranda est, qua integritas carnis ipsi creatori animæ & carnis, vouetur, consecratur, seruat! Sic Augustinus. Hæc est igitur illorum eunuchorum præclara virtus, de quibus in Euangelio scriptum est, quod seipso castrauerunt propter regnum cælorum: quod non ob aliud dicitur, quam quia sibimetipsis, vouendo, conjugij ineundi ademerunt potestatem. De his eunuchis & Isaias scripsit, præmiaque magnifica ipsi præparata, verbis est pluribus prosecutus. Non dicat eunuchus. (inquit) Ecce ego lignum aridum. Quia hæc

hec dicit Dominus eunuchis: Qui custodierint sabbatha mea, & elegerint quæ ego volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. De quibus igitur hæc Propheta locutus est, nisi de illis qui seipso castrauerunt propter regnum cælorum? Nam illis quibus ipsum virile membrum, inquit Augustinus, debilitatur ut generare non possint, sicut sunt eunuchi diuitum & Regum, sufficit ut hæc cum Christiani sunt, & Dei præcepta custodiunt: eo tamen proposito sunt, ut coniuges, si possent, haberent: cæteris in domo Dei conjugatis fidelibus adæquari. Qui prolem licite pudicèque susceptam, in Dei timore nutriunt, docentes filios suos, ut ponant in Deo spem suam. Non autem meliorem accipere locum, quam est filiorum atque filiarum. Neque enim vxores animi virtute, sed carnis necessitate non ducunt. Sed qui pio proposito continententes, corpusque usque ad contempnas nuptias castigantes, seipso non in corpore, sed in concupiscentia radice castrauerunt, cælestemque & Angelicam vitam in terrena mortalitate meditati sunt: his locum gloriæ denunciat Propheta in regno Dei sublimiorem cæteris præparatum, ut alios meriti magnitudine superauerunt. Æternum quippe nomen, quod utique gloriam quandam propriam excellentemque significat, spadonibus Dei non erit commune cum multis, quamuis in eodem regno, & in eadem domo constitutis. Nam ideo fortassis & nomen dictum, quod eos quibus datur, distinguit à cæteris. Hi sunt igitur, quemadmodum est in Apocalypsi iohannis, qui cum mulieribus non sunt inquinati: virgines enim sunt, & sequuntur Agnum quocumque ierit, decantantque canticum quod nemo potest dicere, nisi illa quadraginta quatuor millia. Singulariter quippe canticum Agno

Lib. de sancta virginitate, cap. 24. & 25.

Apoc. 14.

cap. 8.

Math. 19.

Isa. 56.

cantare est, inquit Gregorius, cum eo in perpetuum, præ cunctis fidelibus, etiam de carnis incorruptione gaudere. Quod tamen electi cæteri canticum audire possunt, licet dicere nequeant: quia per charitatem quidem in illorum celsitudine læti sunt, quamvis ad eorum præmia non assurgant. Sic ille, tertia parte Pastoralis, admonitione 29. Hic iam, si exempla quæruntur, innumeris aliis, quibus Christi semper Ecclesia floruit, se præbuit ducem virgo illa beata, cui Dominus magna fecit, qui potens est, quamq. hæcenus beatam prædicarunt, semperque prædicabunt omnes generationes. Quodenim illa respondit, virum se non cognoscere; non id modò significat, illam maritalem nescire thalamum; sed votum eius, animique propositum esse, id nunquam experiri, ne sobolis quidem desiderio, aut posteritatis amore. Nam si prius illud tantummodo significare voluisset, nulla erat quærendi ratio, Quomodo fiet istud? cum sibi integrum esse sciret, viri consortium admittere, eoque pacto matrem effici. Quænam igitur esse potuit iusta satis ratio percunctandi, quomodo filium conciperet, nisi quia non statuisset modò virum non cognoscere, verùm etiam quòd suam integritatem voti religione Deo consecrasset? Itaque de ea verba faciens Augustinus in eo libro quem scripsit de sancta virginitate, Ipsa quoque, ait, virginitas eius gratior & acceptior, quia non eam conceptus Christus viro violaturo quam conseruaret ipse præripuit: sed priusquam conciperetur, iam Deo dicatam, de qua nasceretur, elegit. Hoc indicant verba quæ sibi factum annuncianti Angelo Maria reddidit: Quomodo (inquit) fiet istud, quoniam virum non cognosco? Quod profectò non diceret, nisi Deo virginem se antè vouisset. Sed quia hoc Israëlitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro iusto; non violentè ablaturò, sed potiùs contra violentos custodi-

turo,

turo, quod illa iam vouerat. Quamquam etiam si hoc solum dixisset, Quomodo fiet istud; nec addidisset, Quoniam virum non cognosco; non quæsisset utique promissum sibi filium quomodo femina paritura esset, si concubitura nupsisset. Sic Augustinus. Hanc autem virginem, cuius hoc proprium est, quòd cum fecunditate matris, virginitatis coniunxit honorem, numerosissima virginum agmina, iam inde à principio secuta sunt: quæ illius ad exemplum, suam virginitatè Domino ex fide dicauerunt. Ad quas cum Cyprianus sermonem instituit, has earum laudes expressit: Flos est ille (inquit) Ecclesiastici germinis, decus atq. ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles, laudis & honoris integrum opus atque incorruptum, Dei imago, respondens ad sanctimoniam Domini; illustrior portio gregis Christi: gaudet per illas, atque in illis largiter floret Ecclesiæ matris gloriosa fecunditas: quantoq. plus copiosa virginitas numero suo addidit, tanto gaudium matris augetur. Ad has loquimur, inquit; has hortamur affectione potiùs quàm potestate; ut quæ se Christo dicauerint, & à carnali concupiscèntia recedentes, tam carne quàm mente se Deo deuouerint, opus suum consumment, magno præmio destinatæ. Atque in eodem Tractatu Cyprianus, huius virginitatis excellentiam præ coniugali castitate demonstrans, Prima sententia, inquit, crescere & generare præcepit: secunda ad continentiam suavit. Cum adhuc rudis mundus & inanis est; copia fecunditatis generante, propagamur & crescimus ad humani generis augmentum. Cum verò iam refertus mundus & orbis impletus, qui capere continentiam possunt, spadonum more viuentes, castrantur ad regnum. Nec hoc iubet Dominus, sed hortatur: nec iugum necessitatis imponit, quando manet voluntatis arbitrium liberum. Sed cum habitationes multas apud Patrem

In Tractatu de habitu virginum.

Joann. 14.

suum esse dicat, melioris habitaculi hospitia demonstrat. Habitacula ista meliora vos petitis, carnis desideria castrantes, maioris gratiæ præmiũ in cælestibus obtinetis. Hæc Cyprianus. Quibus illa sunt apud Augustinum similia, libro nono de Genesi ad literam: Vnde, inquit, magnum, magnique honoris meritum apud Deum pia & fidelis virginitas habet, nisi quia isto iam tempore cõtinendi ab amplexu, cum ex omnibus gentibus ad implendum Sanctorum numerum largissima suppetat copia, percipiendæ sordidæ voluptatis libido, non sibi vendicat, quod iam sufficiendæ prolis necessitudo non postulat? Breuissimæque diuus Hieronymus in epistola quam scripsit ad Paulam & Eustochium, cuius exordium, Mensurâ charitas non habet: Ceriè, flos quidam, inquit, & pretiosissimus lapis inter Ecclesiastica ornamenta, monachorum & virginũ est chorus. Hæc igitur doctrina Scripturarũ est ac Veterum: soliq. hæretici sacre virginitati suum honorem detraxerunt. Porro si factõ voto nihil obligationis accedere existimatum fuisset: neque Apostolus diceret damnationem illas habere, quæ fidem primam irritam fecissent: hoc est, inquit Augustinus, in eo quod primo vouerant, non sterissent: neque Cyprianus eas quæ post votum, sanctamque professionem continentiæ, non sibi à concubitu temperassent, non mariti, sed Christi vocaret adulteras, disiungique præciperet, nisi censuram vellent Ecclesiasticæ disciplinæ subire, & à fidelium communione seiungi. Cui & Innocentium Pontificem, eius nominis primum, ad stipulantem videre licebit epistola secunda.

CAPVT

CAPVT VII.

De voto paupertatis.

IAM paupertatis votum, & eius vitæ quæ proprium nihil admitteret, quantum in Ecclesiæ præcipuis, firmissimisque membris fulserit, haud obscurum, id quoque ex diuinis literis, & veterum Catholicorum libris apparet. Neque enim cum sua coniuge Ananias *Act. 5.* repentina morte feriretur, nisi hoc votum violasset: neque eodem tempore hoc ipsum & Apostoli, & ex Iudæis Christiani facti, Domino vouissent, nisi ad Christianam perfectionem magnopere pertinere iudicassent. Quæris vnde probetur, Ananiam cum sua coniuge tale votum aliquando fecisse? Quia nimirũ Ananiæ, cum de pretio agri fraudasset, dicitur: Vt quid tentauit satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto? Et rursum: Non es mentitus hominibus, sed Deo. Cur autem Deo mentiri sunt, nisi quia promiserant quod non prætiterunt? In Actis Apostolorum, vt habet Hieronymus epistola ad Demetriadem, quæ *Tomo 1. ep. 8.* do Domini nostri adhuc calebat cruor, & feruebat recens in credentibus fides, vendebant omnes possessiones suas, & pretia earum ad Apostolorum deferebant pedes; vt ostenderent, pecunias esse calcandas: dabaturque singulis prout cuique opus erat. Ananias & Sapphira dispensatores timidi, imo corde duplici, & ideo condemnati, quia post votum obtulerunt quasi sua, & non eius cui ea semel vouerant, partemque sibi alienæ substantiæ reseruauerunt, metuentes famem, quam vera fides non timet; præsentem meruere vindictam; non crudelitate sententiæ, sed correptionis exemplo: vt pœna duorum, esset doctrina multorum. Augustinus quoque de illorum duorum peccato & morte *Serm. 12. in scorsim excusis.* disserens, ex Actis Apostolorum; Nonnullis, inquit, videtur nimis seuera ista fuisse correptio, vt propter pe-

Cap. 7.

Hier. ad Paulam.

Lib. de sancta
virginitate
cap. 33. & 34.
Lib. 1. episto-
larum epist. 11

cuniam de re sua subtractam, homines mererentur occidi. Non hoc Spiritus sanctus, sed avaritia fecit. Spiritus autem sanctus mendacium sic puniuit. Non tamen, fratres, videatur seuera correptio mors temporalis: atque utinam hucusque vindicta processerit? Quid enim magnum mortalibus contigit morituris? Sed per illorum temporalem poenam, Deus fieri voluit disciplinam. Credendum autem est, quod post hanc vitam eis pepercerit Deus. Magna est enim eius misericordia. Correpti sunt mortis flagello, ne supplicio punirentur aeterno. Hoc tantum attendat charitas vestra: quia si displicuerit Deo detrahere de pecunia quam vouerant Deo, & utique illa pecunia vsibus hominum fuerat necessaria: quomodo irascitur Deus quando vouetur castitas, & non exhibetur? quando vouetur virginitas, & non exhibetur? Vouetur enim ad vsus Dei, & non ad vsus hominum. Quaecumque autem hoc fecerint, vouerint talia, & non reddiderint: non se putent temporalibus mortibus corripi, sed aeterno igne damnari. Augustinum secutus Gregorius Magnus, simili ratiocinatione Venantium Italiae Cancellarium reuocare conatur: Ananias, inquit, pecunias Deo vouerat, quas post diabolica victus persuasione subtraxit. Sed qua morte multatus est, scis. Considera ergo quanto periculo in diuino iudicio dignus eris, qui non nummos, sed te ipsum Deo omnipotenti, cui te sub monachali habitu deuoueras, subtraxisti. Denique & Cyprianus in epistola ad Quirinum, variis ex locis probans, quod quis vouerit, esse reddendum, tandem hoc quoque de Anania & Saphira ex Actis testimonium adiungit, illos vouisse nihil dubitans: ut non mirum videri debeat, hoc ipsum in epistola Urbani reperiri, quae inter Decretales Epistolas numeratur. At caeteris vouentibus, Apostoli fortè non vouerunt? hoc is credat, qui non illos Christiani gregis ad perfe-

Cypri. epistola ad Quirin.

fectionem duces fuisse existimet. Augustinus cerè non dubitauit illos vouisse dicere. Scribit enim sic: Dixerant potentes illi; Ecce nos dimisimus omnia, & secuti sumus te. hoc votum potentissimi vouerant: sed vnde hoc eis, nisi ab illo de quo hic continuo dictum est; Dans votum vouenti? alioqui ex illis essent potentibus, quorum infirmatus est arcus. Non enim Domino quisquam quicquam ratum vel rectum voueret, nisi ab illo acciperet quod voueret. Sic eo loco de Apostolica paupertatis voto. Per hoc autem votum, omnem à se rerum quae possideri possunt, proprietatem abdicabant: ut, quemadmodum in Actis scriptum est, inter eos essent omnia communia, & nemo quicquam esse diceret. Cuius Apostolica perfectionis occasione, existerunt postea haeretici quidam, qui se Apostolicos arrogantissimè vocauerunt: eo quod, quemadmodum Augustinus ait, in suam communionem non reciperent videntes coniugibus, & res proprias possidentes: quales (inquit) habet Catholica Ecclesia, & monachos & clericos plurimos. Quae verba Augustini quidam prauè accipientes, significatum ab eo putant, multos fuisse in Ecclesia Catholica & monachos & clericos, videntes coniugibus, ac propria possidentes: cum id interim non dicat, sed hoc velit, Catholicam Ecclesiam multos habere monachos & clericos, qui in suam communionem non recipiant videntes coniugibus, aut propria possidentes. Vnde videlicet procul absit (quemadmodum ait diuus Chrysostomus) meum ac tuum; indeque eiectum omnino id verbum sit, quod multorum saepe causa bellorum est. Et tanquam aliquis interrogasset, Cur ergo illi qui dicuntur Apostolici, haeretici sunt, cum sicut illi, ita & Catholici multi, in suam societatem non reciperent videntes coniugibus, aut propria possidentes? Subiunxit ille continuo: Sed ideo isti haeretici sunt, quoniam se

Lib. 17. De Civitate Dei, cap. 4.

Act. 4.

Heresi. 40.

Homil. 74. in Matth.

se ab Ecclesia separantes, nullam spem putant eos habere qui utuntur his rebus, quibus ipsi carent. Hæc Augustinus, satis declarâs, eos monachorū & clericorum cœtus, qui in Ecclesia hoc vitæ arctioris institutū sequeretur, ut nō admitterent in cōmunionem suam vententes cōiugibus, aut propria possidentes, nō dānare tamē alios qui essent coniugalis vitæ itatum amplexi, propriasq; possiderent facultates, tanquam propterea à spe salutis alienos. Sed hoc interim paupertatis votū fuisse iam olim quoq; voto castitatis adiunctū, & ille insinuat Augustini locus; & Hieronymi verbis indicatur, quibus est ad monachum Heliodorū vsus. cui postquam dixisset, Animaduerte, frater, nō tibi licere de tuis quicquam habere rebus: quibusdā interpolitis subnectit: Sed forsitan dicturus es, Quid ergo? quicūque in ciuitate sunt, Christiani nō sunt? Nō est tibi eadem causa quæ ceteris. Dñm ausculta dicentē: Si vis perfectus esse, vade, vè de omnia quæ habes, & da pauperib⁹. Tu autē perfectū te fore pollicitus es. Nā cūm derelicta domo & militia, te castrasti propter regnum cælorū; quid aliud quàm perfectā sectatus es vitam? Perfectus autē seruus Christi nihil præter Christum habet: aut si quid præter Christū habet, perfectus nō est. Et, si perfectus nō est, cūm se perfectum fore Deo pollicitus sit, Deo antè mētitus est. Sic D. Hieronymus de promissa, perfectionis studio, castitate simul arque paupertate. Hoc igitur cur Apostoli primū ac deinceps multi facerēt, nisi quia tāto gratius Deo se facere persuasum haberēt, quāto se illi magis dedidissent, arctiusq; obstrinxissent? Neque enim ignorabant, quod Augustini postea verbis expressum est, felicē illā necessitatē esse, quæ ad meliora cōpelleret. Ideoq; & illi tū, & postea multi, talem sibi necessitatē assumpserunt: quo minū ab eo quod sanctum esse scirent, valde quæ conducibile ad vitæ perfectionem, liceret discedere.

CAPVT VIII.

Eam necessitatem, qua votum obstringit, nihil repugnare Christianæ libertati.

NEC verò minus hîc propterea Christianæ libertatis inesse putarunt, quòd tali necessitati subderentur: immo verò amplius; cū tanto essent liberiores, quanto meliores: & tanto meliores, quanto in tam sancto proposito alacriores atque firmiores. Bonas enim mentes & corroboraat votum, & subinde extimulat considerata perseuerandi necessitas: ut in cœpto itinere tāto celerius atq; ardentius ad propositum æternæ gloriæ brauium procurrat. Ut enim minū liberi non sumus, quia diuinis præceptis parere tenemur, si hac excitati parendi necessitate, in via mandatorum dilataro corde curramus: ita posteaquam sibi quis sanctissimum institutum monasticæ disciplinæ vltro fecit necessarium; nullum patitur detrimentum veræ libertatis, quando id tanto retinet constantius, quanto minū ab eo desciscere, integrum sibi esse perspexerit. quemadmodum nec beatis spiritibus propterea minū esse dicendum est libertatis, quòd vsque ad eò confirmati in bono sint, ut ab eo iam nequeant vlla voluntatis auersione diuelli. ad quorum libertatis perfectionem tanto magis hîc accedimus, quanto magis votis Deo factis, in bono confirmamur. Sin autem admotis semel ad aratrum manibus, retrò animus respicit, seculum desiderans, & relictas mundi voluptates; iamque tristis & granatim facere incipit, quòd nemine præcipiente volens libensque susceperat: minū profecò liber est, non propter assumptam voti obligationem, sed propter relapsū ad seculum voluntatis carnalem cupiditatem; & quia minū iam delectat quod sanctum est, non quia præstare tenetur quod promissum est. Nisi fortè & Christiani nominis factam

factam in baptismo professionem (in qua pactum ac votum quoddam seu promissionem inesse, Veteres scriptum reliquerunt) accusare libeat, tanquam aduersam Christianæ libertatis; quod ei qui minus postea videndo responderit, si tristis videlicet præcepta seruet Christiana, libertatem proculdubio tanto minus habeat Christianam, quanto magis ad rectè iusteque viuendum, ratione susceptæ professionis adstringitur. Alia est igitur necessitas, qua quippiam facere tenemur postulante aut præcepto aut promisso. Alia, qua ad faciendum bonum, tristis quispiam inuitusque compellitur. Quarum prior nihil detrahit ei, quæ quidem humanæ conditioni congruit, libertati. Posterior verò eam excludit, propterea quod inuitus bonum qui faciat, is non liber, sed seruus sit. Ideoque de hac necessitate diuus Hieronymus ait in epistola ad Rusticum: Vitam quod renuntiamus seculo, voluntatis sit non necessitatis; & paupertas habeat expetita gloriam, non illata cruciatum! Et diuus Ambrosius, Qui diligit, inquit, ex voluntate facit, quæ sibi sunt imperata: qui timer, ex necessitate. Itaque Dominus, ait, operationes seruulorum suorum spontaneas probat potius quam coactas. Ideo ex seruis liberos facit, ut magis voluntatum nostratum munera, quam necessitatum obsequia conferamus. Sic Ambrosius, seruilem videlicet quandam necessitatem significans, quæ vltionæ voluntati opponitur. De qua necessitate loquitur & ipse Apostolus in posteriore ad Corinthios epistola, vbi cum ad eleemosynarum largitionem hortaretur, Vnusquisque, inquit, prout destinauit in corde suo, non ex tristitia aut necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus. A quo sacrificium, inquit Leo, nec cum mærore offeratur, nec inter dâna numeretur. Sic & in priore ad Corinthios de necessitate locutus est idem Apostolus, cum scribit: Nam etsi euangelizauero, non est mihi

glo-

gloria: necessitas enim mihi incumbit. vae enim mihi est, si non euangelizauero. id est, malo meo non euangelizabo, vt Augustini quidem commentarius habet, quia fame cruciabor, & vnde viam non habebō. Si quidem ille vitæ huius sustentandæ significatam necessitatem intellexit: quia si compulsus fuisset Apostolus euangelizare, non ei gloria apud Deum extitisset, propterea quod inuitus & perfunctoriè rem tantam egisset, ex cupiditate emolumenti terreni, non amore Christi, & alienæ salutis desiderio: Nā sequitur, & dicit: Si enim volens hoc facio, mercedem habeo, gloriæ videlicet apud Deum sempiternæ. Si autem inuitus, id est, coactus transigendæ huius vitæ necessitate, dispensatio mihi credita est, vt aliis profit Euangelium, quibus hoc dispensato, non mihi qui fictus sum. Qui enim inuitus facit, inquit Augustinus, propter comoda gaudiaque carnalia; quæ si aliter habere posset, illud desereret; ipse vtiq; fictus est, ideoque inuitus facit: sed eis nihilominus prodest, erga quos facit. Se enim tantum à mercede salutis alienat, non etiam illos priuat, quibus cibaria dñica etiã malus seruus impendit. Plurimum enim refert, ait diuus Ambrosius, vtrum ex voluntate quid facias, an necessitate, quod placeat Deo. Denique voluntarius minister habet præmium: coactus dispensat obsequium, sicut Apostolo dicente cognouimus. Scripsit enim: Vae mihi est, si non euangelizauero. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo: si autem inuitus, dispensatio mihi credita est. Et infra: Aperuit, inquit, mihi huius altitudinem consilij, in epistola ad Philemonem scripta: quia quod ipse esset, alium esse vellet: vt voluntate potius quam necessitate derulisset Domino videretur. Itaque pro Onesimo interueniens, sic ait: Sine consilio tuo nihil facere volui, ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium. Hæc diuus Ambrosius sermone decimoquarto in Psalmum

cento-

Diouus
A. no. gita
cap. vit. Eccle.
saistica Hier.
in. h. a.
Aug. in Psal.
75. epist. 59.
Hieron. in sine
lib. 1. Apolo-
gic. conu. a Ru-
stinum.
Amb. lib. 9.
in Lucam ad
cap. 20.
Chrysostomus
Homil. 68. in
M. thib.
Greg. Homil.
de Ascens.

Serm. 12. in
Psal. 118.

Cap. 9.

Serm. 3. De
ieiunio septimi
mensis.
1. Cor. 9.

Lib. de opo-
mona. horum.
cap. 2. & 30.
Et lib. 1. contra
epist. Parme-
nian. cap. 110.

centesimum decimum octauum. Quod autem adferunt quidam, votum ratione obligationis suæ esse legem, Christi autem beneficio desisse nos esse sub lege: tale est quod ipsi quoque iuramento non leuem importet iniuriam: vtrumque enim priuatæ cuiusdam legis vim habet. Quid autem sit, hominē Christianum, gratiæque beneficio liberum, non esse sub lege, supra à nobis est explicatum.

CAPVT IX.

Respondetur ad argumenta quedam ex Prospero & Hieronymo proponi solita.

Lib. 2. de vita contemplas. cap. vlt.

AT Prosper, inquis, sic ieiunare suadet, vt non nos ieiunandi necessitati subdamus. Quare sic quoque & continentēs & pauperes esse debemus, vt nullam hinc nobis iniiciamus necessitatem, qua votis factis liberi esse nequeamus. Sed quid hinc Prosper obiicitur? qui si vouere non censuisset esse laudabile, non adhibuisset ad Psalmi expositionem, vbi scriptum est, Vota mea Domino reddam; illam Augustini sententiam: Quisquis bene cogitat quid voueat Domino, & quæ vora reddat, seipsum voueat, seipsum reddat hoc debetur, hoc exigitur: imago Cæsaris, reddatur Cæsari; imago Dei, reddatur Deo. Neque hoc, credo, improbasset, quod certè Augustinus, cum commemorasset, non improbauit, quod vouerant tum Christiani quidam, ieiunaturos sese per plurimos dies. Verum & de priuatis non publicis communibusque Ecclesiæ ieiuniis Prosper loquitur; & illos maxime respicit, quos decet in recipiendis peregrinis fratribus hospitalitatem colere. Publica enim si spectentur ieiunia, nemo ea solui debere, propter cuiusquam aduentum fratris existimet. Et quis etiam est spiritualium fratrum, de quibus Prospero sermo est, qui cum

sciat

sciat auctoritate Ecclesiæ indictū ieiunium, & à fidelibus vniuersis obseruari solitum, postulet vt eius gratia ieiunium hospes intermittat; eius remissione delectatus; aut si soluere nolit, contristetur? Talibus quoque Christianis Catholicis, qui, siue non valeant, siue nolint abstinere, omnia vsibus nostris concessa cum gratiarum actione percipiunt; negat eos qui studiosius abstinent, se debere præferre, ne fortè plus humilitatis, aliarumque virtutum habeant illi, vnde abstinentibus iure præferatur. An autem quisquam bonus Christianus, & humilis Catholicus censebitur, qui publica Ecclesiæ ieiunia obseruare cum possit, nolit? Denique in fine capitis, quam velit intelligi abstinentiam, satis insinuat, cum meminit rigoris districtioris abstinentiæ, qua se nonnulli tum temporis Christiani mirè exercebant atque macerabant, præter communia publicaque ieiunia, alia quædam priuata deuotione assumentes. Hæc igitur peculiaria vtroque suscepta, & nulla communi lege indicta ieiunia, ea prudentia ac moderatione cupit obseruari, vt non charitas fraterna lædatur: ab ijs videlicet præcipuè, quibus ex proprio quodam munere conuenit hospitalitatem exercere: quam proinde indictis sibi ieiuniis impedire non debeant, sed hoc potius ducere, vt charitati spiritualium fratrum seruiatur. Quod verò dicit Hieronymus, melius esse offerre quod non debes, quam reddere quod debeas: pro explicata sententia facit. Nam quod debet, ille reddit, qui id præstat, cuius faciendi necessitatem, aliena tantum voluntas imposuit, velut qui diuinis præceptis obtemperat. Hæc enim vt facere debeas, non à tua, sed à Dei profectum est voluntate, qui præcepit. Offert verò ille quod non debet, qui cum posset amplecti nuptias, vtrò ac lubens Domino suam consecrat integritatē. Non enim vouere necesse fuit, cum hoc consilij sit, non præcepti. at posteaquam vouit,

Lib. 1. contra Iovinianum.

m

quid

quis bona mente præditus, neget eum promissione sua obstrictum teneri? cum & scriptum sit; Vouete, & reddite: tantaque hoc posterius sub interminatione præceptum sit, vt subiungatur, Terribili & ei qui aufert spiritum principum, terribili apud Reges terræ. Qui idcirco inultum abire non sit passurus, si quis vota reddere neglexerit: præsertim cum & apud homines magnam perfidiæ notam incurrat, non stare promissis. Vnde & fides, quæ iustitiæ est fundamentum, ex eo dicta putatur, quia fiat quod dictum est. Quin & voti quam iurifurandi maior ad obligandum vis esse iure existimatur, & grauior in violando turpitudinis: propterea quoddam domino suo seruus in primis maximeque debeat fidem. Vnde & Salomon voti violationem nomine perfidiæ exaggerans, Quodcunque voueris, inquit, redde; multoque melius est non uerere, quam post verum promissa non soluere. displicet enim Deo stulta & infidelis promissio. Et Augustinus in Epistola quæ est ad Armentarium & Paulinã, Quia iam vouisti, inquit, quia te obstrinxisti, aliud tibi facere non licet. non talis eris si non feceris quod vouisti, qualis mansisses, si nihil tale vouisses; minor enim tunc esses, non peior: modò autem tanto, quod absit, inferior, si fidem Deo frigeris, quanto beator si persolueris. Sic ille. Reddendũ ergo est omnino quod vouerimus. Neque enim similem æstimare fas est Deum nostrum falsis gentiũ diis, de quibus scriptum est, in argumetum ficitæ falsæque diuinitatis. Quod si quis votum ijs vouerit, neque reddiderit, minime id requirant. Omnino hoc requiret Deus noster, quod ignorare non potest sibi esse promissum. Cur enim alioqui damnationem incurrisse dicerentur viduæ illæ, apud beatum Apostolum, iuniores, quòd non essere affectantes, primam fidem irram fecissent, id est, vouissent (ait Augustinus) & non reddidissent? Nam

Apo-

Apostoli (inquit Epiphanius) tradiderunt peccatum esse, post decretam virginitatem ad nuptias conuerti. Et sanctus Basilius de institutione monastica disserens; Cuique, inquit, ab initio quod vitæ genus cupiat (modò concessum) hoc inire ac optare licet, siue in matrimonio, seu cœlibem agere. Quando verò se Deo semel auctorauit per vitæ continentiam, ac perpetuam castitatem, hoc detrectare non licet, nec aliter quàm aliquod munus, aut hostiam Deo sacram sese illi custodire: ne reos sacrilegij nos Dominus accuset, si dicatur ei corpus, rursus rebus prophanis & communis vitæ ministerio sortidauerimus. Hæc ille de necessitate præstandi quod semel Deo promissum est. Sed vt iam faciendum sit quod Deo polliciti sumus, cum liberi prius essemus, à nostra id voluntate profectum est; qui felicissimam necessitatem vltro libenterq. ipsi assumpsimus, non ab alio impositam obedienter suscepimus. Ideoque hæc ipsa quæ vouemus, in eorum officiorum genere sunt, quæ dicit Augustinus esse gratiora, quòd cum liceret nobis non impendere, tamen causa dilectionis impendimus. Sed quamquam principio licebat non se totum Domino mæcipare vouendo; postea tamen resilire nefas esse, in eodem libro sic dixit Augustinus: Illis qui se non continent, utique expedit nubere; & quod licet, expedit, quæ autem vouerint continentiam, nec licet, nec expedit. Porro autem discedere ab infideli coniuge, licet, sed non expedit: manere autem cum illo, si cohabitare consentit, & licet, & expedit: quia si non liceret, expedit non posset. Est eiusdem Augustini eadem de re sermo copiosior in Psalmum 75. ad versiculum: Vouete & reddite. Quo loco cum fecisset commune quoddam votum Christianorum omnium de ijs rebus quæ omnibus in commune præcipiuntur: tum subiungit esse quædam alia vota propria singulorum. Alius enim,

m 2

inquit,

Lib. 2. contra hereses, hæreses Apostolicorum.

Cap. 14. lib. De adulterio coniugis.

Cap. 15.

Zichstalt 5.
Vide etiam
Num. 30.
& Deut. 23.Epist. 45. &
De bene viduitate, cap. 9.
& Epist. 199.

Baruch 6.

inquit, vouet Deo castitatem conjugalem, vt præter vxorem suam non nouerit aliam. sic & femina, vt præter virum suum non nouerit alium. Alij etiam vouêt, etsi experti tale coniugium, vltra nihil tale pati, nihil tale concupiscere aut sustinere: & ipsi vouerunt aliquid maius quàm illi. Alij virginitatem ipsam ab inuente ætate vouent, vt nihil tale vel experiantur, quale illi experti sunt, & reliquerunt: & isti vouerunt plurimum. Alij vouent domum suam esse hospitalè omnibus sanctis aduenientibus: magnum votum vouêt. Alius vouet relinquere omnia sua, distribuendo pauperibus, & ire in communem vitam, in societate sanctorum: magnum votum vouit. Quisque quod vouere voluerit, voueat: illud attédar, vt quod vouerit, reddat. Vnusquisque Deo quod vouet, si respicit retrorsum, malum est. Nescio quæ castimonialis nubere voluit. Aliquid mali voluit? Mali planè. Quare? Quia iam vouerat Domino Deo suo. Quid enim dixit de talibus Apostolus Paulus? Habentes, inquit, damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt: id est, vouerunt, & non reddiderunt. Nemo ergo positus in monasterio frater dicat: Recedo de monasterio: neque enim soli qui sunt in monasterio, peruenturi sunt ad regnum calorum. Respondetur ei, Sed illi non vouerunt, tu vouisti, tu retro respexisti. Quæ autem respexit ad nuptias, non quia voluit nubere damnatur, sed quia iam antè recesserat, & fit vxor Loth, respiciendo retrorsum. Et concludens tandem: Non sitis, inquit, pigri qui potestis, quibus adspirat Deus apprehédere gradus meliores: quia non ista ideo loquimur, vt non voueatis, sed vt voueatis & reddatis. Vouete, & reddite Domino Deo vestro. Non dixit, Nolite vouere, sed vouete & reddite: vtrumque fac. Vnum fit ex professione tua, alterum ex adiutorio Dei perficietur. Hæc Augustinus. Quem secutus Fulgentius, Hæc inquit,

quit, illorum sunt qui nullam vouerunt continentiam Deo. Cæterum quisquis seipsum castrauerit propter regnum calorum, & in corde suo continentiam Deo vouerit, non solum, si mortifero fornicationis crimine maculetur, verum etiam, si aut vir vxorem accipere, aut mulier nubere voluerit, secudum Apostoli sententiam, damnationem habebit, quia primam fidem irritam fecit. Hæc ille cap. 3. lib. De fide ad Petrum. Diui quoque Bernardi perspicua est hac in parte doctrina, in eo libello quem scripsit de præcepto & præcepti dispensatione. Quod est in voluntate suscipientis (inquit) non in potestate proponentis, volutarium meritò dixerim, non necessarium. Attamè hoc ipsum quod dico voluntarium, si quis ex propria voluntate semel admiserit & promiserit, deinceps tenendum: profectò in necessarium sibi ipse conuertit, nec iam liberum habet dimittere, quod antè tamen non suscipere liberum habuit. Ideoque quod ex voluntate suscepit, ex necessitate iam tenendum est: quia omnino necesse est eum reddere vota, quæ distinxerunt labia sua. Cæterum, Felix, vt quidam sanctorum ait, necessitas, quæ ad meliora compellit. Hæc Bernardus.

CAPVT X.

*Eos qui voueant, nullo se fraudare bono,
sed magno ditare.*

AT magno, inquiunt, bono se fraudat, qui sibi diuinitus concessam adimit libertatem? Iure quidem ac meritò quèrerentur, si esset aditus ad meliora præclusus: aut si quod accerferetur hoc pacto detrimentum profectus salutaris. Sed quid pati potest in bono opere detrimèti, qui summam perfectionis elegit? aut ad quæ meliora sibi præclusit aditum, qui optima probetur amplexus? Et cum in eo sita sit bonitas

& præstantia operis salutaris, vt diuinis præceptis aut consilijs acquiescat: quoniam hic sibi iniecit boni impedimentum, qui vt plenius multo & accuratius præceptis obediret, Dominica etiam consilia implenda suscepit: si autem iam pericula spectes seculi, à quibus se cæteris longius remouit, si vincula cupiditatum & mundi vanitates varias consideres, quibus aut se implicatum exemit, aut implicandum subtrahit, quod non potius lucrum esse putandum est, sic amissæ libertatis? Denique non hoc amittimus quod Domino damus, sed felicius multo illi oblatum reseruamus: sicut Hieronymus virgini loquitur: Ex eo tempore quo virginitati perpetuæ consecrata es, tua non tua sunt: imò verè tua, quia Christi esse cœperunt. Cùm igitur suam quitque libertatem, quam solet habere charissimam, offert Deo suo, totumque se illi tradit, vt eius cultui vacet: quodnam illi potest ab homine Christiano munus aliud exhiberi gratis? Idcirco Basilijus (quod antè citauimus) vt difficillimam, ita & præstantissimam docet esse virtutem, proprium arbitrium negare, atque ex libero semet seruum facere. Nec verò licere in seculo, & secundùm seculum viuere si velis, id quod voti religione amittitur, ad libertatem pertinet Christianam: quandoquidem seculo adhuc propinquior est, cui illud licet, quàm is cui iam non licet. Nec gratulanda libertas est, inquit Augustinus, qua fit vt non debeat, quod cum lucro redditur. Hęc autem nostra est in Christo libertas, quæ nos abducit ab hoc seculo nequam, blandisque voluptatibus mundi: quæ, dùm queruntur, fatigant; dum percipiuntur, infatuant; dum amittuntur, excruciant. Ideoque tum erit maxima in regno Dei libertas, cùm ad seculum reuerti non solam non licebit, sed nec omnino fieri id poterit.

In Epistola ad
Dionysium.

Epist. 41.

CAPVT XI.

Nihil periculi inesse votis, propter quod debeat reuocatum accusari temeritas.

ALVNT etiam nonnulli, periculi plenum esse, nos rem tantam vouere Deo, seu polliceri facturos: quod autem cum salutis periculo fiat, nulla præsertim urgente causa, id fieri imprudenter. quod verò imprudenter & inconsideratè geratur, neminem id quidem, nisi fatuum & imprudentem, laudandum existimare, sed vituperandum profus; atque ad eò hic locum esse veteri sententiæ: In malis promissis rescindi fidem. Quo loco hoc primùm animaduertendum est, illos abati veteri sententiæ: quæ de his tantum modo promissis intelligenda est, quibus mali quippiam promittitur, quale fuit in Actis illorum votum, qui se vouerant nihil gustaturos, donec interemissent Paulum. Tale autem promissum suapte natura nullum est, nec vim habet obligandi: cùm ad malefaciendum nemo teneri queat obstrictus. Quocirca eiusmodi quippiam quisquis promisit, vt peccauit promittendo, ita procul dubio grauius peccat implendo. Hoc in genere plerique Iephte votum ponendum putant, quo eum qui primus è familia victori sibi domum reuertenti occurrisset, pollicitus est Domino se immolaturum. Sed non improbabilem arbitror eorum sententiam, qui illum vouisse censent hoc omnino, quod implere licuerit. Primùm, quia scriptum est, Spiritum Domini super illum irruisse, ac tum vouisse. Deinde, quia cùm filia, quæ prima obuiam venerat, luxisset per montana virginitatem suam, ad patrem suum reuersa est: qui fecit ei sicut vouerat. Et quid illud? Quæ, inquit, ignorabat virum. In eo igitur Iephte votum declarari videtur impletum esse, quòd filia virum ignorauerit, ab omni coniugio per totius vitæ spatium aliena. Qued

Ab. 22.

Judic. 11.

etſi Deo gratiſſimum eſſet holocaustum, id tamen illius temporis mōres valde reſpuebant, plangendum-que iudicabant. Quis autem facile credat, virum in numerum eorum qui fide promiſſiones adepti ſunt, ab Apoſtolo relatum, nefandum & gentile prorsus hominis interfecti ſacrificium, Domino, qui hoc fieri vetuerat, gratum fore credidiſſe? verū tamen ſi magis Ambroſio aſſentiri libet, quod impiè vouerit, maiore impietate impleuiſſe: in hoc voto, eiusque ſimilibus, vbi quod nefarium ſit, promittitur, intelligatur illud: In malis promiſſis reſcindendam fidem. At qui rem bonam, ſuoque genere ſalutarem, promiſerit imprudenter: cur non promiſſo teneatur? Velut qui Domino vouerit perpetuam continentiam, ſed non prius computatis ſumptibus: hoc eſt, malè prius inſtructus virginalibus præceptis, nec ſatis adhuc ad ſublime illud vitæ genus idoneus: is nihilominus quod promiſit præſtare tenetur. Sed fac antea exploratas eſſe vires; fac in præceptis virginalibus exercitatum eſſe illum qui continentiam Domino perpetuam voti religione conſecrari: nunquid hic quoque tibi imprudentiæ inſimuladus videbitur? Omnino, inquis, ob id iſſum, quia non omnium eſt continentia perpetua donum, etiam eorum qui continere cœperunt. ſed vnusquisque donum ſuum habet: alius ſic, alius autem ſic, inquit Apoſtoloſ. Quod igitur nescias, perpetuum ne ſis habiturus: nonne præcipitiſ eſt temeritatiſ, id Domino perpetuum fore polliceri? Reſpondendum eſt, quales nos, quamdiu futuri ſimus, exploratum & certum omnino non habemus. Sed vt non ruina veriſimiliter impendere putemus (quod periculi ratio poſtulat) confirmat nos, & animat Apoſtolica ſententia: Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Domini. & Non patietur vos Deus tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione pro-

uentum,

uentum, vel, vt Cyprianus lib 3. ad Quirinum legit, euadendi facultatem, vt poſſitis ſuſtinere. Idcirco de Domini miſericordia, tota exſpectatione confiſimus auxilium aſſere; quo firmati, in continentia ſtudio perſeueremus, qui eodem auxiliante, continere iam cœpiſimus. Neque enim hoc noſtrarum eſt virium, ſed eius à quo omne datum optimum, & donum omne perfectum: qui dat omnibus petentibus affluenter, & non improperat, vt qui poſt continentia votum hæc ſe non habere perſpexerit, non id auctori & inſpiratori continentia Deo, qui dare noluerit; ſed ſibi, qui à propoſito ſancto turpiter lægueſcēdo defecerit, ad ſcribere debeat. Quomodo autem petenti & vigilanti nō ſit daturus rem poſt votum neceſſariam, qui ſe petentem exauditurum promiſit? Petite (inquit) & accipietis; pulſate, & aperietur vobis. Aut cur hoc aggredi propter incertum exitum, temerarium ſit, quod ipſe Dux primarius virginū, Virgo, natus è Virgine, Chriſtus Dominus adhortando & conſulendo vocat fideles ſuos? Qui poteſt (inquiens) capere, capiat. Nam quod aiunt Dominum illiſ verbis aperte à continetia dehortari, vſque adeo verum non eſt, vt maxime ad illam inſtammariſ, rem ſignificans omni proſecutione digniſſimam, ſed in arduo tamen ac ſublīmi collocatam: ideoque omnem operam dandam eſſe, vt ignauia reiecta, exſertis viribus acquiratur. Ac diuſ quidē Chryſoſtomus, quā excitet locus ille ad amplexum continentia, præclare explicatum reliquit Homilia 64. in Mattheum. Quæro autem, quem illic dicant poſſe capere? Si eum qui ſciat Domini hoc de ſe decretum eſſe, vt perpetuo contineat: quis erit tandem ille qui poſſit capere? Nam & hoc ipſi fatentur ſcite neminem, ideoque nos temeritatiſ arguunt. At qui aliquoſ fateantur eſſe neceſſe eſt qui capere poſſint, vt habeat Dominica adhortatio locū: Qui poteſt

in ſ acci-

1. Cor. 7.

Philipp. 1.

1. Cor. 10.

accipere, capiat. Quod si capere possunt, qui fati iam donante Deo volent continere, & spem continendi non in suis viribus, sed in gratiæ Dei adiutorio constituunt; quomodo se imprudenter Christi eunuchos faciant, quibus à Domino consultitur, ut capiant, etiam si de exitu rei, aut diuino beneplacito, nihil certa cognitione teneant exploratum.

CAPVT XII.

*Euentus incertitudinem non facere, ut imprudenter
& periculose voueamus, aut sub conditione
dumtaxat vouere debeamus.*

SED nec quicquam rectè cuiquam promiserimus nos facturos, qui ignoremus quid Dominus staturit: in cuius manu sunt corda & opera nostra. Ideoque nos Apostolus Iacobus dicere vult, cum nos quopiam ituros, aut aliquid facturos dicimus: Si viuimus, & si Dominus voluerit. Quod in promissionibus aut votis cum intelligitur vel dicitur (nam & hinc locum habere docet* Cyrillus; Non oportet, inquit, quicquam Deo à nobis promitti ut certum, quasi nos domini rerum effemus: partim, quia quod posse à nobis fieri credimus, vires nostras nonnunquam excedit: partim, quia non sine arrogantiæ crimine hoc nos aut illud facturos, polliceremur. Illud enim in omnibus quæ agere volumus, dicendum est, quod discipulus Christi nos docuit: Si Dominus voluerit) hoc igitur in promissis ac votis cum intelligitur ac dicitur: non conditio exprimitur promissionem suspendens, ut si non conditio impleatur, promissi obligatio nulla sit: sed prouidentia Dei & gratia commendatur, sine quibus, quod Domino vouimus, implere, & quod homini promissimus, præstare non valemus. Alioqui si (ut quidam volunt) conditio est, sub qua sit votum

quæ

*Iacobi 4.
Quod Iacobus
ait, Si Domi-
nus voluerit: pe-
culiariter vsur-
pandū est ijsm
rebus, quas
Deus à sua dis-
positione pēdere
voluit. nō à no-
stro arbitrio: et
ideo frequēter
impediuntur,
Deo dispensante:
atq̃ si maxime
velimus ut
fiat, cuiusmodi
est lucrū face-
re, & huc atq̃
illuc proficisci.
Non autem ad
hoc genus rerū
perueniet conti-
nere.*

* Cyrill. lib. 9.
in Ioan. ca. 28.

omne concipiendum; velle autem Deus vel nolle ætinetur, ex eo quod dederit, vel non dederit, verbi gratia, continentia donum, vel obediendi voluntatem: tum profectò nulla erit, vel Deo vel homini facta promissio, quæ ipsum obstringat. Dominus enim noluerit, si ego noluerò. Nam si vellet Deus, efficeret idem ut ego vellem, cui est omnis in manu voluntas, ut eam quod velit, & quando, quantumque velit inflectat. Itaque si pecuniam promissam præstare noluerò, dicam me promisso non teneri: eo quod, licet promiserim, id tamen sub ea fecerim conditione, Si Dominus voluerit. Atqui ego illum nolle, sentire me dicam, quia mihi non det implendi voluntatem. An non animaduertimus hoc in omni promisso dici posse, quod hoc tempore quidam in votis monasticis, cum insigni eorum iudificatione, volunt intelligi? Denique non ea modò quæ huiuscemodi votis comprehensa consuluntur, verùm etiam ea sine quibus salui esse nequeamus, laudabiliter Deo promissa leguntur, & votis oblata. Velut quod Iacob vouit Dominum sibi semper fore Deum: *Genesi 28.* ut in cultu eius constantius atque feruentius, vinculo promissionis accedente, persisteret. Et scribit Augustinus *Epistola 67.* quendam vouisse, Christianum se fore, si filia eius pristinae sanitati restitneretur. Quod votum cum non impleisset, atque ob id fuisset diuinitus cæcitate percussus: vouisse iterum, si visum recuperaret, se Christianam professionem incurtatur esse suscepturum. Hæc igitur rectè & cum laude sic fiunt in rebus necessariis: cum tamen omnibus nec illa donentur, sed tamen de diuina sperentur bonitate. Quid autem ad periculi demonstrationem valet ruina multorum? qui si nollent, profectò non ruerent. Idcirco enim non continent, quia continere nolunt: utcunque se habeat de illis diuini dispositio consilij. Quemadmodum igitur periculosa non est, sed modis omnibus salutaris,

secu-

secura & optabilis Christianæ religionis susceptio, etsi multos, ea semel suscepta, labi grauius & ruere videamus: ob id dumtaxat quod vitam nolint agere sue professioni congruentem. de quibus scriptum est: Melius erat eis, non nosse viam veritatis, quam post agnitam relabi, & discedere ab eo, quod illis traditum erat, sancto mandato. ita non est propterea ad instituti monastici sublimitatem periculosus ascensus, quod multi sua voluntate & locordia præcipites ruât. nisi forte ex personæ voutentis qualitate & conditione emergat metuendi causa periculi: quia videlicet non se antea præpararit, rebusque necessariis instruxerit: nec proficiendi studium præ oculis habuerit, sed vitæ otium, & ventris cultum. Alioqui per se quidem, & suapte natura, monastici ratio instituti facilis & tuta est, longiusque à periculis ruinæ remota, quam vita & conversatio secularis. Et quamuis illam ingredi virtutis & arctioris vitæ viam, nisi Deo donante & opitulante nequeamus; non tamen ratione caret, inquit Augustinus Epistolâ 105. vt nos promittamus, & Deus faciat; præsertim cum hoc ita faciat, vt id in nostra potestate, si vigilemus & oremus, esse voluerit.

CAPVT XIII.

Verumne sit, quosdam continere non posse, vt id quasi iuxta rationem ad voti solutionem prætexatur.

AT reperiuntur, inquis, qui postquam ad culmen hoc vitæ perfectioris ascenderint, non quidem nolint continere, sed non possunt. Quod ipsum & Cyprianus expressisse videtur: Si autem perseverare nolunt, inquit, aut non possunt, melius est vt nubant, quam vt in ignem delicijs suis cadant. Quo loco etiam de his virginibus quæ velatæ essent, non loquitur, propterea quod nubere his non erat melius futurum: tamen quosdam

Epist. 11.
lib. 1.

dam cœpisse continere, nec in eo quod cœperant perseverare potuisse, illa disunctione significat. Verum Cyprianus illas non posse dixit perseverare, quæ etsi non auersam omnino gerant à continendi studio voluntatem; tamen non tantum volunt, tantumque diligunt, quantum ad agendum ac perseverandum velle necesse est. Quocirca non ob aliud non posse dicuntur, quam quia nondum satis volunt efficaciter, vt carnem contraria concupiscentem, fortiore spiritus robore vincant. Quod non de consilijs modò Euangelicis, verum etiam de mandatis ipsis verissimè dicitur. Qui enim vult facere Dei mandatum, inquit Augustinus, & non potest: iam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc paruum & inualem. Poterit autem, cum magnam habuerit & robustam. Quando enim martyres magna illa mandata fecerunt; magna utique voluntate, hoc est, magna charitate fecerunt. Hæc Augustinus. Atque ad similem modum in Euangelio Iudæi quoque dicuntur non potuisse credere, quia nimirum credere nolent. Quare enim, inquit Augustinus, credere non poterant? Citò respondeo, quia nolebant. Inter cæteras autem cupiditates, quæ à credendo voluntatem impediunt, non sola erat diuitiarum cupiditas, propter quam dicit Lactantius libro septimo, pauperes & humiles Deo facilius credere, quam diuites, qui sunt impediunt pluribus implicati; imo cathenati & compediti; seruiunt ad nutum dominæ cupiditatis, quæ illos inextricabilibus vinculis intrinuit: nec possunt, inquit, in cælum aspicere, quoniã mens eorum in terram pronam, humique defixa est: verum & illa vna erat, de qua Dominus in Euangelio non siluit, cum ait: Quomodo vos potestis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis, & gloriam quæ à solo Deo est, non queritis? Quem in modum nobis quoque dicere liceret ijs qui se continere non posse queruntur: Quomodo vos potestis continere,

Cap. 17. lib. De
gratia & li-
bero arbitrio.

Tractatu 53.
in caput 12.
Ioannis.

Ioann 5.

tinere, qui otium, qui mulierum colloquia; qui consortia periculosa non vitatis? qui orationibus & pijs studijs non vacatis? Nec verò cur credere nō possent, aliò causam Dominus retulit, quàm ad illorum voluntatem, quam se Prophetæ verbis prævidisse significat. Idcirco enim, inquit, nō poterant credere, quia iterum dicit Isaias, Excæcavit oculos eorum. Quæ sententia hoc verborum ordine intelligenda est: Idcirco nō poterant credere, quia, sicut dixit Isaias, excæcati erant, idque malitia sua: quam cæcitatem quoniam illorum mala voluntas meruerat, hinc iudicium Dei deferentis experti sunt. Quapropter illos Deus ipse dicitur excæcasse, sicut alio loco dicitur cor Pharaonis indurasse. Sic enim excæcat (inquit Augustinus) sic obdurat Deus. deferendo & non adiuuando: quod occulto iudicio facere potest, iniquo non potest. Debet ergo, inquit idem, esse impiger animus, vt & voueat, & reddat; ne cum se minus putat idoneum ad reddendum, piger sit ad vouendum. Et hæcenus quidem ista tractasse sit satis.

Psal. 112.

DE

DE
CHRISTIANA
LIBERTATE
LIBER VNDECIMVS.

PROOEMIUM.



EXPLICATIS superioribus doctrinæ huius capitibus, quam hæcenus de Christiana libertate sumus profecti: non abs re putavi futurum, si ex aduerso Caluini eadem de re doctrina ex integro proponeretur. Tum quòd doctrinæ Catholicæ lucem reddet illustriorem, falsitatis ista cum veritate contentio: Tum quòd ex ijs quæ sunt hucusque tractata, non admodum est iudicatu futura difficilis, nouitij hac in parte dogmatis, posteaquam iudicata fuerit, absurditas.

CAPVT I.

Quæ sit Caluini de Christiana libertate sententia.



TATQVE Ioannes Caluinus cum de Christiana libertate sibi tractandum esse prætaretur, negat primùm eius rei explanationem prætermitti ab eo debuisse, cui summam Evangelicæ doctrinæ compendio completi propositum esset. Rem enim esse hanc apprime necessariam, ac citra cuius cognitionem nihil ferè sine dubitatione conscientiæ aggredi audeant. Deinde Christianam libertatem partibus docet cōstare tribus. Quarum prima eaque potissima sit, vt fidelium conscientiæ sese supra legem erigant atque efferant, totamque legis iustitiam

sticiam obliuiscatur. [Nam cum Lex, inquit, neminem iustum relinquit: aut ab omni (spe iustificationis excludimur, aut ab illa nos solui oportet: ac sicquidem ut nulla prorsus operum ratio habeatur. Nam qui vel tantillum operum se afferre debere ad obtinendam iusticiam cogitat, non potest modum aut finem præfigere, sed debitorem vniuersæ Legis se constituit. Sublata igitur (ait) Legis mentione, & omni operum cogitatione seposita, vnam Dei misericordiam amplecti conuenit, cum de iustificatione agitur; & auerso à nobis aspectu, vnum Christum intueri. Non enim illic quæritur, quomodo iusti simus; sed quomodo, iniusti licet ac indigni, pro iustis habeamur. Cuius rei si certitudinem aliquam assequi volunt conscientia, nullum Legi dare locum debent.] Hæc de prima parte libertatis Calvinus. Similisque farine sunt, quæ adiungit de secunda: [Altera, inquit, pars est, quæ ex superiore illa pendet: ut conscientia non quasi Legis necessitate coacta, Legi obsequantur: sed Legis ipsius ingo libera, voluntati Dei vltro obediunt.] Quod ira contentibus explanat, ut satis intelligi possit hoc eum velle, etiam si omnia iustorum opera, cum ad Legem reuocantur, peccata sint, & maledicto obnoxia, minimeque ijs Lex impleatur: tamen vel dimidiatum & inchoatum obsequium, alacriter promptoque animo cælesti Patri offerri oportere.

CAPVT IX.

Denudatur absurditas supra posita Caluini doctrina.

IN duabus autem hisce partibus (nam de tertia post suo loco dicendum est) vide quæ, quantaque absurda insint. Principio, sicuti definitur in eonostra esse iustificatio, quod iusti habeamur, cum simus iniusti & indigni: ita etiam ponitur in eo Christiana libertas, quod

quod cum adhuc reuera peccati serui maneamus, tamen habeamur pro liberis. Quod si quisquam forte nondum perspiciat, quemadmodum id ex Caluini verbis elici possit, efficiam ut id clarè possit intueri. Nemo (ut opinor) negabit eo ipso hominem esse seruum, quo peccator est & iniustus. Qui enim facit peccatum, seruus est peccati. Peccato autem seu iniusticia opponitur iusticia; sicut libertas seruituti. Quare sequetur à contrario, eo ipso fieri hominem liberum, quo iustus euaserit. Si autè eo quisque donatur libertate quo iustificatur: nonne est necesse ut quomodo iniustus, ita liber abeat? Atqui iustificatur, secundum Caluinum, non quia detrahatur iniusticia, sed quia pro iusto habeatur. Relinquitur ergo hoc planissime, non ideo fieri hominem liberum à peccato, quia verè exuat peccati seruitutem: sed quia pro libero, qui seruus sit, habeatur. An potest dici non esse peccati seruus, in quo ira adhuc peccatum grassetur, ut nec cogitatio, nec affectus, nec opus vllum sit quod non iniiciat, conspurcet, maledicto que & ira Dei obnoxium reddat? Quis peccati seruus, nisi is, qui quoquo se vertat, peccatum tamen effugere nullo modo possit? Nondumne ergo expurgemur, & attendimus, quid monstri alacriteriosa illa verbis & inanissima plena consolationis, Caluinianæ libertatis descriptio? Euadere enim, quisquis eam probat, non potest, quin horum alterum fateri debeat; aut in eodem homine simul cum vera seruitute, veram inesse libertatem: aut, si id rerum natura non patitur, cum vera seruitute, falsam & ficticiam titulumque dumtaxat libertatem esse. Secundo, asserit doctrina eadem libertatem à peccato cum aperta reificatione de assidua violatione Legis: immo verò cum ea professione, qua statuatur impossibile esse implere Legem. Atqui non potest iniusticie regnum effugere, qui diuinam Legem non impleat. Tamen enim

iustitiam hominis Christiani esse isti negent in obedientia Legis; tamen iniustitiam in perpetua eius violatione sitam esse, negare non possunt. Ergone liber quisquam esse definitur ab iniustitia, qui iustitiæ violare Legem nunquam intermittat? Tertio, non tollit solum hæresis ista Legis obseruationem, sine qua impossibile est effugere peccati dominatum; sed quo liberiorē conscientiam reddat, vinculum & obligationem diuinæ Legis abrumpit. Negat enim Legem ad obseruationem sui obstringere eum hominem qui sit particeps Christianæ libertatis. Quid enim aliud illa verba sonant, quæ antè protulimus? [Cum Lex neminem iustum relinquat, aut ab omni spe iustificationis excludimur, aut ab illa nos solui oportet, ac sic quidem ut nulla prorsus operum ratio habeatur.] Ne tamen quisquam hinc colligeret, Legem Dei fidelibus superuacaneam esse doceri, subiungit vsum Legis esse in eo quòd doceat, hortetur, exstimuletque ad bonum, Christianosque sui officij admoneat. At cuius, inquæ, officij? Nullum enim iam homini libero necessarium officium; nullus peccato locus relinquitur, abrogata obligatione Legis. Vnde enim æstimanda est officij faciendi necessitas, nisi ex regula officiorum? quænam autem hæc, nisi Lex Dei moralis? Peccati item quæ ratio, nisi quia Lege prohibente desigetur? Cuius Legis soluto vinculo, vique ipsa conscientias obligandi, dicat nobis Caluinus, quònam eius ad bonum stimulos reliquerit? Neque enim eneruata ad eum modum Dei Lex, aut stringere iustum quemquam potest, aut suis minis pungere, quæ nihil ad eos pertineant, qui vinculo Legis nullo teneantur. quis etiam neget veterem illam ceremoniarum legem spiritualiter intellectam, modo quoque docere & adhortari. Aut igitur præter docendi monendique vsum, obligandi vis tribuenda est morali Dei Legi, aut statuendū est perinde

hanc

hanc ut illam abrogatam esse. Nec verò dicere quisquam possit, obligare Legem ad obseruationem sui, sed violatori, si in Christum credat, damnationem non inferre. fieri enim non potest ut eum Lex non damnet, qui in sui violatione perseveret. Et si enim Christus pœnam in se transtulerit Legis, ne is qui antea Legis violator exstitit, sed pœnitendo à Legis violatione recessit, damnaretur, non tamen patrocinari hoc ei potest, qui Legem transgredi & violare persistat. nisi forte dicendū esse putemus, Christum ad hoc pro nobis mortuum, ut nobis emeret violandæ Legis impunitatem. Quare futile est quod dicit Aretius, Legem Dei esse abrogatam reo, quia vires suas in reum non possit exercere, alio persolvente pœnas. Ad præteritam quippè Legis transgressionem, non ad perpetuam, referenda est pœnæ per alium suscepta persolutio. Quòd quoque Paulus ait Legem mandatorum euacuatam, ne damnaret; aut Legi nos esse mortificatos per corpus Christi, ut iam in nos ad damnationem præualere non possit, ideo dictum est, quia, sicut idem Apostolus ait, Christus de peccato damnauit peccatum in carne sua, ut iustificatio Legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. Damnare ergo Lex non potest; sed eos quos à priorum transgressionum vinculis Christi sanguis absoluit, & iam in posterum suæ Legis obseruatores effecit. At isti absurdissime cum perpetua violatione Legis, per quæ tota etiam iustorum vita peccatum sit, prætextu Christianæ libertatis, coniungunt impunitatem, eoque perperam Legis abrogationem trahunt. Denique, cum verissima libertas sit in eo quòd bonis operibus exercendis, Deo alacriter promptèque seruiatur, iuxta illam celebratissimam sententiam, Deo seruire, regnare est; hæresis ista nullam hinc vult prorsus operum haberi rationem. Et tamen, si vera seruitus est, perditè viuere;

n 2

liber.

Similiter docet scribens in cap. 5. ad Galatas. ad illud: Si spiritus dominus.

libertas ergo est, bene sancteque operari. Si seruitus est, parere cupiditati, nequiter agendo: libertas ergo est, obsequi charitati, recte pieque operando. Quin & Caluinus ipse, in secunda libertatis parte, ponit promptam atque alacrem obedientiam, quam dubium non est sitam esse in executione mandatorum, ideoque in opere atque exercitatione virtutum. Aut igitur in hac causa Christianæ libertatis, magna est operum habenda ratio, si ad eam prompta & alacris obedientia pertinet; aut si nulla operum habenda ratio est, ad nullam potest libertatis partem diuinæ Legis obedientia pertinere. Quamquam quæ possit in obediendo seruiendoque esse alacritas, vbi omnia credantur conspurcata atque polluta? Quis non potius in offerendo mæror, cum nihil nisi claudum atque deforme tanto Domino offeratur?

CAPVT III.

Respondetur ad argumenta Caluini, quibus primam & secundam suæ libertatis partem stabilire conatur.

AT, inquit, qui tantillum operum afferre se debere cogitat, non potest modum aut finem præfigere, sed debitorem se Legis vniuersæ constituit. Quid ergo? Tu debitor esse nõ vis vniuersæ Legis moralis? & quænam erit sine debito necessaria obedientia? Neque enim propterea non est obedientia necessaria, quia non est ex necessitate, sicut Scriptura loquitur; id est, non solo meru, non coactione, non animo illibenti & contranitante, sed promptè atque alacriter deferenda. Quod autem Paulus de debito loquitur vniuersæ Legis faciendæ, non ad moralem, sed ceremonialem Legem est referendum: cum aperte dicat, eum qui se circumcidat, debitorem se facere vniuersæ Legis faciendæ. Non dicit eum qui diligit, non

cum

eum qui parentes honoret, non qui ab iniuriis proximorum, animum manusque contineat; sed eum qui se circumcidat, tanquam ex obligatione Legis Moisaicæ, debere quoque alias omnes Legis ceremonias exsequi. Profert & illud quod ait idem Apostolus, Christum redemisse nos de maledicto Legis, quia factus sit pro nobis maledictum. Sed ideo quos per fidem iustificat, redimit Christus de maledicto Legis, quia reddit eos Legi consentientes & conformes: facitque ut in præceptis suis ambulent, & mandata eius custodiant atque operentur. Hoc enim significat quod ait, factum esse Christum pro nobis execrationem, ut in gentibus benedictio Abrahamæ fieret in Christo Iesu, ut pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem. Quænam ergo ista Spiritus pollicitatio? Certè apud Ezechielem Ezech. 12. scriptum est, sic promississe Dominum: Dabo eis cor vnum, & Spiritum nouum tribuam in visceribus eorum. At quid hic Spiritus efficiet? quemve ob finem inferetur credentium pectoribus? Vt in præceptis, inquit, meis ambuletis, & iudicia mea custodiant, faciantque ea, & sint mihi in populum, & ego eis in Deum. Et rursus apud eundem: Spiritum, inquit, meum ponam in medio vestri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini. Non igitur Christus ad hoc factus est pro nobis execratio, ut impunè, ac sine damnationis metu, Legem assidue atque in singulis operibus violemus: sed quia maledictus est qui non permanet in omnibus quæ scripta sunt in libro Legis, ideo Christus, ut huic maledicto esse desineremus obnoxij, mortis probrosissimæ subiit maledictum, ut eum nobis Spiritum mereretur, per quem Legis efficeremur obseruatores. Is autem non seruitutis spiritus est in timore, per quem Legi veraciter non obeditur; sed Spiritus adoptionis in dilectione, quia plenitudo Legis dilectio est. Neque

n 3

id

id quisquam assequi ijs operibus potest, quæ sola sunt cognitione Legis, quæ Paulus opera Legis appellat; sed eò fide in Christum connitendum est, ut eius gratia, per fidem impetrata, sanati, ad implenda diuinæ Legis mandata conualescamus. Addit & illud, quod Paulus ait in eadem ad Galatas epistola: Srate fratres, & nolite iterum iugo seruitutis contineri. Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circūcidamini, Christus vobis nihil proderit. Quem locum tamen de solis caeremonialibus quidam accipiant: propius tamen, ni fallor, ad Apostolicæ mētis sensum accesserimus, si totam Legem vererem, id est, ipsum quoque cum suis minis ac promissis decalogum, dum sine gratia Christi implendus suscipitur, iugum seruitutis esse statuamus. Ut enim non est ex Lege iustitia, quia solius auxilio Legis nequit Lex impleri: ita neque libertas vera, per quam peccati iugū deponitur, ex Lege parari sola potest. Quocirca, qui nō intellecto gratiæ Christi beneficio, solius fiducia Legis nitentur, cuius propterea caeremonias retinendas esse censebant; hos necesse erat in seruitute peccati remanere captiuos. Ideoque hortatur Apostolus, ne se hoc seruitutis iugo implicari Galatæ pariantur: sed Christo, non ut doctore tantum, verum etiam ut redemptore & reparatore suscepto, per gratiæ eius auxilium, ad veram adspirēt libertatē: non qua fiat, ut Legis etiam moralis soluat obligatio (non enim gratia Legem destruit, sed statuit: illaque ad omnes pertinet Euangelij denuntiatio: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata) sed qua fiat, ut non iam seruili metu, aut carnali cupiditate, sed libera charitate, pleneque filiali affectu, diuinis iussis pareatur. Hęc enim demum vera est à peccato libertas, id quod ex Lege faciendum esse cognoscitur, quodque nisi impleatur, peccati regnum vitari non potest, alacri studio, & amore iustitiæ, ingenuaque voluntate complete.

Hic

Hic ille est in abscondito Iudaus, non carne, sed corde per Spiritum Dei circumcisus. quem Paulus ait Legem consummantem & implentem, iudicaturum esse illum fiducia Legis inflatum, qui per literam & carnis circumcisionem præuaricator est Legis. Hic ille est, qui spiritu ambulat, carnisque desideria etiam sentit, non ea perficit tamen, nec sibi iniquitatem dominari patitur. Qua in re vera Legis impletio, veraque sita iustitia est.

CAPVT IIIII.

*Quantam fenestram patefaciat ad licentiam peccandi,
hac à Caluino constituta Christiana
libertatis ratio.*

VT CVMQVE autem Caluinus suæ huius libertatis vim ostendat positam esse in formidolosis conscientijs coram Deo pacificandis, siue de remissione peccatorum inquietæ sint ac sollicitæ, siue anxie teneantur, utrum opera imperfecta, & carnis nostræ vitijs (quemadmodum scribit) inquinata, Deo placeant: reuera tamen resoluit eas mollitiæ quadam noxiæ securitatis, & ad perniciosissimam vitæ licentiam portas aperit; proque libertate Christiana, veram seruitutem introducit. Primum, quia cum audierint homines, stimulatque in Christum crediderint, diuinæ Legis sese vinculis & obligatione debitoque exsolutos; quid ab ijs tum aliud expectes, prout se communis captus & infirmitas habet, proniorque semper in deteriora cogitatio, quam ut tanquam laxatis habenis in nequiora proruant, latamque ingrediantur viam, quæ ducit ad mortem? Quis enim magis classicū canat ad omnem licentiā, quàm qui prædicet, sublata Legis mentione, & omni operum cogitatione seposita, vnam Dei misericordiam amplecti conuenire? Deinde, nihil magis

n 4

afferre

afferre queat languorem studio virtutis apud homines etiam bene viuendi studiosos, quibusque sit cordi alacriter percurrere diuinorum mandatorum vias, quam si dicatur eis, quidquid tentent aut meditentur operis, id omne maledictum esse. facile quippe negligitur, quod nullius habeatur pretij: nec animari ad opus vllam potest, qui sciat, quidquid fecerit, mancum ac vitiosum esse futurum. Scribit Augustinus, Iouinianum quosdam sanctimoniales à proposito virginittatis abduxisse, non quòd eas ipse sollicitauerit, aut vxores habere voluerit; sed propterea quòd merita minuens sanctæ virginittatis, ea coniugio fidelium coæquatit. Quid ergo eiusdem Augustini iudicio fecisset Iouinianus, quantamq. morû perniciè inuexisset, si nò modò virginittatis, verum etiam virtutû cæterarû studia, pioſque conatus, maledicta esse docuisset? Nec vllus esse profectò potest ad proficiendum stimulus, cum cogites quantumcumque nitaris ac satages, non posse te emergere è vitiorum sordibus, nec supra lutum peccati caput attollere, nec quidquam afferre dignum Deo. Itaque huic sanè doctrinæ, morumque vulnere, quodcunque emplastrum adhibeât, nolle se dicentes à bonis virtutum officijs abducere, sed ad ea potius incitare; fluere tamen inde hanc corruptelæ saniem necesse est, per quam licentiùs securiusque peccetur.

CAPVT V.

Quid sit, in quo tertiam Christianæ libertatis partem Caluinus posuerit.

SED iam audiamus, quamnam idem Caluinus tertiam fecerit Christianæ libertatis partem. [Tertia, inquit, pars est, vt nulla rerum externarum, quæ per se sunt adiophoræ, religione coram Deo teneamur, quin eas nunc vsurpare, nunc omittere indifferenter liceat. Atque

Atque huius etiam, inquit, libertatis cognitio, perquam nobis necessaria est. Quæ si aberit, nulla conscientijs nostris futura est quies, nullus superstitionum finis.] Quoque magis quid sibi velit, aperiat, adiungit: [Videmus hodie plerisque inepti, qui disceptationem mouemus de libero esu carniùm, de libero feriarum vestiumque vsu, & similibus, vt illis quidem videtur, friuolis nugis: sed plus istis inest momenti, quam vulgo credatur. Nam vbi semel se in laqueû coniecerint conscientiæ, longum & inextricabilem labyrinthum ingrediuntur, vnde non facilis postea exitus patet.] Hæc Caluinus. Vbi quantum aberret à scopo veræ libertatis, breuiter ostendemus.

CAPVT VI.

Quantum aberrarit Caluinus in tertia libertatis parte constituenda, breuiter ostenditur.

PRINCIPIO autem animaduertere oportet, libertatem Christianam in hac quidem mortali vita propriè esse à peccato; non ab eo quod, quia graue sit & asperum, molestiam aliquam affert. alioqui nec pater filijs, nec dominus seruis poterit quidquã quod molestum sit præscribere, ne libertatem minuat Christianã. Quocirca etsi ea forent adiophora per se quæ præcipiuntur, nec sine onere queant obseruari, nò ideo libertati Christianæ celsenda sunt officere. Quid enim? si pater filio, aut dominus seruo, certas in singulos dies præscribat vel fastionum vel baiulationum operas, ideòne libertatem euertet Christianam? Et tamè præterquã quòd labor ipse per se ipsum durus est, adstringi certè & addictum esse oportere, haud quaquam seruili molestia caret. Quòd si res eiusmodi ex suo genere liberæ, id est, quæ, seposito superiorum iussu, æquè & fieri possunt & omitti: tamen propter aliquas tem-

porarias hominum utilitates, nullo libertatis Christianæ detrimento sub præcepto veniunt; quo iure causabimur libertatem immitti Christianam, si diuini honoris ac spiritualis utilitatis gratia, tale quiddam conuenienter fiat in cõsimili genere rerum? Aut enim hoc peccatur in libertatem, quòd res eiusmodi ad religionis ac virtutis vsum referuntur: aut quòd ex præscripto fiant. Si prius dederint: nunquã ne ergo illa erũt religionis virtutisq. gratia suscipiẽda? Atqui nulla tam profligata ferè est hæresis, quæ non aliquando sibi ieiunandum putet, aut festum diem agendum diuini cultus intuitu. Sin posterius esse dicent, quod libertati præiudicet; quia videlicet cum recte fieri talia possint ad Dei honorem, debeant tamen non ex præscripto neq. statis temporibus, sed pro cuiusque arbitrio suscipi: iam non attendunt domesticas se quoque politias euertere, vbi ex præscripto patrisfamilias statera fixaque sunt omnia. An vlla forè ratio postulat, vt in humanis rebus ordinatiora sint omnia quàm in diuinis? quis hoc nisi profanus dixerit, diuiniq. honoris inimicus? Quã ob rem si quæ in humanis rebus seu publicis seu priuatis, rectè atq. vtiliter fiunt, ea, vt ordinatè constanterq. fiant, prudenti legum ordinatione fanciuntur, neq. ea faciendi obligatio, quam Lex inducit, libertati officit Christianæ: sequitur omnino ad libertatem Christianam minimè pertinere, vt ad ea quæ diuini honoris religionisq. gratia piè præstentur, nulla publica aut priuata lege teneamur. At quis, rogo, tam inextricabilis labyrinthus? aut qui cõscientiarum laquei, si quid hïc aliquando credatur illicitũ? [Si quis, inquit, dubitare cõperit an sibi in linteis, indusiis, sudariis, mantilibus, lino vti liceat: nec de canabe postea securus erit, tandem & de stuppis incidet dubitatio. Si cui paulo delicatior cibus illicitus visus fuerit, demum nec cibarium panem, ac vulgaria edu-

culia, tranquillus coram Deo comedet, dum in mentem venit se vilioribus adhuc cibis posse corpus sustentare. Si in suauiori vino hæsitauerit, deinde nec vappam cum bona conscientia pace bibet. postremo nec dulciorem mundioremq. aliis aquam attingere audebit. Denique eò demum veniet, vt super tráuersam quod dicitur festucam incedere nefas ducat.] O labyrinthum inextricabilem. Tales Caluine phantasticos ego tibi etiam in causa curandi corporis dabo. vbi non quæritur iam, quid coram Deo licitũ sit, aut illicitum; sed quid valetudini conseruandæ aptius congruat. Noui Epicureos quosdam, qui eò progressi sint, dum sibi nimis accuratè præscribunt, vt de pauculis vini guttis supra mensuram trásmisissis, molestissimam sibi facerent quæstionem, non hac cura, ne Deum offendifsent; verum ne valetudini tantillo excessu, parum bene consulissent. possentq. de læso eorum cerebro, similem labyrinthum non iniucundè texere. Sed ideò ne in curandis corporibus nullum sibi homines modum, nullos certos limites, nullas mēsuras aut ciborum præfigent aut temporum, ne in talem incidant melancholia labyrinthum? Verum tamen vt hïc medici sunt, quorum ex præscripto diætã seruatur: ad quam sibi præfiniendam, non omnes sunt idonei: ita in illo priorum exercitiorum genere, quæ ad virtutis profectum suscipiuntur, vt nemo se in laqueos incautus præcipiter: præfectorum insigni prudentia tota agendi viuendiq. præscripta ratio est, ad quam infirmiores dirigantur. Quæ proinde non solum nõ officit Christianæ libertati, verum etiã promouet; dum sic abducit à peccatis, quibus libero rerum vstu facilè humana se polluit infirmitas: vt tamen laqueos & insidias antiqui serpentis, quas nusquam non præterdit, vigilantia cura præcaueat.

CAPVT VII.

Respondetur ad argumentum Caluini, quo libertatis pars hæc tertia construitur.

Rom. 14.

PROFERTVR à Caluino Pauli locus, vbi ait: Scio quia nihil commune est, nisi qui existimat aliquid commune, illi commune est. Sic enim ille Pauli verba commemorat. additque ijs verbis res omnes externas, liberrati nostræ esse subiectas, modò eius libertatis ratio animis nostris apud Deum constet. Verùm si qua superstitiosa opinio scrupulum nobis iniiciat: quæ suapte natura pura erant, ea nobis contaminari. Sic igitur ille: particulam omitte, nescio an de inuidia, quam Paulus interfert: Per ipsum. Nihil, inquit, commune per ipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est. Neque tamen parum ad rem facit particulæ eius interpositio. Siue enim interpretemur, nihil cõmune per seipsum, id est, suapte natura, quomodo Chrysostomus; siue, nihil, commune per ipsum Christum, de quo dixerat, Scio, & confido in Domino Iesu, quia nihil commune per ipsum; quomodo Ambrosio in scriptis Commentatius interpretatus est: neutrum tamen horum Apostolicæ lectionis sensum quicquam nobis aduersari clarum est, qui lege Ecclesiastica, qua nonnullis à cibis interdum abstinendum sit, nihil impediri docemus libertatē Christianam. Si enim intelligit Apostolus nihil commune seu prophanum & immundum suapte natura; tum demum nos contra hoc Pauli verbum, in capiendis ciborum alimentis, Christianam, imò naturalem toleremus libertatem, si ab vllò ciborum genere, tanquã per seipsum impuro, abstinendũ esse diceremus. Liberum enim permittit Paulus rerum vsum, tanquam sua natura bonarum: non quo exigat, sine omni prohibitione, perpetuam vtendi facultatem. Fiunt enim &

& ciuilibus interdum, & medicorum sæpè decretis, prohibitiones certæ; sed ne quid, quod à Deo effectum sit, tanquam malum per sese, Manichæorum delirio sensu nefas putemus attingere. Sin autem hoc potius continet Apostolica sententia, per Christum iam id præstitum esse, vt nihil haberi debeat profanum & immundum, ex Mosaici instituti decreto, quo fiebat ciborum mundorum delectus quidam, eorumque ab immundis, non naturã, sed mystica significatione, discretio: nonne perspicuum est, ne hac quidem in parte libertatem à nobis imminui Christianam? Neq. enim Mosaicæ legis decretum reuocamus, cuius modò observatio, non pietatis libertas, sed superstitionis seruitus grauitissima foret. Cæterum cum illius obseruandæ Legis tempus esset adhuc idoneum, vellem mihi Caluinus diceret, nullane tum piis hominibus, & gratia Christi iustificatis, libertas Christiana fuerit, qui discrimen illud ciborum ex Lege Mosaica obseruare tenebantur. Qui, si diceret liberos fuisse in quantum iustos, Dei que filios; quia Legem vmbatico illi seculo congruentem, propter veri Dei, qui illa iusserat, obedientiam, promptè & alacriter obseruarent: intelligeret, opinor, non esse cur nobis ad eò vehementer obfleret; qui cum libertate Christiana consistere volumus à certis ciborum generibus abstinendam, lege indictam, consuetudineque fidelium per tẽpora certa firmatam: non quo quicquam aut suapte natura impurum, aut significatione immundum statuatur, sed quo istiusmodi ratione castigata caro & repressã, dominantis spiritui, non tantum negotij sua infestatione facescat. Quæ res procul dubio ad Christianæ libertatis, quæ præcipuè à peccato libertas est, incrementum mirificè conducit. Quod si hîc quispiam dixerit, requirere Apostolũ eam libertatem in externarũ rerum vsum: vt quoniam nulla res aut suapte natura, aut signifi-

fica-

ficatione immunda est, nemo sibi aliquam reddat superstitionis opinione pollutam: fatebimur hoc nos, lubentesque donabimus, neque enim à peccato liber esse potest, qui cum sibi falsa superstitione persuadeat rem quampiam immundam esse, neque ea uti sibi fas esse, tamen reclamante conscientia iudicio sumit in viam. Dupliciter enim hic peccato seruit; tum quod eius animus superstitione & errore tenetur illaqueatus; tum quod contra conscientiam quippiam agat: cum dicat Apostolus, Beatum esse illum, qui non iudicat seu condemnat seipsum in eo quod probat, id est, quod opere exercet, qui autem diiudicat inter cibos, tanquam alios mundos, alios immundos, is, si ederit, condemnatus est: quoniam non ex fide. Porro quod non est ex fide, peccatum est. At verò si quisquam illicitum sibi putet rei certæ usum; vel quia Deus prohibuit, ut Adam primum, deinde Iudei tempore veteris Legis; vel quia Ecclesia prohibet, ut nunc Christiani; is neque superstitione ducitur, qua rem vllam putet immundam: neque eam quæ sit per seipsam munda, sibi facit immundam, si propter Superioris iustam prohibitionem abstinendum putet: nisi ita fortasse quisquam insaniat, ut obedientia virtute pollui hominem arbitretur. Si verò quis erit qui prohibitionis non ignarus, cui parendum esse sibi persuadeat, nihilominus edat: is tum rem bonam sibi immundam reddit, seque ipsum polluit: non propter superstitionis opinionem, qua sibi scrupulum iniiciat; sed propter propria conscientia, ex vero iudicio, condemnationem. Quæ etsi erronea sit, obligat tamen; non quidem ad faciendum secundum eam, sed ad nihil suscipiendum & agendum contra eam. Si quis autem rursus contendat, ob hoc ipsum nullas eiusmodi in Ecclesia leges esse debere, per quas fiat, ut Christianus, aliquid esse prohibitum sibi persuadens, ac nihilominus eodem utens, sibi id

red-

reddat immundum: animaduertere ille debet, quantum ex eo, si sic esset, nasceretur incommodi. Sequeretur enim, nec diuinas leges esse debere vllas: propterea quod earum occasione eueniat, ut homines aliqua sibi esse prohibita persuadentes, atque eadem interim, nihil illa obstante scientia, concupiscentiaque vincete, facientes, grauiore multo peccati seruitute implicentur. Quocirca si tale quidquam accidat, seu diuinarum seu Ecclesiasticarum occasione legum, ut homines illi de quibus dictum est à Poeta,

Nititur in vetitum semper, cupinúsque negata,
eo dulciorem rerum usum putent, quo magis fuerit prohibitus, eo que maiore utendi libidine polluantur, non propterea accusanda Lex est tanquam Christiana aduersa libertati, sed innata hominibus prauitas: quam vltroque, Christianoque & libero homine digna obediendi consuetudine, corrigi paulatim sanarique necesse est. Postremo si quis addiderit, abrogatis semel per Christum Legibus illis Mosaicis, quæ liberum & promiscuum rerum usum prohibebant, non debuisse ab Ecclesia similes institui Leges; quia nihil profuerit onus seruile vnum excussisse, si aliud perinde graue eius in locum successerit: respondebitur, inter has & illas Leges permultum interesse. non modò quia Lex Christiana nullius cibi simpliciter damnat aut prohibet usum (quod illa Mosaica in variis rerum generibus faciebat) verum etiam quod veteres illæ prohibitiones vmbrae erant; istæ verò Christianæ temperantiæ & pietatis morale ac perutile exercitium continent. Idcirco & Christus Dominus, sublaris veterum sacramentorum vmbra, non solum moralia, quæ veteri Testamento communia erant, reliquit, verum etiam & auxit & illustrauit. Et ideo nemo est credentium, inquit Leo, qui non sit Christianæ debitor disciplinae. Quia etsi remota est iustitiæ Legis

Quidius.

Legis asperitas, voluntariæ tamen obseruationis cre-
uit utilitas, dicente Euangelista Ioanne, quia Lex per
Moysem data est, gratia autem & veritas per Iesum
Christum facta est. Omnia enim quæ secundum Le-
gem, siue in circûcisione carnis, siue in diuersitatibus
hostiarum, siue in sabbathi obseruantia præcesserunt,
Christum testificata, Christi sunt gratiam prælocuta,
Et ipse est finis Legis, non euacuando significationes
ipsius, sed implendo. Qui licet idem sit auctor veterû
qui nouorum, figuratarum tamen promissionum sa-
cramenta mutauit; quia promissa perfecit, & denûcia-
tionibus cessationem imposuit, quoniam denunciatus
aduenit. In præceptis autem moralibus nulla prioris
Testamenti decreta reprobata, sed Euangelico magi-
sterio multa sunt aucta, vt perfectiora & lucidiora es-
sent dantia salutem, quàm promittentia Saluatorem.
Hactenus Leo, Sermone 14. de passione Domini,
Cuius illa eadem de re & breuior & clarior oratio est;
Sermonem 6. de ieiunio decimi mensis: Cessantibus, in-
quit, significationibus, quibus Saluatoris nostri nunci-
abatur aduentus, & peractis figuris, quas abstulit
ipsa præsentia veritatis: ea quæ vel ad regulas morû,
vel ad simplicem Dei cultum ratio pietatis instituit, in
eadem apud nos forma in qua sunt condita perseue-
rant: & quæ vtrique Testamento erant congrua, nulla
sunt commutatione variata. Ex his autem est, inquit,
decimi mensis solenne ieiunium, quod à nobis nunc
est annua consuetudine celebrandum: quia plenum
iustitiæ est atque pietatis, gratias agere diuinæ largitai
pro fructibus quos in usus hominum, secundum sum-
mæ prouidentia temperamentum, terra produxit.

Hac Leo.

CAPVT

CAPVT VIII.

*Quid significet Euangelij locus, vbi scriptum est: Non
quod intrat in os, coinquinat hominem.*

QUOD autem aiunt quidam, Matthæi locum vbi ^{Matth. 15.}
scriptum legitur, Non quod intrat in os coin-
quinat hominem; non in eum sensum accipi debere;
quasi cibus per seipsum non maculet; sed Dominum
illis verbis ostendere voluisse quoddam initium futu-
ræ per ipsum libertatis: quæ esset in eo sita, ne inuola-
bilem quandam, circa ciborum abstinentiam, necessi-
tatem Ecclesiæ Pastores inducerent: hoc ergo quod
ad eum scribitur modum, duplici mihi errore niti vi-
detur. Primum enim, loci Euangelici non rectam ha-
bet intelligentiam. Deinde, præsupponit Christianæ
libertati aduersari necessitatem quæ ex Lege sit, inuio-
labilem circa cibos, aliasque res eiusmodi. Quod à ve-
ro longè esse alienum, cum possit ex ijs quæ dicta sunt
haud difficulter intelligi: tum ex eo perspicitur pecu-
liariter, quod primis hominibus ante lapsum, planè
magna & incunda fuerit libertas, plenior etiam ea,
quam modò sumus per Christum assecuti. Et tamen
non defuit tum inuiolabilis ex Lege necessitas absti-
nendi à certo cibi genere. Quem propterea cibum cum
violata Lege sumplerunt, grauissimo scelere, & seipsum,
& in seipsis genus etiam perdidierunt vniuersum. Nec
enim Adamum cibus, inquit Augustinus Epistola 86.
sed prohibitus cibus perdidit: & Esau nepotem san-
cti Abrahæ non esca, sed vsque ad contemptum sa-
cramenti quod in primatu suo habuit, concupita esca
damnauit. Nec verò est quod quisquam dicat, illam
inuiolabilem necessitatem, ex diuina fuisse ortam Le-
ge. Quid enim refert vnde orta sit, modò sit tamen
inuiolabilis necessitas: & id quidem in eo genere re-
rum, vbi nulla talis esse iuxta hos debere videatur?

Nam

Nam si nihil obest libertati talis necessitas ex Dei mandato nata; neque oberit igitur, si orta sit ex mandato Episcopi, qui præcipit vice & auctoritate Dei, sicut non obest ea necessitas, quæ ex legibus oritur iustis Principum secularium, quibus non solum propter iram, verum etiam propter conscientiam, beatus Apostolus obediendum esse declarat. In ipsa verò verborum intelligentia hoc errari manifestum est, quod Christus Dominus, cum ait, Non quod intrat in os, coinquinat hominem; ostendere putetur eam in cibis capiendis libertatem, quæ iam tum esset ipsius discipulis à Mosaica Lege, ex qua erat Iudæis inuiolabilis necessitas abstinendi à cibis quibusdam ut immundis, & ideo (ut voluit) seruitus; à qua suos discipulos esse liberos voluerit Servator demonstrare. Atqui non hoc Scribæ & Pharisei quæsierant: Quare discipuli tui transgrediuntur mandata Legis Moyli? non enim abstinere ab ijs cibis quos Lex decreuit immundos: sed, Quare, inquit, discipuli tui transgrediuntur traditiones seniorum? Non enim lauant manus suas cum panem manducant. Ex hac igitur interrogatione Phariseorum, cum ad eam à Christo responderetur, illa est orta sententia, quæ pro tuenda in cibis sumendis libertate profertur: Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, tanquam dixisset Christus, Hoc ego vos scrupulo, & hac seruitute libero. nullius omnino cibi sumptio propter aliquam legis inuiolabilem necessitatem, inquinare vos potest. Verum hoc ut diceret, nihil ad rem de qua fuerat interrogatus, pertinebat: cum non ageretur de ciborum delectu, sed de manducando manibus illotis; neque ex Lege Dei, sed ex traditionibus seniorum ei questio moueretur. Ideoque vestigio Christus illis ipsis traditionibus patrum suorum, quarum auctoritate discipulos Christi premi volebant, opponit Dei Legem: quam violare non dubitent,

tarent,

tarent, suarum studio superstitionum. Quare & vos, inquit, transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram? Ac paulo post, traditionem eam, de qua fuerat nata questio, rejicit ad doctrinas & mandata hominum: quod de Mosaica Lege, quæ Dei Lex erat, fieri non potuit. Cum que eius responso fuissent scandalizati Pharisei, & hoc ei discipuli renúciaissent, ille respondens, ait: Omnis plantatio quam non plantauit Pater meus cælestis, eradicabitur. Sinite illos; cæci sunt, & duces cæcorum. Nūquid hic dicturus quisquam est, Mosaicæ Legis instituta de ciborum discrimine, plantationem fuisse, quam non plantauerat Pater cælestis? aut eos qui hoc secundum legem docerent esse obseruandum, cæcos fuisse, cæcorum duces? Perspicuum igitur est, non illud dixisse Christum propter aliquam significandam ab inuiolabili lege libertatem, quæ esse deberet in cibis sumendis; sed ad condemnandam Pharaicam superstitionem, cui deditum esse, miserabilis erat animæ seruitus. Docebant enim Pharisei, hominem inquinari eum qui non ante lotis manibus manducasset. Quod ipsum Marcus explicans, Pharisei, inquit, nisi crebro lauerint manus, non manducant, & à foro nisi baptizentur, non comedunt: quod sese nimirum inquinari contactu peccatorum arbitrantur. Nam & propterea Simon leprosus apud Lucam negabat Christum esse Prophetam posse, quod se contingi à muliere peccatricis pateretur, vnde eum necesse esset inquinari. Idcirco cum & ipse Christus inuitatus aliquando, non locus accubisset, eamque ob causam esset reprehensus: responso suo palam fecit, Phariseis hoc esse persuasum, crebra istiusmodi lotione ipsos acceptiores Deo, sanctioresque reddi: quæ persuasio quia summæ erat plena stultitiæ, curamque habebat purgandi sui præposteram, ideo Christus, Stulti, inquit, nonne qui fecit quod de foris est,

etiam quod deintus est facit? Denique in Cana Galilææ sex legimus hydrias propositas fuisse aquę plenas, iuxta purificationem Iudæorum, qua soliti erant in vno conuiuio manus frequenter abluere; non honestatis studio, sed profecto superstitione ducti. quam fuisse in illorum hominum genere maximã, qui plenius cognoscere volet, legat Iosephum libro Antiquitatum decimo octauo, & libro secundo de bello Iudaico. item Epiphanium in hæresi Samaritarum, Hemerobaptistarum, Nazareorum, & Ebionitarum. Hanc igitur cæcæ superstitionis stultitiã conuellens Christus; respondet, verendum non esse ne quisquam manuum sordibus inquinetur, si fortè manibus illotis cibum sumperit. Nam, si quæ, inquit, sordes manibus adhærescunt, ac fortè cum cibo sumuntur, illæ trahuntur in ventrem, & in secessum emittuntur. Doctrina igitur hæc Christi, veram quidem nobis ostendit libertatem; sed quæ non esset in eo sita, vt nullã (quẽadmodum isti volunt) obstringeret inuiolabilis ex Lege necessitas, alioqui nec iusti quos habuit vetus Testamentum, liberi fuere; falsum quæ erit, Vbi Spiritus Domini; ibi libertas. Verum in eo sitam ostendit Christianam libertatem; quod mens liberetur à superstitionis seruitute, cuius adhuc iugo, Iudæorum colla premebantur. Lex autem ieiunij bona & utilis, ab eaque potestate Ecclesiæ profecta, quam ipse Christus instituit, neque stultitia, neque superstitio est, nec quicquam habet simile eius: quod est illis Euangelij verbis reprehensum. Nam cum luculentissimis Scripturę testimoniis ieiunia commendentur, vt accepta Deo, grãtã disciplinã, quid stultitiã aut superstitionis habere potest, quod terra ieiunandi tempora præfigantur? Est enim rationi & sanæ doctrinę perquam consentaneum, vt id quod habet obseruationem salutarem, statis decernatur faciendum esse temporibus; non solum vt

fiat

fiat ab omnibus quibus vtile est, plerisque alioqui, vt se habet infirmitas, neglecturis; verum etiam vt conformius, concordius & studiosius obseruetur in Republica Christiana: cuius magnum est ornamentum, ordinis pacique pulchritudo. Hinc post Moysem institutæ leges sunt de ieiuniis quibusdam, ac Festis diebus. velut ea quæ Reginæ Hester occasione sancita est; & ea quam de Templi annua dedicatione celebranda, Machabeus introduxit; & quæ de Psalmis Davidicis decantandis, iuxta vniuscuiusque diei ritum, aliisque rebus compluribus. De quibus admonuere nos diligenter Irenæus libro quarto, capite vigesimo quinto, vigesimo sexto, vigesimo septimo, & Epiphanius hæresi Prolomeitarum, & Augustinus libro secundo contra aduersarium Legis & Prophetarum, capite primo. Nec vnquam eiusmodi legibus caruit Ecclesia Christi, cum constet obseruationem ieiunij quadragesimalis, quæ inter ceteras ieiunij leges facile præcipua est, celeberrimam semper fuisse, primisque Ecclesiæ temporibus in veneratione habitam. Porro Chrysostomus ipse, licet oscitanti lectori videri posset dicere Christum hæc eiecisse vniuersam ciborum obseruationem Legalem: tamen penitus introspectus, non aliud reperietur dicere, quam damnasse Christum superstitiosam in cibis quibusdam respuendis obseruationem Iudæorum: quibus ea in sideret opinio, qua cibos quosdam natura sua immundos esse censerent. Vniuersus, inquit, Iudaismus, ciborum obseruatione continetur: quo refutato, facile refutatur totus. Quid autem est refutare Iudaismum? an vmbra succedere veritatem? minimè id quidem; sed tum refutatur Iudaismus, cum Iudaizantium aperiuntur ac reuincuntur errores. Lex autem Dei per Moysem data, certam ciborum obseruationem præscribens, errore profecto caruit, neque ergo debuit refutari. Chrysostomi verò

o 3

senten-

sententiam videre licebit, luculenter admodum expressam, apud Euthymiu in caput Matthæi decimum quintum. Quamuis & ipse Chrysostomus scribens in caput decimum quartum Epistolæ ad Romanos, & in primum epistolæ ad Titum, aperte tradat, docuisse Iudæos, quosdam cibos naturaliter immundos, eoq. nomine prohibitos, quoddam hominem coram Deo redderent inquinatum: cum, sicuti verissimè dicit Augustinus in suis Confessionibus, non immunditia obsonij, sed solius immunditia cupiditatis, timenda sit. Ideoq. in Psalmum decimum scribens, dicit, productis ex Euangelio Domini verbis, iustum à ciborum discernendorum superstitione muniri.

Lib. 10. ca. 31.

CAPVT IX.

Sine Christianæ libertati contrarium, si ad ceremoniarum obseruationem conscientia adstringantur.

AD DIT Calvinus, hinc comprehendi omnes liberæ obseruationis ceremonias, ne qua necessitate ad eas obseruandas conscientia adstringantur: sed earum vsus, Dei beneficio, sibi ad ædificationem subiectum esse meminerint.] Vbi quæro, quas liberæ obseruationis ceremonias dicat. Si enim intelliguntur eæ liberam obseruationem habere, quæ nullo neque diuino, neque Ecclesiastico præcepto, neque vlla omnino iusta lege, aut cõsuetudine requirantur: in aperto est, ad eiusmodi ceremoniarum obseruationem nulla necessitate conscientias fidelium obligari. At si liberæ obseruationes intelliguntur esse, quas nullum requirit expressum Dei præceptum; in ceteris ergo ceremoniis Ecclesiæ auctoritas consuetudoque populi Christiani contemnenda ostenditur, prætextu Christianæ libertatis. Si enim in illis obseruandis, præcipiente Ecclesiæ parendum est; fieri non potest vt conscientia minimè adstricta

adstricta teneatur. Si autem Ecclesiæ parere necesse non est; mirum profectò est, quemadmodum Christus hanc obedientiam tanta cum interminatione requiratur, vbi dicit: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Parenti quoque, licita præcipienti, quin sic parendum, nemo probus dubitat filius, quantumuis ille de Christiana libertate lætetur. Quenam autem esse verior nobis queat parens, quàm sancta mater Ecclesiæ? Denique, si vel diuino præcepto ad vllius ceremoniæ obseruationem adstringantur conscientia: quomodo manere Christiana libertas possit incolumis, cum antè dictum sit à Caluino, ne morale quidem Dei Legem apud eius tribunal, in iustorum conscientias vllum habere locum, beneficio Christianæ libertatis? An non est hoc Legem in conscientia locum habere, eam ad sui obseruationem necessitate inuolabili tenere constrictam? Quod si ne diuina quidem vlla talis Lex est, omnes ergo ceremonias liberè obseruationis esse necesse est: ne qua in parte Christiana libertas minuatur. Si verò salua & incolomi libertate Christiana, diuina Lex aliqua potest ad ceremoniæ cuiuspiam obseruationem, conscientiam necessitate obstrictam tenere: cur non, eadem salua libertate, vim habere similem Lex poterit Ecclesiæ, quam Dominus tanta comminationis seueritate iussit audiri?

Lib. 3. Instit. cap. 19. §. 2.

CAPVT IX.

Christiana libertati minimè repugnare vsuatas Ecclesiæ ceremonias.

AIVNT tamen quidam, de Caluini fontibus ista haurientes, nondum videri sublatam esse iugum, quod Petrus Iudæis fuisse dicit intolerabile: nondum umbras euauisse, sed, relicto spiritu, conuerti nos iterum ad infirma & egena elementa, quibus

denuo seruiamus, si primum in obseruatione ceremoniarum vim aliquam constituamus. Deinde, si obseruationem illarum, vbi scandalum & contemptus abest, anxie requirimus. Tertio, si numerum earum maiorem, quam Ecclesie decorus ordo postulet, instituerimus. Et hæc eorum oratio est, qui se interim proficitur Ecclesie ceremonias in Ecclesia, vt ritè & ordine fiant, necessarias esse iudicare. Itaque singula ponderanda sunt, quoniam veram libertatem impedire creduntur. Primum, si qua vis in illis constituitur, quæ ipsi verè competat, eaque vis salutaris sit, & ad pietatè conducibilis; quid hoc esse queat aptius Christianæ libertati? quòdnam intolerabile adeò iugum in eo, quod opitulante gratia expeditissimè impleatur, cum fructu pietatis, & æternæ salutis? Quæ sub infirmis & egenis elementis seruitus, aut quæ spiritus derelictio, quando & quid spiritualiter significetur, agnoscitur: & omnis quæ inde prouenire possit vtilitas, Christi gratiæ, diuinoq; Spiritui accepta referatur? Sub signo enim ille seruit, qui operatur aut veneratur rem significantem, nesciens quid significet, quæque signa ipsa pro rebus amplectitur: quod rudes illi carnalesq; Iudæi faciebant. Si autem ceremoniis aliqua vis tribuitur, quæ sit ab eis aliena, error est procul dubio, secum trahens miserabilem animæ seruitutem. Sed ceremonias Ecclesiasticas salubriter efficaces esse, negare nemo potest. Valent enim primum omnes ad erudiendos permouendosque animos perspicua & iuuenta significatione rerum ad pietatem pertinētium. Quid enim sunt (inquit Augustinus) quæque corporalia Sacramenta, nisi visibilia quædam verba? tanto proinde vtpredita maiore, quanto mouent efficacius ea quæ subijciuntur oculis, quam quæ sunt demissa per aures. Norunt hoc, & sepe numero experiuntur pii fideles, cum ea quæ geruntur in Ecclesiis, pio studio contem-

plantur.

plantur. Afficiuntur planè, & prout ceremoniæ significatio permouerit animum, aut compunguntur in lacrymas, aut gaudio quodam spirituali perfunduntur. Nec verò vis inest solum significandi & prædicandi, quæ tamen in rebus maior inesse quam in verbis solet; verum etiam alia quædã interdum operatrix, quæque effectum sortiatur in eo etiam qui significatione non percipit: velut in Baptismo, quem & paruulis salubriter ministrari constat. item in Confirmatione, aliisque Ecclesie Sacramentis. In ipso quoque Exorcismo, vis est illa de qua Dominus dicit: Ecce de vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & omnem virtutem inimici. In benedictionibus item & cõsecrationibus, exferit se virtus precatōnis sacerdotalis, quam Dominus significat, præscribens benedicens formulam Aatoni & filiis eius. Sic ait: Benedicetis filiis Israël, & sic dicetis eis; Benedicat tibi Dominus, & c. inuocabitisque nomen meum super filios Israël, & ego benedicam eis. Secundum verò, si videlicet obseruationem ceremoniarum, vbi scandalum & cõceptus abest, anxie requirimus: hoc ni fallor, significat, quod apertè Caluinus docet, conscientias fidelium nulla in eiusmodi rebus inuiolabili necessitate constringi oportere; ne qua, ista ratione, seruitus inducatur. Atqui perspicuum est, istiusmodi ex Lege ortam necessitatem, nullam omnino creaturæ veram seruitutem asferre: quando præfertim, quod iubetur, & salutarem habet obseruatione, & ei cui præcipitur, congruentem. Neque enim aut à primo parente ante lapsum, aut à Christo Domino, secundum eam naturã, quam nostræ salutis causa suscepit, aut ab Angelis sanctis absuit, vel etiam nunc abest inuiolabilis illa ex diuina ordinationis Lege necessitas. Quocirca tota in eo quæstio posita est, talium ceremoniarum sine vtilis & salutaris obseruatio in Ecclesia Dei, apertè illis

o s

quibus

quibus præscribitur, conueniens. Quin autem saluberrimam admonitionem habeant ceremoniarum Ecclesiasticarum, cum oculis fidelium obuersantur, dubitari non magis potest, quam de prædicationis & verbi fructu: si iisdem de rebus, quas illæ significant, viua voce in medium proferatur. Habetur in illis præterea summa decoratio, vt diuinæ Maiestati quam conuenientissimè, & ea qua par sit ueneratione, seruiatur. Vbi enim & apparatu maiore, & ritu ordinatiore, cultum adhiberi decebat, quam cum summo omnium Domino sacrificaretur? Vbi potius & ordo, & grauitas, & conformitas in stans temporibus, in vestibus, in actionibus, in cantibus, in locis desiderari debuere, quam ijs in rebus, quæ ad diuinæ Maiestatis cultum, per orbem terrarum essent frequentandæ? Vt autem adessent illa, opus erat legibus ac formulis, obseruandi necessitatem imponentibus, ne pro suo quique arbitrio, & ea, quam se habere falsa crederent sapientia, aut indecorè & leuiter, aut superstitiosè etiam multa, aut perturbatè ac variè, cum iniuria diuini honoris, inducerent in factorum ritus. Ineptè verò dixerit hic aliquis, præcipi quidem hæc rectè posse, at conscientias obstringi ad peccatum, ni fiat quod iubetur, nõ oportere. Obstringunt enim per se ipsas, leges iustis de causis latæ: eaque vis oritur ex illa Dei ordinatione & Legge, qua Superiorum præceptis voluit obediri. Nec enim mandata sunt hominum & doctrinæ, quæ solet vituperare diuina Scriptura. Siquidem ea sunt hominum propria, quæ ex seipsis cõminiscuntur; neq. ad Deum suam referre possunt originem: eaque vana sunt & inutilia, imò superstitiosa & noxia. Quæ verò præcipiuntur vtiliter, iustisque de causis, & ab his qui vice Dei & auctoritate funguntur in terris: quis est qui ad humana mandata, & doctrinas hominum, plantationesque quas Pater cælestis sit eradicaturus, reijciendaputet?

putet? Quod tamen in Ecclesiasticis Legibus faciunt quidam perlibenter, Principum interim ciuiles constitutiones & scita approbantes; cum eadem omnino ratio, si se ipsos audire velint, cogat, vtriusque potestatis sanctiones, vt hominum madata, dammare: aut vtraque tanquam Dei Leges & scita venerari. Sed habent quam ob rem adulentur Principibus seculi, quorum sceptrâ venerari malunt, quam Ecclesiæ auctoritatem suspicere. Quoniam igitur Ecclesiæ sacrarum Legum, quæ Dei cultum honoremque concernunt, maior etiã vis est & pondus quam ciuiliũ: non dubitandum est, illos, quibus dantur, sic ab ijs constrictos teneri, sed tamen saluberrimæ disciplinæ sanctissimis vinculis, vt etiam citra scâdalum, & expressum contèptum, haud sine offensa Dei violentur: neque id magis repugnare libertati Christianæ, quam quòd tam multa Legis diuinæ partim naturalia, partim factitia præcepta, ita seruanda sunt, vt ijs etiam humana fragilitate, citra scâdalum & contèptum violatis, culpa cõtrahatur. Tertia superest querela de multitudine ceremoniarum, quæ si nimia sit, officere credatur libertati. Neque id quidem dubium. Omnis enim vitanda nimietas; quæ & eorũ qui præsunt, arguit imprudentiam; & eos qui subsunt, inutiliter, aut etiam noxiè premit. At multitudo præceptorum ad vtilitatem obseruantium attemperata, apteque & prudenter suis diuisa temporibus, promouet libertatem, non immittit. Vt enim ægrotus per totum anni spatium, multis & variis medicamentis, pro affectione corporis, subleuandus est; vt Grammaticus & Rhetor futurus, multis erudiendus præceptis, neque in his rebus multitudo vitatur, quæ vtilis & necessaria est, sed excessus inutilis ac superuacaneus: ita homini Christiano instruendo, reparando, muniendo, perficiendo, multa reperiuntur esse necessaria: vique adeò, vt in ipsis etiã diui-

diuinis præceptis, inueniatur non exigua multitudo. Quàm multa enim de temperantia, quàm multa de iustitia & fortitudine, de prudentia præcipiuntur? quanta amplitudo fidei rerumq. credendarum? quanta varietas eorum quæ ad implendam erga Deum, erga seipsum, erga que proximum, charitatem requiruntur? Ad quæ tamen omnia, ex ipsa Christi & Apostolorum institutione, nõ parua facta accessio est. Sed quia sunt in scripturis nonnulla commendata generatim, & ita præcepta, vt ea significaretur aliquando fieri oportere, neque tamen aut modus, aut tempus, aut locus designaretur: accessit postremò ad illa omnia, per Ecclesiæ Leges, determinatio perutilis; qua quod esse faciendum ex Scriptura diuina agnoscebatur, id & statis ordinatissime temporibus fieret, & eo maxime modo quo fieri conueniret ac deceret. Denique si locus esset certis opus, ea designarentur, quæ pro rei dignitate ac veneratione congruere maxime videretur, verbi gratia, quia præcepit Dominus semper orare, vt statis temporibus nunquam id pietatis officium intermitteremus; & beatus Apostolus, commonere inuicè in hymnis, psalmis, & canticis spiritualibus: cõstituta sunt ab Ecclesia ipsa tempora orandi atque psallendi: constituti ministri certi, per quos ceteri commoneserent: modus præscriptus & forma, quam orando, publicè præsertim, psallendoq. sequi oporteret: ad id postremò designata & consecrata loca sunt, ne deesset ministeriis factis, & ad Dei cultum pertinentibus, quod nos mensis nostris, aut ieiuniis, aut quieti deesse non patimur. Atque ea & hæc, & aliis in rebus ita ordinata sunt, vt commodissime & obseruata sint hætenus, & adhuc obseruentur; planeque eiusmodi sunt, vt sine his Dei cultus, diuinaq. Sacramenta ritè administrari non posse videantur. Et quot obsecro sunt Christianis populis generatim impostæ huius generis Leges?

Quin-

Quinque, ni fallor, in vniuersum. Primò, diei Dominicæ obseruatio cum festis aliquot, in quibus magna aguntur mysteria nostræ religionis. Secundò, ieiuniū Quadragesimæ, cum aliis paucis totius anni diebus. Tertio, vt Sacrificio quisque interesset festo die. Quarto, vt semel in anno sua quisque peccata confiteatur suo sacerdoti. Quintò, vt in festo Paschæ communicet corpori Domini. Hæc igitur sunt in vniuersum plebibus præscripta Christianis: quæ quiuis intelligit apprimè conducere, vt impleri commodius præcepta Dei possint, de vno Deo colendo, de memoria beneficiorum eius conseruanda, de ieiunando, & confitendo Sacerdoti, remissionis obtinendæ gratia, propter id quod Dominus ait Sacerdotibus: Quorum remiseritis peccata, remissa sunt: quorum retinueritis, retenta sunt. Vnicuique postremò Sacramento suæ sunt ceremoniæ, sed pauca, faciles, eaque fructuosa. Quibus dum vtimur, si ad infirma & egena elementa conuertimur, iam & ipsa Sacramenta repudianda sunt, quæ Christus instituit, & Apostolica nobis tradidit disciplina. Cur enim hæc infirma & egena elementa non sunt, illa sunt? An quia per ea Christum operari non credimus? sed quis paulo instructior Christianus ita ceremonias obseruat, tanquam sine gratia Christi frugiferas? Intelligant ergo isti eos demum infirmis & egenis elementis seruire, iterumq. ad vmbas, Spiritu relicto, relabi, qui relictis ijs rebus, quas illæ veteres vmbæ significabant, id est, Christo & Ecclesiæ, ipsarum vmbæ sequuntur inanitate, in ijs quærentes iustitiam, non in Christo: cum Paulus dicat eos excidere à gratia, qui in Legge iustificentur. Ea enim demum vera seruitus est; signa pro rebus amplecti, sicut verissime docuit Augustinus.

Aug. cap. 16.
contra Ad-
mantium.

CAP. VI

CAPVT XI.

Quid sibi velit Euangelij locus, vbi scriptum est: veros adoratores adorare in spiritu & veritate.

Item. 4. **E**X Euangelio quoque locus ille à nonnullis pro-
ducitur, in quo scriptum est, Spiritum esse Deum;
& idcirco eos qui adorent, in spiritu & veritate oportere adorare. Quibus in verbis si quid est quod nobis iure queant obijcere, id profectò tale sit oportet, vt non inuiolabilem modò in ceremoniarum vsu necessitatem, sed ipsum prorsus illarù vsum è medio submoueat. Quid enim inde ceremonijs Ecclesiasticis opponitur? Ipiritus, an veritas? Si Ipiritus, ceremoniarum igitur vltus in Dei cultu caro est. Si veritas, errorem in eodem ceremoniarum vltu & falsitatem inesse necesse est. nam iuxta Scripturam sanctam, & Spiritus carni, & veritas falsitati opponitur. Dictum que hoc à Domino est, quoniam Deus Ipiritus sit, in quem nulla cadat aut carnis aut erroris impuritas, oportere eum qui veraciter adoret, tam sublimi Ipiritui conuenientem cultù exhibere: eum videlicet qui sit in Ipiritu, non in carne; & in veritate, non errore. Quare ergo quid carnem esse dicant? remne corpoream, & carnis sensibus expositam? Remoueat ergo genus flexiones, eleuationes manuum, apertiones capitum, peetorum tunctiones, laudes canentium, Remoueat à se quoque (si fortè prioribus vtédum non putent, quamuis in sacris literis commendentur) panis vsum & vini: quoniam cœnæ Dominicæ celebratio, Christi honor & diuinitatis cultus est. Deo namque pro acceptis beneficijs gratias agere, eaque gratis animis commemorare, Deù est proculdubio adorare & colere. Quoniam igitur eum qui adoret, in Ipiritu non in carne, id est, vt volunt, non in re corporea & sensibili, sed in Ipiritu, oportet adorare: damnàdi ipsi imprimis veniunt,

tan-

tanquam adoratores mali, qui adhuc nesciant iuxta definita sua in Ipiritu adorare. Si autem nomine carnis, non res corporea & sensibilis significata est (cuiusmodi rem còstat in Dei cultum adhiberi posse) sed carnalis & vitiosa concupiscentia, quam familiariter alibi quoque sæpius eo vocabulo Scriptura designat: non est ceremoniarum nostrarum reprehendendus vsus, tanquam ea quæ in carne sit adoratio, quando à cupiditate libera est voluntas vtentium. Sicut igitur adorat in Ipiritu, cuius veneratio ex recta in Deù voluntate & sancto amore proficiscitur (Ipiritus enim hominis nihil aliud quàm recta & renouata, Ipiritualesque eius voluntas est) etiã id fiat exhibitis extrinsecus ceremonijs, externoque & sensibili ritu: ita is adorat in carne, qui Deum propter ea quæ concupiscit terrena, veneratur; etiã si sola id faciat interiori mentis cogitatione, non corporis motu, non vsu vllius conspicuæ ceremoniæ adhibito. Si autem quia Deus Ipiritus est, id est, vt ipsi volunt, incorporeus, idcirco nos Ipiritualem, id est, remotum à corpore cultum deferre necesse est: exuendum nobis abijciendumque erit corpus hoc quod circumferimus: & nostra omnino deploranda conditio, quòd non sicut Angeli, incorporei simus, vt Deum, qui incorporeus est & inuisibilis, sine corpore & sine vlla re visibili adorare possimus. Verùm quia nos ita condidit Deus, vt animo constemus & corpore, neque nos debet pœnitere nostræ conditionis: ita à nobis colendus est Deus, vt totos illi nos exhibeamus, totique, id est, & animo & corpore, illi seruiamus, venerationem deferentes eam, quæ rectis quidem ante omnia motibus animi, sanctisque & puris cogitationibus, deinde & actionibus corporeis, conspicuisque ritibus, exerceatur: præsertim cum & hi partim vocum, partim rerù quæ oculis subijciuntur, significatione, haud mediocriter conferant

ad

ad cultum interiorem promouendum. Naturalis quippe animi corporisque nexus id efficit, vt sicuti animi motus in corpus redundant, perque id sese proferunt, atque eius moribus & gestibus exprimuntur: ita vicissim excitati in corpore motus, in animum se referant & refundant, eundemque excitent & commoueant, feruentioremque in Deum spiritus alacritatem concilient. Quamquam igitur in colendo vno Deo, summæ illius maiestatis maxima habenda ratio est; non tamen negligendus naturæ nostræ modus, quo sic nos ex diuersis substantijs Opificis nostri temperauit manus, vt aptissimum propterea nobis sit ex vtriusque substantiæ motibus atque officijs temperatum & mixtum cultum conditori omnium Deo exhibere. Veritatem autem quid nobis obijciant, tanquam absit à ceremonijs, cum & vera sit earum significatio, & certissima fides vtentium? Veritas enim, vt dictum est, non signis & umbræ; hoc quidem vt videtur loco; sed errori & falsitati opponitur, vt is adoret in veritate, qui non errorem mentis colendo sequitur, velut Samaritani: sed qui vera fide colit Deum. Namque & veteres illi sancti Dei homines, quorum pietas inter carnales Synagogæ filios enituit; non in spiritu modo adorabant, sapientes quæ sursum sunt, non quæ super terram; verum etiam in veritate: propterea quod & umbris ac signis vterentur rerum aliquando venturarum, & non eo errore tenebantur quo ceteri, vt signa pro rebus acciperent, eaque Deo per seipsa placere arbitrarentur: sed verissima fide vnum in ijs intelligebant mediatorum Dei & hominum Christum Iesum, gratiamque noui Testamenti, per quam iustificari se, atque à peccatis expiari, etiam tum credebant. Quod si illi inter ipsas adhuc umbras positi; tamen propter eam quam nobiscum habebant communem de Christo fidem, cuius per gratiam se credebant saluos fieri posse, sicut

& nos,

& nos, in spiritu & veritate adorant; quanto magis nos qui ipsam rerum imaginem accepimus, signisque rerum exhibitaram vtimur, & ijs fidem in Christum nostram profitemur atque excitamus, dicendi sumus in spiritu & veritate adorare! In spiritu quidem, eo quod mens à concupiscentiæ dominatu libera est; vt amplius in carne non sit, id est, carnali concupiscentiæ non seruiat: quia qui in carne sunt, Deo placere non possunt. In veritate verò, non quia, remoto signorum vsu, quæ nec ipsi remouent; sed quia veris signis, veraque fide placere studentes per vnum Christum, ex quo, quæcunque sint salutaria, deriuantur. Quippe & Iudæos ipsos in veritate adorasse, qui salutem per Christum expectabant, satis hoc insinuat, quod Samaritanæ Christus loquitur dicens: Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus; quia salus ex Iudæis est. moxque subiungit: Sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Nam & Pater tales querit, qui adorent eum. hoc quidem mox futurum dicit, non quia non antè fuerit: inter Iudæos: in quibus, qui spirituales erant, in spiritu & veritate adorabant, verique adoratores erant, planeque tales, quales Pater querit: sed quia palam & passim futurum erat, non inter Iudæos modo, verum etiam inter Gentes. Hoc enim antè dixerat mulieri: Quia veniet hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem. Quod sic accepit diuus Basilius, vt significatum sit, toto terrarum orbe propagandum veri Dei verum & spirituale cultum: non qui templorum vsu excluderet, sed propter quem exercendum passim vbique templa edificarentur. Nobis enim, inquit, periculum est male obiti mandati, si loci rationem neglexerimus, maxime si sacerdotij ministeria in locis profanis celebrauerimus: propterea quod ea res iudiciū habeat cõceptus in celebrare, offen-

P

dicu-

diculum quoque generaret pro varietate affectionum, propter variam multorum in rerum diuinarum scientia infirmitatem. Si verò, ait, quispiam obijciat: Quid igitur est quod Apostolus dixit, Volo viros precari in quouis loco, ob id quòd Dominus ipse potestatem dedit adorandi Deum quouis loco: vbi dixit, Neque Hierosolymis posthac, hoc dicendum est, quòd illud, in omni loco, non comprehendit ea loca quæ humanis visibus rebusque immundis & profanis deputata sunt, sed dilatat ac diducit adorationē ab arcto Hierosolymæ ambitu, in omnem totius orbis locum. Hic ergo iuxta Basilium sensus erit: nisi accipere malimus dixisse Dominum, neque in monte Garizim posthac adorationem fore, quia schismaticum in eo templum erat, neque Hierosolymis, quòd illic umbra esset, re ipsa mox per sui manifestationem succedente fuganda. Vnde euersum paulo post templum illud est, quo vnitatis Ecclesiæ, per orbem terrarum diffundendæ, prænuñciabatur; extra quam nulla fieri adoratio in spiritu & veritate potest. Non ergo Hierosolymæ, inquit, deinceps, quia umbra est, quam oportet euanescere; sed toto orbe terrarum, in vnitatis Ecclesiæ, quam illud typicum templum adumbrabat. Ex quo potest animaduerti, non Catholicos esse, quibus metuendum sit, ne veri non sint adoratores, propterea quòd non in spiritu & veritate adorare videantur: sed hæreticos atque schismaticos, qui, vnitatis Ecclesiæ derelicta, scorsim Dei colendi rationem instituerunt, mentisque errore fingunt sibi per quæ se placere arbitrentur: ad modum videlicet Samaritanorum, qui adorasse dicuntur quod nesciebant. In his enim ita præcussit adumbratio quædam schismaticorum in Ecclesia Christi futurorum; uti Hierosolymitanum templum, in quo solo typica sacrificia offerri fas erat, Christianæ Ecclesiæ præfigurabatur vnitatem; extra quam nullum Dominus sacrificium

etiam odoratur, nullam orationem exaudit propitiis, nullum cultum gratum habet. Eam ob rem Donatistas quosdam, occasione legum imperialium reuertentes ad Catholicam, diuus Augustinus sic loquētes, suumque agnoscentes errorem inducit, epistola quadragésima octaua: Putabamus quidem nihil interesse, vbi fidē Christi teneremus: sed gratias Dño, qui nos à diuisione collegit, & hoc vni Deo cōgruere, ut in vnitatis colatur, ostēdit. Sic illi. Ergo non in vnitatis, sed in falsitate & noxiō errore, ideoque non vera religione adorant, primum qui adorant quæ non debent, ut Gentiles idololatre. Deinde ij qui adorant quidem quem oportet adorari, hoc est, verum Deum, sed eo modo quo se Deus coli non velit, ut Machometistæ & Iudæi, ex eo tempore quo Legem post manifestatum Euangelium, pertinacissimè tenuerunt. Postremò non in veritate adorant, qui etsi verum colant Deum, & ijs ritibus qui non sint improbandi: tamen adorant vbi se Dñs coli non vult; velut Samaritani adorantes in monte Garizim, & nunc schismatici omnes atque hæretici, qui in monte superbiæ suæ constituti, extra vnitatis Ecclesiæ placere se fide sua, & colendi ritu, falso arbitrantur. Quibus omnibus dici illud iure potest: Vos adoratis quod nescitis, quia salus ex vna Dei Ecclesia, tanquã cōmuni omniū matre, existit. Quisquis præter templum Dei orauerit, inquit Augustinus, non exauditur ad illam pacem supernæ Hierusalem, & exauditur ad quædam temporalia, quæ Deus & Paganis donauit. Ille autem in templo Dei orat, qui orat in pace Ecclesiæ, in veritate corporis Christi, quòd constat ex multis credentibus in toto orbe terrarum. Erideo exauditur, quia orat in templo, ipse enim orat in spiritu & veritate, qui orat in pace Ecclesiæ. Hæc ille in Psalmum centesimum & trigésimum.

CAPVT XII.

-Pertineatne ad beneficium Christiane libertatis, vt fideles conscientia, omnium hominum potestate exemptæ sint.

FORTASSE autem his rebus, quæ ex Caluino commemoratae sunt, perire quis possit, terminatum iam esse nouæ huius libertatis modum, nimirum, vt à vinculo & necessitate diuinæ Legis implenda, conscientia sit libera; vt obediat tamen, non quia necesse sit propter præcepti vim, sed quia prompta feratur alacrique voluntate; vt denique liberum rerum aut ceremoniarum vsum, nulla ne Ecclesiæ quidem Lex impediat. At his positis, longius adhuc (quoniam res in procliu erat, toraque iam eò propendebat) suæ libertatis tentoria & fines extendit. [Nam cum hac libertatis prerogatiua (inquit) qualem antea descripsimus, donatae fideles conscientia, id Christi beneficio consecutæ sint, ne vllis observationum laqueis in ijs rebus implicentur, in quibus eas esse liberas Dominus voluit, omnium hominum potestate exemptas esse constituimus. Est enim indignum aut Christo gratiam tantæ suæ libertatis perire, aut conscientia ipsi fructum. Neque res leuicula existimanda nobis est, quam videmus tantæ Christo constituisse, vt pote quam non auro aut argento, sed proprio sanguine aestimauit: vt Paulus non dubitet dicere, irritam fieri eius mortem, si animas nostras hominibus in subiectionem tradimus. Siquidem non aliud agit aliquot capitibus Epistolæ ad Galatas, quam Christum nobis obscurari, vel potius extinguere, nisi in sua libertate stent conscientia nostræ. A qua certè exciderunt, si possunt non in arbitrio, legum ac constitutionum vinculis illaqueari.]

Vt autem clarius esset quid diceret Caluinus, conscientias fideles exemptas esse omni hominum potestate,

posita

1. Pet. 1.

Galat. 5.

posita distinctione duplicis regiminis; alterius spiritualis, quo conscientia spiritualis ad pietatem, & ad cultum Dei instituitur; alterius politici, quo ad humanitatis & ciuitatis officia, quæ inter homines seruanda sunt, homo eruditur: addit in hac questione per se non adeò obscura ac perplexa, plerosque ideo impediri, quod inter externum, vt vocant, & conscientia forum, non satis subtiliter discernunt: ac, ne quid omnino remaneret scrupuli, etiam quid conscientia sit definire non grauatur. [Nam sicuti (inquit) cum mente intelligentiaque homines apprehendunt rerum notitiam, ex eo dicuntur scire, vnde & conscientia nomen ducitur: ita cum sensum habent diuini iudicij quasi sibi adiunctum testem, qui sua peccata eos occultare non sinit, quin ad iudicis tribunal rei pertrahantur, sensus ille vocatur conscientia.] Hinc itaque concludit, Legem obstringere conscientiam, cum simpliciter hominem ligat sine hominum intuitu, vel non habita eorum ratione. Si igitur omni hominum potestate exemptæ fidelium conscientia sunt; sequetur, nec seruum domini, nec filium paternis præceptis simpliciter ligari: hoc est, sic obstringi, vt si non fecerit, aut facere noluerit, etiam si cur nollet, causam legitimam non haberet, peccati reatus, seu Dei offensa, ex eo ipso incurrauit. Quod si ita est, fatendum etiam erit, diuinis ordinationibus ac legibus conscientias non obstringi. Diuina quippe Lex & ordinatio est, vt filij parentibus obediant, vt serui dominis subditi sint, vt populi suis Præfectis subiaceant atque obtemperent. Quæ Dei ordinatio, si conscientiam simpliciter ligat, peccare & offendere Deum necesse est eum, qui suo superiori licita præcipienti recusatur obedire. Si autem in Deum hæc offensa non redundat, neque id ille peccatum in se esse vllum ducit, non ergo ipsa Dei Lex, quæ præcipit obedientiam, conscientiam hominis fidelis obstringit.

Quid hac ratiocinatione lucidius? Deus iussit Superioribus deferre obedientiam, hoc est, quod iusserint implere & exsequi. aut igitur qui non obtemperat, is culpam apud Deum contrahit ac reatum; aut ipsa Dei Lex, quæ mandat obedientiam, non ligat subditi conscientiam. Deinde, si hominum potestates suis legibus non simpliciter homines subditos ligant, sed duntaxat hominum intuitu; quid restat nisi ad oculos seruire, solumque hominibus displicendi metu, ad ea quæ iussa sunt implenda commoveri? Est & hoc etiam atque etiam considerandum, quale sit quod, verbi gratia, infidelis filij conscientia, patris præcepto simpliciter tenebitur, fidelis non tenebitur. Ille enim à libertate Christiana adhuc alienus, quamquam viuat tempore libertatis, hic liber est. Quid ergo est, quod tantum hoc discrimen facit? Mutata non est Dei ordinatio, quæ alios aliis vult esse parentes: non est mutata Lex Dei, quæ postulat in ijs quæ præcipiuntur, honorem & obedientiam: non est etiam mutatum patris præceptum. Mutatus quidem est filius, ex infideli fidelis effectus, sed in eam partem ut æquius iam sit eum imperata facere; tum quia leuius est propter promptiorem voluntatē; tum quia melior est quam fuerit. Denique nihil impossibile prætexi potest; quod sit, cum agitur de impletionem Legis diuinæ. Cur ergo, quæ prius obstricta tenebatur præcepto patris conscientia, postea non teneatur? An quia indignum est, tanta Christi gratia donatam homini conscientiam sic ligari? At quis hoc non videat eò iam tendere, ut indignum sit Christiano ullam superiorem pati potestatem? Quippe indignitatis speciem habiturum est, ita te apud homines gerere, cum sis palam Christianus, quasi ligeris; cum reuera sis priuilegio Christiana libertatis absolutus. Si autem indignum est ligari, ne Christo pereat tanta suæ libertatis gratia, indignum est etiam eius speciem

vlud

vltrò ac voluntariè præ se ferre: cum præsertim dicat Apostolus, ab omni specie mali abstinendum esse. Sed tamen quæ rei indignitas, si is qui plus accepit à Deo gratiæ, plusque ad vitandum peccatum auxiliij, grauioris reatus periculo apud eum teneatur obligatus? Scriptum enim est, cui plus datum sit, ab eo plus etiã exigendum. quod proculdubio nihil est aliud, quam eum in die iudicij grauioribus suppliciis esse multandum, quia minus acceptis gratiæ muneribus responderit. Maior ergo reatus ad pœnam, si fidelis dicto audiens non fuerit, quam si non paruerit infidelis. Et indignum sanè foret, vllam Christo perire suæ libertatis gratiam, quam nobis ipse peperisset. Cæterum quibus Scripturæ locis de hac gratiæ liberalitate doceatur? Citatur à Caluino prioris Petri caput primū; vbi non aliud dicitur, quam non corruptibilibus auro & argento redemptos esse nos de vana conuersatione paterne traditionis, sed pretioso sanguine quali agni immaculati Christi. Vnde si quid effici posset, doceri oportuerat, ad vanam conuersationem pertinere superioribus obediendi necessitatem, nō solum propter homines, sed imprimis propter Dei metum. Quod tantum abest ut sibi Petrus persuaserit, ut eiusdem Epistolæ capite secundo clarissimè præcipiat eiu modi verbis: Subiecti igitur estote omni humanæ creature propter Deum; siue Regi, quasi præcellenti, siue Ducibus, tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, quia sic est (inquit) voluntas Dei, ut beneficientes, obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam: quæ liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ, libertatem, sed sicut serui Dei. Et rursum: Serui (inquit) subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam dycolis. Quid autem est quod ait, propter Dominum subijci oportere, nisi aut quia iu-

ferit Dominus, cum ait: Reddite quae sunt Caesaris, Caesari, aut quia principes ipsi, Domini vices gerunt, eiusque in terris potestate funguntur? quorum vtrumque efficit, subdito, propter suam conscientiam, superioribus parendum esse. Si enim Deus iussit, peccatum ergo est non facere quod illis fieri mandauerit. Si etiam illi Dei vices gerunt in terris, eiusque, sicut Apostolus docet, ministri sunt: necesse est Domini voluntatem offendere in eo; quod Vicarij eius legitima scita violantur. Eodemque pertinet quod Petrus addit: Haec enim est voluntas Dei. Quia hoc (inquit) vobis praecipit Deus, scilicet Principibus subijci. Ex quo intelligitur, violationem latam a Principe legis, cum divinae voluntatis offensione esse coniunctam. Tametsi Calvinus hoc ipsum quod dicitur de voluntate, cum consequentibus cohaerere insinuet: ut significatum sit, voluntatem Dei esse, non simpliciter subijci Superioribus, sed parendo id agere, ut increduli, qui obloqui volunt, obmutescere cogantur. Nimirum, quia voluit vllum esse peccatum, non subijci, seposito ad homines respectu. Denique suam mentem planius aperiens, [Tenemus, inquit, nunc Petri consilium: nempe quod necessarius de causis Iudaeos hortatus fuerit, ad colendum politicam ordinem.] Summa, huc tendit commentarius eius, ne conscientiae subditorum obnoxiae credantur Superiorum decretis, idque propter Christianam libertatem, de qua tamen libertate, si seipsum audiret in eodem commentario disserenti, animaduertere posset, eiusmodi obligationem nihil aduersari libertati per Christum datam. [Haec (inquit) vera est libertas, quae nemini damnosa est vel noxia, ut hoc confirmet, eos pronunciat liberos, qui Deo seruiunt. Unde colligere promptum est, hunc esse finem nostrae libertatis, ut propiores & expeditiores simus ad obsequium Dei. Neque enim aliud est, quam manumissio a peccato, atqui

peccato

peccato dominium tollitur, ut se in subiectionem iustitiae, homines addicant. In summa, inquit, est libera seruitus, & serua libertas.] Si ergo nihil est aliud, Calvine, libertas, nisi manumissio a peccato: cur bonis legibus conscientiae teneri non possunt, nisi libertas ipsa laedatur? An forte peccatum est ipsa parendi propter Deum necessitas? aut si dici hoc nisi intulse non poterit, numquid ipsa talis obligatio conscientiam ad peccatum illaqueat? sed quonam modo: cum vehementius solidiusque constringat ad id quod iustum est, videlicet, ut Superioribus obediatur? Iustitiae quippe pars est, suis obtemperare Praefectis, ordinemque bene ac necessario diuinitus constitutum colere atque obseruare. Non solum ergo Christianae libertati contraria non est obligatio conscientiae, a Superiorum effecta legibus: verum etiam Christianam promouet libertatem, per quam dominio peccati depulso, homines se in iustitiae subiectionem addicunt. Nec ideo libertas non est, quia sit legibus bonis atque iustitiae seruiendum: cum simul hic sit & libertas serua, & seruitus libera. Serua quidem libertas, quia teneatur obedire: libera vero seruitus, quia, quod facere debere se intelligit, non seruili more atque ingenio facit, ob poenarum metum; sed ingenua prorsus voluntate, & virtutis amore. sed modo quid habeat Epistola ad Galatas, videamus: [Siquidem, ait Calvinus, non aliud Paulus agit aliquot eius Epistolae capitibus, quam Christum nobis obscurari, vel potius extinguere, nisi in sua libertate stent conscientiae nostrae.] Et capite quidem secundo scribit Apostolus, nec Titum, qui cum ipso erat, cum esset Gentilis, compulsus esse circumcidi, propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierant explorare (inquit) libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu, ut nos in seruitutem redigerent, quibus neque ad horam cessimus subiectioni,

vt veritas Euangelij permaneat apud vos. Hæc igitur eo loco Paulus, libertatis Euangelicæ perstudiosum se fuisse demonstrans: quæ si infringeretur, veritas Euangelij apud fideles constare non poterat. Sed quænam illa erat libertas? An fortè ne serui dominis, ne subditi principibus, ne parentibus filij, ne maritis vxores parere cogerentur? Non hoc Paulus dicit, sed ne insinuat quidem: quia nec ad rem omnino institutum ve pertinebat, verùm ne Titus (inquit) qui Gentilis esset, circumcidi compelleretur, tanquam esset Lex illa vetus ad iustitiam necessaria, sine qua ne Gentiles quidem homines suæ salutis consulere. Quæ res miserabilem inducebat seruitutē, gratiæ Christi, qua liberamur à peccatis, vereque iustificamur, inimicam. Cur enim necessaria erat vmbra, cuius veritas, quæ prænunciabatur, illuxisset? quæ signi necessitas, cum res significata aduenisset? Sed illi, contra quos Pauli zelus vigilabat, signa pro rebus suæ superstitionis errore amplecti, atque, vt significatum est capite quarto, infirmis & egenis elementis miseris conscientias seruire cogebant. His vt resistat, totus in id incumbit Apostolus, vt doceat generatim ex Lege veteri non esse iustitiam, neque ex Legis eius operibus, sed ex fide in Christam: per quem & ante Legem in monte Sina datam, promissa sit benedictio omnium gentium. ideoque qui in Christum credant, eiusque in nomine baptizentur, sine discrimine gentis, sexus, conditionis, hos demum esse iustos, filios, vereque liberos. Quid autem hæc pertinent ad resoluenda bonarum, temporique conuenientium legum vincula, ne subditorum conscientias teneant obligatas? An fortè capite quarto, cum ait, Dicite mihi qui sub lege vultis esse; Legem omnem omnino significat, sub qua illi esse censentur, quorum ab ea vincula conscientiæ teneantur. Sed neque de omni superiorum lege ha-

beri

beri sermonem, nimis euidenter ea quæ sequuntur ostendunt: neque sub Lege esse, est obligari conscientiam ad obseruationem Legis. Namque ad ceremoniarum obseruationem, veteres illi sancti se quoque ipsos, vt par erat, habebant obstrictos: nec tamen illi serui erant sub Lege, sed propter fidem in Christum venturum, liberi sub gratia. Sub Lege est, qui iustitiæ spem in Lege, non in Christo ponit; quem propterea necesse est à lege premi, non subleuari; damnari, non iustificari; in seruitute peccati remanere, non ad libertatem exsurgere. Itaque cum essent in duabus Abrahæ vxoribus duo Testamenta adumbrata, Vetus & Nouum; illud quidem in seruitutem generabat; hoc in libertatem, quia seruos faciebat pædagogicæ legalis timor & cupiditas: quam premere quidem ille, non sanare potuerat: cum charitas, quæ plenitudo Legis Noui Testamenti proprius effectus est, liberos reddat. Denique non sumus (inquit Apostolus) ancillæ filij, id est, filij veteris Testamenti, timore dumtaxat serui, & cupiditate carnali mandata facientes, ideoque falsa coram hominibus iustitiæ specie, non coram Deo ipsa obedientiæ veritate; sed filij sumus liberæ, hoc est, noui Testamenti, ex spiritu dilectionis veraciter & coram Deo Legem implentes. Qua libertate, inquit, Christus nos liberauit. In hac ergo libertate stare vult conscientias, cum postea subdit: State, & nolite iterum iugo seruitutis contineri: à qua libertate non solum non exciderunt, si possunt pro Reipublicæ utilitatibus, prudenti hominum arbitrio, legum ac constitutionum vinculis alligari: verùm etiam in ea magis magisque, deferendæ legibus obedientiæ studio, confirmantur atque accenduntur. Non enim charitas est quæ nititur in vetitum, sed cupiditas; quæ legis occasione magis inardescit, tandemque interdum in ipsam vehementius qua cohibetur partem

incum-

incumbens, maiore præuaricationis cumulo præcipitata ruit. Charitas verò, & quod aliàs factura non erat, Lege admonita, id lubens atque alacris peragitur, & quod factura etiam nulla lege præscribente fuerat, id multo studiosius, spectata obediendi necessitate, implere conatur. Nec Lege teneri conscientiam contra libertatem est, qua nos Christus liberavit; sed ab inuito tristicique fieri, quod magna obediendi promptitudine oportuit adimpleri. Nec finis Legis Christus, ut Christiani facti, Lege non teneamur: Sed dictus est, inquit Augustinus, finis Legis, quia sine illo nemo perficit Legem. Alius enim est finis qui consumit, alius qui perficit. Sed hætenus aduersus tres illas à Caluino positas Christianæ libertatis partes differuisse sufficiat.

In Psal. 54.
sepeque alias.

DE

DE CHRISTIANA LIBERTATE LIBER DVODECIMVS.

PROOEMIUM.



VERVNT atque exoptant, hæc ætate, multi religionis libertatem: eamque vel impetrare, supplicando; vel obtinere, fallendo; vel etiam cogendo extorquere nituntur. Quibus alij respondent, nullam religionis, in Republica bene instituta, libertatem esse cõuenire. quih potius, quod libertatẽ vocent, nihil id esse aliud, quam impiẽ & perditẽ, cum sentiendi & loquendi, tũ etiam agendi viuendique licentiam. Ac rectẽ id quidem illi, verissimeque respondent: quoniam ad id quod intelligunt isti eo nomine libertatis, atque ad rem ipsam quam flagitant, prudenter attendunt. Alioqui & sermo ipse & sensus, quo libertas religionis seu libertas Catholica dicatur, apud Tertullianum, & Hilarium, & Opratum, & Leonem Pontificem, aliosque subinde reperitur auctores, & reuera existit probanda aliqua atque optabilis religionis libertas, quando rectẽ accipitur. Quæ, cum in primis ad libertatem pertineat Christianam, ne turberetur atque auferatur factio- rorum conatibus, id omni cura prouidentiaque cauendum est. Sed de ea quid sit, primò vidẽ bimus: deinde, quid hoc nomine intelligant hodie non pauci, quibusque id nitatur fundamentis, & an sit petentibus annuendum, passimque in Republica Christiana

Apolog. 29.
Ad Constant.
Imper.
Lib. 1. contra
Per. Epist. 26.
ad P. Christiani
Augustam.

conce-

606 DE CHRISTIANA LIBERTATE
concedendum. Postremò, argumenta complura, quæ
falsæ libertatis patroni studiosissimè coaceruant,
quanta poterimus perspicuitate dissoluemus.

CAPVT I.

Nullam esse sine veritate religionis libertatem.

CVM igitur verissimè scriptum sit, quod ex ipso
veritatis fonte manauit, eum qui peccatum fa-
ciat, seruum esse peccati: dubium relinqui non potest,
quin misera quædam seruitus sit, ignorantio veritatis.
Nisi enim & ignorantia peccatum esset, non diceretur
per Prophetam: Effunde iram tuam in gentes quæ te
non nouerunt, & in regna quæ nomen tuum non in-
uocauerunt. Non idem etiam ad eum modum preca-
retur: Delicta iuuentutis meæ & ignorantias meas ne
memineris. Propterea quoque beatus Gentium Apo-
stolus pronunciat, eos qui sine lege peccauerunt, sine
lege perituros: quod eos excusare non posset legis
ignoratio, quæ in eis qui intelligere noluerunt, quem-
admodum ait diuus Augustinus, sine dubitatione pec-
catum est. Peccatum ergo, cum sit veritatis ignorantia,
statuendum est, non modò propter concupiscentiæ
regnum, quempiam seruum esse peccati, verum etiam
propterea quod ignarus salutiferæ veritatis, noxijs er-
roribus, voluntarius tan. en ac lubens, implicatur, qui-
bus velut cathenis à diabolo captiuus tenetur, ad ipsi
voluntatem. Idcirco enim doctrinæ demoniorum à
Paulo vocantur, quod & ab illis tradatur auctoribus,
& per eas infelices hominum animos sibi subiugent,
planeque in suam redigant seruitutem. sublata quip-
pe veri notitia, tanquam extinctis luminibus, & ocu-
lis erutis, regit hominem diabolus, tenebrarum pro-
pterea princeps appellatus, quoque libuerit, impellit,
sibi que penitus seruire cogit. Quod in ipsa quidem
fuit

Psal. 78.

Rom. 2.

In Psal. 32.
Conscience si-
cunda.

LIBER DVODECIMVS. 607
fuit Gentilitate clarissimum: vbi et si multis homini-
bus inerat amor veri, incertarum tamen opinionum
varietas, fallentium dæmonum decipiebatur astutia:
& falsi nominis scientia in diuersas compugnantesque
sententias, humana ignorantia trahebatur, quo ludi-
brio (inquit sanctissimus Leo) captiuæ hominū men-
tes, superbienti diabolo seruebant. Iam si ad seruitu-
tem peccati pertinet veritatis ignorantio, tantum quis-
que liber efficitur, quātum & nosse cœperit salubrem
veritatem & amare. Sed hæc iis potest libertas contingere,
quos Filius liberauerit. De quo nō solam propter
cupiditatis vincula, verum etiam propter ignorantie
tetrum carcerem & captiuitatem, postis insolubilem
viribus, dictum est in Euangelio: Si vos Filius libera-
uerit, tunc verè liberi eritis. Vnde etiam ait idem ipse
Filius, nostræ princeps libertatis: Et veritas liberabit
vos, id est, liberòs faciet: Græcè enim est ελευθερωσει; ut
intelligeremus, nullam artem, nullam professionem
esse, quæ quicquam habeat congruum libertati, nisi
quod habet congruum veritati, quemadmodum diuus
Augustinus scriptum reliquit: Epistola centesima tri-
gesima prima. Non ergo (inquit eodem loco) illæ in-
numerabiles & impia fabulæ, quibus vanorum plena
sunt carmina Poëtarum, vllò modo nostræ consonant
libertati: non Oratorum inflata & expolita mendaciæ:
non denique ipsorum Philosophorum garrulæ argu-
tiæ, qui vel Deum prorsus ignorauerunt, vel, cum eum
cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, aut gra-
tias egerunt, sed euauerunt in cogitationibus suis: &
obscuratum est, insipiens cor eorum: dicentesque se
esse sapientes, stulti facti sunt: & mutauerunt gloriam
incorrupti Dei in similitudinem imaginis corrupti-
bilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ser-
pentum, vel quicquid simularum non dediti, aut non
nimis dediti, coluerunt tamen & seruierunt creaturæ
potius

Serm. 3. de
Nat. Domini.

Ioann. 8.

potius quam Creatori. Sic Augustinus. Ex quo intel-
ligere licet, nullam esse religionis libertatem, sed infel-
licissimam potius nocentissimamque erroris seruitu-
tem, cum neque agnito neque glorificato Deo, crea-
turæ potius seruitur quam Creatori. Vidit hoc & Se-
neca Philosophus, quamquam non eò usque, vt se-
ipsum seruiture posse eximere. Vidit tamen, rectissi-
meque iudicauit, nullam artem aut professionem de-
bere dici liberam siue liberalem, quæ non à vitiis ho-
minem exueret: cumque in eo argumento grauiter
fuisset copioseque versatus, tandem his concludit ver-
bis: Solæ, inquit, liberales sunt, imò, vt dicam verius,
libera, quibus etæ virtus est.

CAPVT II.

*Nec hereses aut schismata posse de sua religionis
libertate gloriari.*

EORVM proinde qui sub nomine Christiano fal-
sa & commentitia dogmata spargunt in vulgus,
doctrina atque professio possit aliquibus forsitan vi-
deri libera atque liberalis. Virtutem enim ornant ser-
monibus, eamque sibi magnæ curæ esse demonstrant,
fidem extollunt præconijs singularibus; tanquam ve-
ræ exordium libertatis; remissionem peccatorum an-
nunciant; de iustitia, de gratia, de verâ cum Deo pace,
de æterna libertate securitatem conscientis, intrepidi
sermoneinationibus, pollicentur. Num igitur apud
hos veram religionis libertatem quærendam esse cen-
sebitur? Ita planè, si vel in facti specie fallaci, vel
in solo splendore verborum virtutem iudicabimus, aut
libertatem sitam esse: neque attenderimus quod bea-
tus Petrus de quibusdam sui temporis professoribus
loquitur; qui velamen haberent malitiæ libertatem.

2. Pet. 1. Quos etiâ pluribus depingens, ait, hi sunt fontes sine

aqua,

aqua, & nebula turbiniibus exagitata: superba enim
vanitatis loquentes, pellicunt in desiderijs carnis lu-
xuriæ eos qui paululum effugerunt, in errore conuer-
sati: libertatem illis promittentes, cum ipsi serui sint
corruptionis. à quo enim quis deuictus est, huic &
seruus addictus est. Sunt igitur qui libertatem prædi-
cant verbis; sed veram interim docent, suisque propi-
nant auditoribus seruitutem: quodque ipsi sunt, hoc
alios esse volunt. ac ne fortè displiceat & offendat vilis
& abiecta in vera corruptionis seruitute conditio: ve-
lamen obtendunt malitiæ, libertatem. Ex hoc erant
genere atque ordine professorum, illi qui etiam Apo-
stolorum temporibus, prætextu libertatis Christianæ,
bona opera negarent ad salutem consequendam esse
necessaria: solamque sufficere fidem ijs qui baptizati
in Christo essent, ad æternum gehennæ supplicium
euadendum, persuadere conarentur. Auctor etiam est
Epiphanius, Gnosticos & Valentini sectatores docuif-
se, liberum esse, quiduis, quantumlibet turpe id esset ac
impurum, agere; eorum inodò suscepta doctrina esset;
atque eiusmodi libertate regnum cælorum acquiri.
Aërium leges Ecclesiæ sub libertatis titulo soluere
docuisse, testes ij sunt scriptores, qui ipsum propterea
in hereticorum catalogum relatum esse, memoriæ pro-
diderunt. Illi quoque postea Beuginos & Begar-
dos maiores nostri vocauerunt, hoc assererebant, hoc tra-
debant: homines in hac vita perfectos, & spiritu præ-
ditos libertatis, non esse humanæ obnoxios legi, neq.
ad vllius iam aut sacramenti susceptionem, aut Eccle-
siastici præcepti obseruationem, obligari. Quid hoc
tempore? nonne reperiuntur, qui etsi opera requirant
verbo; tamen prædicent, hominem à Legis Decalogi
vinculo & obseruatione liberatum, nec teneri ad ob-
seruantiam Dei mandatorum aut Ecclesiæ; sed solam
ab Euangelio requiri fidem, legem autem obseruatu

q

impos-

impossibile esse, neque in eius obseruatione sitam. aut iustitiæ rationem, aut salutis adipiscendæ spem, cum omnia, quæ etiam iustificati faciamus, verè & coram Deo sint peccata, sed nihilominus propter fidem solam, & gratuitam Dei propter Christum acceptationem, securos esse nos oportere, id quæ totum prætextu Christianæ libertatis? Apud hos igitur qui solo nomine libertatis abutentes, tantorum errorum tam perniciosam pestilentemque doctrinam suis proponunt hominibus, quæ possit libertas religionis inueniri? Denique de Ecclesia dicit Apostolus: Quæ tursum est Hierusalem, libera est: quæ est mater nostra. Vnde colligitur, nisi qui matris huius filij sunt, liberos esse nullos omnino posse. Qui igitur ab hac libera matre quos possunt suis prædicationibus abstrahunt & abducunt, ideoque in miserandam seruitutem præcipitant (quam incurrere necesse est eos qui liberam matrem, & ideo libertatis patrem habere deserunt) quam possunt suæ religionis habere vel tradere libertatem? neque enim ibi religionis libertas est, vbi non est veritas; cum scriptum sit: Et veritas liberabit vos. Non potest ea libera esse vel dici religio quæ seruos efficit: propterea quod eos à matre libera, hoc est, Ecclesia, eoque ipso & à Patre Deo, cuius soli filij liberi sunt, noxijs erroribus alienat.

CAPVT III.

Quid sit ea qua veraciter dici possit libertas religionis.

SICVT igitur miserabilis seruitus est, falsis dijs se subijcere, aut in veri Dei cultu, noxijs errore, falsaque pietatis specie duci: ita vera est religionis libertas, impediente quoad eius fieri possit nemine, colere verum Deum in spiritu & veritate, & familiam in qua sit colendus agnoscere & sequi. vt enim vera iustitiæ liber-

libertas est cum voluptate bene viuere, & hilariter viam currere diuinorum mandatorum: ita vera religionis seu pietatis libertas est, vni omnium Domino pura fide & spiritali delectatione atque alacritate seruire. Vbi enim Spiritus Domini, inquit Apostolus, hoc est, vbi sanctus & diuinus ille Spiritus hominem propitius vegetat, regit, agit, illuminat: ibi ante omnia veræ pietatis libertas, sine qua iustitiæ veritas constare non potest. Est enim in ipso iustitiæ (quæ virtutes cõplectitur omnes) quasi corpore quodam sincera pietas atque religio caput: vt quomodo ex capitis influxu membra cætera vegetantur, ita à pietate quasi formam suam & vitam accipiant virtutes reliquæ, dum videlicet ea quæ officij ratione bona honestaque sunt, ad honorem Dei & gloriam refert, eique seruire facit. Ideo ergo Genti- bus ante fidei susceptum lumen, iustitia veræque defuere virtutes: quia pietate & religione vera destitutæ, præclaris alioqui suis operibus non vni verò Deo, à quo sunt omnia; sed vel falsis & commentitijs dijs, vel gloriæ, vel voluptati, vel alteri cuiquam vanitati seruebant, præclareque Lactantius talium hominum iustitiam similem esse dixit humano corpori caput nõ habenti: in quo tamen membra omnia & locis suis constant & figura & habitudine, tamen quoniam deest id quod est omnium principale, & vita & omni sensu caret. Itaque membra illa, formam tantummodo membrorum habent, vsum non habent. Sic ille librorum de vero cultu, capite nono. Cum igitur ad iustitiæ constituendam rationem, ita sit pietas & religio necessaria; profectò iustitiæ libertas, quam spiritus inhabitans efficit, ipsius ante omnia religionis requirit libertatè, hoc est, veritatem ac sinceritatem. Tollitur autem colendi veritas atque sinceritas, si vel colatur is qui coli non debet: vel si qui colendus est, verus Deus, non eo colatur modo quo ipsum deceat coli. Prius illud co-

612 DE CHRISTIANA LIBERTATE
lendi vitium, in Gentilibus palpabile fuit. posterius, quamuis tolerabilius multo, in carnali Iudæorum populo viguit: qui, tametsi verum colebat Deum, & ideo libero ea ex parte cultu utebatur; hoc tamen errore à vera religionis libertate deficiebat, quòd non intellecta significatione, & vero rerum corporearum vsu, quæ ex Domini præscripto ad colendum adhibebantur, his sese rebus propter ipsas placere Deo, perq. eas solas sanctificari & expiari credebat: quasi videlicet oblectare Deum potuisset hircorum sanguis, aut adipis nidor; gratiusque per seipsum fuisset illi mactatū exhibere vitulum, quàm excerebratum canem. Eam igitur ob rem, tanquam paruuli, sub elementis mundi huius, à Paulo seruuisse dicuntur. non quòd illas rerum corporearum ceremonias exercebant, aut exercere Legis obligatione tenerentur: eundem enim exercebant cultum ij quoque, quos habebat tempus illud spirituales & iustos: qui non paruuli imbecillitate & errore mentis, sed viri erant robore fidei: nec serui per spiritum timoris, sed filij per spiritum adoptionis, in quo clamabant Abba Pater. Cùm igitur & colendi modus, & ad ipsum modum orta ex præcepto Dei obligatio atque necessitas, spiritualibus & carnalibus illius temporis hominibus esset ex æquo communis: hoc discrimen faciebat, quòd hi sub elementis seruirent, cultumque seruilem Domino exhiberent: illi verò sub iisdem elementis non seruirent, sed vterentur vt liberi, veraque & libera pietate, quamuis per res corporeas, Domino deseruirent. Seruiebant autem illi propterea sub elementis mundi huius, quòd & nescirent, quid per ea quæ gerebant significaretur: (Seruus enim nescit quid faciat dominus eius) & eo errore ducti, vt existimarent illas res corporeas per seipsas placere Deo, & sanctificandi vel polluendi vim habere, vilius & imbecillibus reuera per seipsas rebus, nobiliores

liores animos suos turpiter subijcerent. Sub signo enim seruit (inquit Augustinus) qui operatur aut veneratur aliquam rem significantem, nesciens quid significet. Qui verò aut operatur aut veneratur vtile signum diuinitus institutum, cuius vim significationemque intelligit, non hoc veneratur quod videtur, & transit; sed illud potiùs, quòd talia cuncta referenda sunt. Talis autem homo, spiritualis & liber est, etiam tempore seruitutis, quo carnalibus animis nondum oportet signa illa reuelari, quorū iugo edomandi sunt. Tales autē spirituales erant Patriarchæ & Prophetæ, omnesque in populo Israël: per quos nobis Spiritus sanctus scripturarum & auxilia & solatia ministravit. hoc verò tempore posteaquam resurrectione Domini nostri Iesu Christi, manifestissimum indicium nostræ libertatis illuxit, nec eorum quidem signorum quæ iam intelligimus, operatione graui onerati sumus: sed quædam pauca pro multis, eademque factu facillima, & intellectu augustissima, & obseruatione castissima, ipse Dominus, & Apostolica nobis tradidit disciplina: sicut est Baptismi sacramentum, & celebratio corporis & sanguinis Domini: quæ vnusquisque cùm percipit, quòd referantur imbutus agnoscit: vt ea non carnali seruitute, sed spirituali potiùs libertate veneretur. Ea igitur demū est (vt idem ait) miserabilis animæ seruitus, signa pro rebus accipere, & supra creaturam corpoream, oculum mentis, ad hauriendum æternum lumen, leuare non posse. Quæ tamen (sicuti subiungit) seruitus in Iudæo populo longè à ceterarū gentium more distabat. quandoquidem rebus temporalibus ita subiugati erant, vt vnus eis in omnibus commendaretur Deus. Et quamquam signa rerum spiritualium pro ipsis rebus obseruarent, nescientes quòd referrentur: id tamen insitum habebant, quòd tali seruitute vni omnium, quem non videbant, placere

Lib. 3. de doct. Christiana.

Lib. 3. de doct. Christi, cap. 5. & cap. 6. & 9.

Galat. 3.

cerent Deo. Quam custodiam tanquam sub pædago-
 go paruulorum fuisse scribit Apostolus. Et ideo qui
 talibus signis pertinaciter inheerunt, contemnentem
 ista Dominum, cum iam tempus reuelationis eorum
 venisset, ferre non potuerunt: atque inde calumnias,
 quod Sabbatho curaret, moliti sunt principes eorum,
 populusque signis illis, tanquam rebus adstrictus, non
 credebat Deum esse, vel à Deo venisse, qui ea, sicut à
 Iudæis obseruabantur, nollet attendere. Sed qui cre-
 diderunt, ex quibus facta est prima Ecclesia Hieroso-
 lymitana, satis ostenderunt quanta utilitas fuerit eo
 modo sub pædago custodiri: ut signa, quæ tempo-
 raliter imposta erant seruientibus, ad vnus Dei cul-
 tum, qui fecit cælum & terram, opinionem obseruan-
 tium religarent. Namque illi, quia spiritualibus pro-
 ximi fuerunt; in ipsis enim temporalibus & carnali-
 bus vocibus atque signis, quamuis, quomodo spiritua-
 liter essent intelligenda, nescirent, quia vnum tamen
 didicerant venerari æternum Deum, tam capaces ex-
 stiterunt Spiritus sancti, ut omnia sua venderent, eo-
 rumque pretium indigentibus distribuendum ante
 Apostolorum pedes ponerent, seque totos dedicarēt
 Deo, tanquam templum nouum: cuius terrenæ ima-
 gini, hoc est, templo veteri, seruebant. Non enim hoc
 vllas ecclesias Gentium fecisse, scriptum est: quia non
 tam propè inuenti erant, qui simulachra manufacta
 deos habebāt. His omnibus docet beatus Augustinus,
 vtilem quidem fuisse illum ipsum carnalis populi cul-
 tum, neque Gentilium impiis religionibus fuisse
 comparandum: sed neque ipsos tamen carnales verā
 habuisse religionis libertatem, quod in eo colendo,
 quem merito cæteris omnibus anteponebant, errore
 non carerent. Per quem non attendentes ad ea quæ
 significabantur, hoc est, ad sacrificium & sanguinem
 venturi mediatoris, cuius erant vmbra quædam illa
 omnia

omnia sacrificia, & vnde omnis omni tempore exspe-
 ctanda fuit sanctificatio; signa ipsa pro rebus ample-
 ctentur, quasi ratione sui, non ratione eius quod si-
 gnificabatur, vim expiandi peccata habuissent. Id
 quod eis tanquam ridiculum obijcitur per Hieremiā
 Prophetam his verbis, Quid est quod dilectus meus
 in domo mea fecit scelera multa? nunquid carnes sanctæ
 auferent à te malitias tuas, in quibus gloriata es?
 Vt autem ea quæ Deo oblata fuerant, per seipsa san-
 ctificare credebant, sine aliqua mediatoris fide: ita è
 diuerso, quæ fuerant idolis immolata, tanquam in se-
 ipsis immunda, polluere contingentes arbitrabantur,
 animo licet impium cultum auerfante. quod non ita
 esse, qui fide & scientia Christiana imbuti, didicerant:
 eo ipso verè liberi erant, ab illo videlicet Iudaicæ ser-
 uitudinis errore liberati. De qua libertate beatus Apo-
 stolus in epistola priore ad Corinthios dicit: Si quis
 dixerit, Hoc immolatum est idolis, nolite manducare,
 propter illum qui indicauit, & propter conscientiam,
 conscientiam autem dico non tuam, sed alterius. Vt
 quid enim libertas mea indicatur ab alia, siue, ut qui-
 dam legunt, ab aliena, & infideli conscientia? si ego cum
 gratia participo, quid blasphemor pro eo quod gratias
 ago: Libertatē hoc loco vocat Apostolus, quia ab errore
 illo Iudaico & superstitione liberatus, pulchrè intelli-
 gebat, non propterea cibum quem Deus creauit, im-
 mundum esse, aut polluendi vim habere, quod idolo
 fuerat immolatus; cum nihil sit idolum: & idcirco li-
 cere sibi eo vesci cum actione gratiarum. Verum ta-
 tamen adiungit eam libertatem non omni loco opere
 ipso fuisse præferendam, propter offendiculum infir-
 morum, qui nondum satis instructi facillè iudicassent,
 hoc est, condemnassent, veram alioqui in religionis
 causa libertatem. quam ut explorarent, atque explora-
 tam traducerent, & eos qui ea per Christianismum

Cap. vi.

1. Cor. 10.

Lib. de singul.
cler.

iam fruebantur, in seruitutem redigerent: quosdam subintroisse falsos fratres, alio in loco beatus Apostolus conquestus est.

Cap. 2. ad Ga.
lati.

CAPVT IIII.

Qua impedimenta liberae religionis.

1. Cor. 9. & 10.

Rom. 14.

VNDE intelligimus, libertatem religionis tamen si veram, impediri tamen in hac vita interdū, quo minū ipsa libertas, vt sic dicam, omnino libera sit, quæ se opere manifesto proferre non possit. idque aliquando, quia non expediat eam coram quibuslibet opere demonstrari. quod locum peculiariter habuit Apostolorum temporibus inter Iudæos, propter consuetudinē implendæ Legis seruilem atque carnalem, qua adhuc tenebantur. Nam & propterea dicebat Apostolus, omnia licere sibi, quia liber erat: sed non omnia expedire, quia infirmorū offendicula studiosè declinabat. Propterea & illud aiebat, quod suprà memorauimus: Vt quid libertas mea iudicatur ab alia conscientia? Et in Epistola item ad Romanos: Vt non blasphemetur bonum nostrum. & Tu fidem habes? penes temetipsum habe, coram Deo. Hoc verò tēpore in ijs quæ sunt religionis obseruandis, non infirmorum offendicula metuenda sunt; sed malitiosorum contemnendæ blasphemix. Quæ enim rebus tam definitis, tam manifestatis atque inculcatis, prætexi infirmitas possit? Hic proinde locum illud iam habet: Sinite, cæci sunt, & duces cæcorum. Aliàs verò hand rarò vis inimica veritati prohibet ne aperire sese libera pietas liberè possit. habet enim religionis studium, rantisper dum vitæ mortalis cursus agitur, obnitentes sibi varias aduersitates, ab impiis hominibus excitas: quibus nihil est prius, quàm vt veram religionem persequantur ac pessudent. Sed Christi beneficio dabi-

dabitur aliquando libertas ea, qua, remotis & propriæ & alienæ infirmitatis aut malitiæ impedimentis, cum summa voluntate, maxima etiam coniuncta sit Deum colendi facilitas. Summa quippe in regno Dei sicut iustitiæ perfectio, ita religionis pietatisque libertas est: quia nudæ & apertæ per omnia veritatis suauissima & tranquillissima contempiatio. Hic interim in vera religione sectanda, ea libertas est per Christum, vt nulli cedatur aduersitati, quæ illā nobis extorqueat. Cuiusmodi fuisse libertatem fortissimi pectoris in sancta virgine Pelagia, diuus Ambrosius ostendit epistola septima libri secundi; vbi illam sic loquentem facit inter suos persecutores: Pelagia Christum sequetur: libertatem nemo auferet: nemo captiuam videbit liberam fidem. quod seruum est, hîc manebit, nullos in vsus debitum. Magna, inquit Ambrosius, piæ virginittatis libertas, quæ septa agminibus persecutorum, inter maxima pericula virginittatis & vitæ inclinata non est. Sic ille. Sed quamuis nullo metu, nulla vi persecutionum possit effici, quin libero iudicio, si quis velit, eam religionem quam putet esse verissimam, complectatur atque retineat: tamen detestanda semper eorum nequitia est, qui, quantum in ipsis est situm, id agunt, vt veram religionem extinguant ex hominum animis. hîque procul dubio censendi sunt, Christiana libertate profligata, funestum seruitutis genus velle inuehere. At ij qui legitime potestatis seueritate adhibita, ab erroribus mortiferis reuocare nituntur, hi planè subseruiunt ad veram in religione libertatem: quæ sicut noxiis erroribus eripitur, ita restituitur salutaris doctrinæ reddita veritate.

CAPVT V.

Quam seclarij libertatem intelligant, cum libertatem religionis petunt: & quam malè hoc vocent religionis libertatem.

POSTEA QVAM igitur explicatum, quid sit vera religionis libertas: nunc demonstrandum est, quid aduersarij quidam sibi velint, cum religionis experit ac prædicant libertatem. Hæc nimirum illis est libertas religionis, cum liberè quisque, hoc est, impunè, quidquid libuerit, de religione & sentit & prædicat: siue cum pro arbitrio quisque suo, sub titulo tamen ac professione Christiani nominis, componit aut sequitur Dei colendi rationem. Legi qui diceret, etiam si in aliqua republica tot sententiæ de religione forent, quot capita, etsi aliquos verè hæreticos esse constaret, exterminari tamè nõ debere propter libertatè, sed suis iudiciis atq. conscientijs, nulla eis propterea illata molestia, relinquendos. Itaque cum diuersissimæ ac mirè inter se repugnantes passim audiuntur de dogmate fidei sententiæ: cum varij conspiciuntur ritus, ceremoniæ, leges, conuenticula: cum & in ciuitatibus & familiaribus propè singulis, non solum aliud ab alio dicitur, sed aliud atque aliud in his quæ religionis existimantur esse, aut alijs atque alijs temporibus & locis & modis agitur: hoc est, cum nullus ordo, nulla concordia, nulla conformitas, sed confusa, permixta, perturbataque sunt omnia, atque id quidem in maximi momenti rebus, nemine profus agnito in terris superiore, qui regat, moderetur, præscribat, conciliet: hanc religionis libertatem appellant. Quomodo videlicet Romana quondam ciuitas, cum omnium gētium seruiret erroribus, magnam sibi, inquit Leo, videbatur assumpsisse religionem; quia nullam respuebat falsitatem. Atqui perfecta consummataque, vt arbitror, in regno illo beato

beato religionis libertas est: vbi tamen vnum idemque sentiunt ac sequuntur omnes, vbi absolutissima in agnitione veri conformitas, summaque per omnia consensus. Quare si rei cuiuspiam initia & inchoationes, ipsius debent perfectioni respondere, quo possit ab ipsis initijs res paulatim augeri, & aucta perfici atque consummari: perfectò libertas hæc religionis, quæ volunt, beatæ illius initium & inchoatio esse non potest, ideoque nec profus libertas religionis esse. Non enim summa consensus discordiam, non perfecta vnitas separationem, non maxima similitudo discrepantiam perficere atque absoluere potest, sed euertere & abolere penitus debet. Sunt ergo isti malorū artificum, vt figulorum, aut sutorum, vel factorū imperitorum, similes; qui sic inchoant, vt perfici quod cæptum est, non possit: ideoque destrui oporteat. Dixeris libertatem in cælo religionis esse, quia illic quisque sentiat vt vult, impediētè ac perturbante nemine. hoc enim beatitudinis postulare rationem, vt quis viuat vt velit: & ideo si in terris quoque permittatur quisque viuere ac sentire vt velit, tum demum fore eam libertatem, quæ sit perfectæ & cælestis illius libertatis inchoatio. Quisquis hoc dicis, cogitare debueras, quam obrem in cælo beati viuant vt velint; quodque velint, sentiant & faciant, eaque ratione verè & perfectè sint liberi. quænam ergo eius rei est ratio? Nonne propterea viuunt vt velint, quia nihil malè velle possunt, nihil prauè sentire, nihil alienum à vero, nihil omnino quod non hauriāt immediatè ex ipso limpido & vberissimo fonte veritatis? Talibus ergo liberum esse oportuit, quidquid vellent dicere & facere, qui neque peccare agendo, neque cogitando aut dicendo labi aut errare possent, qui neque infirmitate laborent vlla vt sint adiuuandi, neque errore vt corrigendi, neque malitia vt castigandi sint atque coercendi. At quid in terris simile, vt eadem esse possit ratio libertatis? Abundamus enim infirmis,

noraque multorum est & in fide & in moribus constitutendis imbecillitas. Malitia verò per orbem terrarum sic exundat, vt nullis videatur posse terminis cohiberi. Ignorantia denique non esset maxima, non de vna eademque re tot essent penè sententiæ, quot capita. Est enim ignorãtia, opinionum atque errorum velut fœcunda quædam mater: nec vllus textus plures commentarios recipit, aut certè patitur, quàm is cuius plurimum verus & genuinus sensus ignoratur. In tantis igitur tot malorum fontibus si cuique permittis viuere sentireque vt velit, nihil agis aliud, quàm vt omnium scelerum atque errorum, tanquam obicibus ruptis, inundantibus quibusdam fluminibus obruamur. Infirmas si sibi relinquitur, corrui: maliciosus si non terroribus frænatur & minis, peccandi finem nullum facit. Errandi verò quis modus in tanta ignoratione veritatis, tantaque interim præsumptione & temeritate asserendi quod in mentem venerit; si nullius magistri suspicienda sit auctoritas, cuius ad præscriptum nostras assertions & dogmata reuocemus? Cernis, vt reor, talem hîc non posse libertatis constitui rationem, quasi ad similitudinem atque ad exemplar eius quæ in cælo futura est. Sed ita potiùs ad illius regni libertatem nos accommodauerimus, quadamq. eius inchoatione & deliniatione præparauerimus, si percepta per fidè doctrinæ salutaris veritate, in ea sentiamus idem dicamusque vniuersi qui Ecclesiæ gremio cõtinemur: hæreses verò & schismata quàm longissimè propellamus, sicut ab illo regno procul erunt. Ideoque reipublicæ Iudaicæ institutor Deus, vt hoc etiam modo Christianæ Ecclesiæ præfiguraret vnitatem, vnicum voluit esse templum in quo sacrificaretur, eademque sacrificia, & consimilem per omnia colendi rationem. A qua conformitate si qui discederent, vt illi qui in excelso immolabant, vni tamen Deo, in eos seuerè iussit animaduerti. Ac licet tribus ipsas Israëlitias iusserit se-

parari, non tamen id fecit vt religio, sed vt regnum separaretur. At contrà, diabolus suam ciuitatem, hoc est, Babylonem, in summa confusione discordiaque fundauit: vt nò solùm pro diuersitate populorum & gentium esset deorum multitudo, verumetiam ipsi qui tunc præ reliquis sapientiæ laude pollebant Philosophi, incredibili inter se varietate & pugna sectarum colliderètur. Cuiusmodi turbulentissimam discordissimamque confusionem sub titulo libertatis in Ecclesia impune esse velle, id & decori domus Dei, & castrorum eius ordini, & scholæ concordiæ, in qua propterea plures magistros esse ditus Iacobus vetat, omnino contrarium est. Denique non magis illa religionis, quàm impietatis; innocentia, quàm scelerum; veritatis, quàm erroris; fidei, quàm infidelitatis; nò magis Christi, quàm diaboli libertas est. Imò verò per hanc fucatam libertatem soluitur maximè grassaturque diabolus, & nemine obistente, sua vbique terrarum regna molitur: abducit captiuos, quos Christus liberarat: turres suas & propugnacula erigit, vt Christi domum euertat: latet vbique, vt fallat: idem vbique se profert, vt aperto etiam Marte congregiens, cogendo suos efficiat quos vicerit. Cur ergo religionis appelletur libertas, per quam profana magis impietas, quàm religio propagetur? An fortè religiones verè plures esse possunt, aut etiam propter veri inuestigandi vtilitatem plures esse necesse est? Nimirum vt ea sit varias in Ecclesia religiones habendi ratio, quæ Gentilibus quibusdam fuit multiplices suscipiendi variorum deorum cultus: quam sic Prudentius expressit, ex persona Symmachi Gentilium Legati:

*Secretum sed grande nequit rationis operta
Quæri aliter, quàm si sparsis via multiplicetur
Tramitibus: si centenos terat orbita calles
Quæsitura Deum variata indage latentem.*

Deo derelicto: verum etiam ubi ad vnus veri Dei cultum variæ ac multiplices, pro cuiusque ferè arbitrato, sternuntur viæ: quas aberrare necesse est, quoniam veritas, à qua receditur, simplex & vna est. Et tamen blandæ illæ apparent in suis initijs & faciles & amœnæ, eoque nomine multos alliciunt & fallunt, quos veræ religionis prima facies subtristis offenderat. Quò etiam pertinent illa Prudentij quæ sequuntur:

Simplicis ergo via dux est Deus: ille per vnam

Ire iubet mortale genus, quam dirigit ipse

Sublimem dextro celsa ad fastigia cluuo.

Prima via facies inculta, subhorrida, tristis,

Difficilis: sed sine sui pulcherrima, & amplius

Prædita diuitijs, & abundans luce perenni.

In hac igitur vna simplici que via, quam Deus dirigit, vera religionis quærenda libertas est: in qua sola est veritas salutaris. Postremò, si, quemadmodum beatus Apostolus verissimè dixit, ubi Spiritus Domini, ibi libertas: profectò ubi Spiritus erroris atque mendacij regnare impune sinitur, ibi non libertas, sed deploranda seruitus sit necesse est. Quia enim sunt quidam, qui charitatè veritatis nò recipiunt, vt salui fiant, ideo mittit illis Deus (quemadmodum Apostolus ait) operationem erroris, vt credant mendacio: vt iudicentur omnes qui non credunt veritati, sed consentiunt iniquitati. Quem erroris spiritum vsque ad eò liberum esse in Ecclesia nò paritur, vt propterea in eadem epistola adhortetur atq. præcipiat, teneri traditiones quas didicissent, siue per sermonem, siue per epistolam eius; denunciaretque suis fratribus, vt subtrahant se ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum traditionem quam ab illo acceperint. Denique alio loco obsecrat fratres per nomen Domini nostri Iesu Christi (tantopere enim abhorrebat Apostolus à diuersitate sententiarum in his quæ religionem concernent) vt non

Verùm Christianis quomodo vnus Deus, & vnus Dei & hominum mediator Christus Iesus, & vna, quæ Dei domus & templum est, Ecclesia: ita vnica religio esse debet. Vnus Deus est, qui colitur: vnus mediator, per quem colitur: vna quæ piè salubriterque colitur, Ecclesia. cui propterea vna colendi ratio debet esse, quòd vna simplexque sit ratio pietatis & sapientiæ. Scriptum est in libro Iob, Ecce pietas est sapiètia. Si autem quæras, quam dixerit eo loco pietatem, distinctiùs Græcè reperies theosebian, quæ est Dei cultus. Pietas igitur, Dei cultus est. At quibus potissimùm rebus colitur Deus: procul dubio tribus illis notissimis, fide, spe, & charitate. cùm igitur vna sit fides, vna spes vocationis nostræ, quemadmodum Paulus ait, vnaq. omnium charitas: efficitur, pietatis ac religionis, siue Dei colendi, vnam ac simplicem esse rationem. Proinde cùm illa dixisset Symmachus de via colendi sparsis multiplicanda tramitibus, quæ paulo antè posita sunt: respondit ex sua persona Prudentius in hunc modum:

Longè aliud verum est. nam multa ambago viarum

Anfractus dubios habet, & perplexius errat.

Sola errore caret simplex via, nescia flecti

In diuerticulum, biuijs nec pluribus anceps.

Non tamen inferior duplex occurrere nobis

Semper iter, geminis mortalia partibus ire,

Quum dubitant quonam ferat ignorantia gressus.

Altera multifida est. at simplex altera & vna.

Vna Deum sequitur: diuos colit altera plures;

Et tot sunt eius diuortia, quot templorum

Signa, quot aërijs volitant phantasmata monstris.

His Prudentius insinuat, vna relicta religione, cæteras quæ religiones appellentur, neque certo numero terminatas, neque veras esse posse, sed in perniciem ac mortem ducere. Quod nò solùm habere locum intelligendum est, ubi plures coluntur falsi dii, vno vero

Deo

624 DE CHRISTIANA LIBERTATE
non essent inter eos schismata, sed perfecti essent in
codé sensu, eademq. sententia. Neque illud me hîc re-
morabitur, quod ex ipsis arguantur quidam: si mittit
Deus operationem erroris; recipi, & nō excludi oportere.
Id solūm eis cogitandum relinquo: spinas & tribulos,
quibus radices tribuit Deus; aut febres, quas immittit;
aut fures, quibus auaritiam aliquorum subinde punit;
quonam modo non recepturi, aut eiecturi atque
expulsuri sint, si quæcunque à Deo in peccati pœnam
immittuntur, recipi oporteat; obistere verò atque
excludere, aut etiam perdere, nefas putandū sit.

CAPVT VI.

*Destruitur fundamentum adificandæ huius noxiæ libertatis,
in eo quibusdam situm, quòd ea quæ ab Ecclesia definita
sunt, opinionis non fidei res esse statuuntur.*

AD id potiùs transeo, vt demonstrẽ, quid sequantur
in hac sua libertate religionis adstruenda. Potest enim hoc
cuipiam mirum videri, quòd rem tam absurdam postulent,
nisi quæ radix sit pessimæ huius stirpis, perspectum habeatur.
Itaque ædificandæ huius libertatis quædam animaduerto
fundamenta, quæ à diuersis iaciuntur hominibus, quos istiusmodi
licentia & impunitas delectauit. Vnum eorum est, qui
incertum esse volunt iudicium ijs de rebus, in quibus
rebus istiusmodi libertas expetitur. Nolunt enim de
ijs quidquam aut ratione conuincente, aut Scripturarum
canonicarum sententia, aut Apostolica traditione, aut vlla
irrefragabili auctoritate sic definitum agnoscere, vt non
interim sit integrum in alia opinione versari. Et quamuis
interdum hi aliud alio probabilius esse fateantur, tamen
quoniam vtrumque sine fidei eius quæ sola ad salutem
sufficiat præiudicio, posse defendi censent; vnumquemque
hîc volūt in suæ professio-

LIBER DVODECIMVS. 625
fessionis libertate relinqui. Quenam autem sit illa
sufficiens fides, alius alio modo constituit. Quidam
fidem in Christum Iesum sufficere definiunt, sed quoniam
ea fides nihil de baptismo in remissionem peccatorum,
nihil de Trinitate & vnitatem personarum diuinarū,
nihil de resurrectione carnis necessariò complectitur:
idcirco alij hoc non probant. Non enim existimant
de articulis modò designatis, aut alijs quibusdam,
quos necessariò fides in Christum minimè complectitur,
sed in Symbolo tamen Apostolorum expressi continentur,
liberè cuiuslibet opinandi permitti debere facultatem.
Malunt itaque hi sufficientiam illam fidei, Symboli
Apostolici duodecim articulis terminari: vt, quidquid
in eo expressum non sit, ad problemata, & non regulâ
fidei comprehensa referatur. At ne hoc quidem alij
recipiunt, & angustis nimium finibus coartari
fidei regulam conuerunt. Nam etsi est (inquiunt)
in Symbolo de vita æterna, nihil tamen expressum
est de iudicio secundum ea quæ quisque gessit;
nihil de æterna morte & inferno damnatorum;
nihil de Sacramento cœnæ Dominicæ, nihil de
duabus in Christo naturis, nihil de quatuor
Euangelis, aut Scripturis aliis canonicis, quæ
si quis non credat, aut neget etiam, tanquam
in re non certa neque definita, hunc
Christianum esse & haberi nolunt. Neque
audiunt, si quisquam dixerit, explanatione
Symboli illa omnia esse comprehensa. Nam
quoniam explicandi tractandique Symboli
varia ratio est, negat quicquam esse
quod nō ad aliquem Symboli articulum
possit tractando differendoque reuocari;
vel vnū de Ecclesia Catholica tractatum
articulum, quâ multa ad se trahere?
Quocirca si Apostolicum Symbolū cum
suo commentario illi intelligant, nihil
eos omnino affirmant præscribere certi;
quod sufficiat ad salutem. Ac reuera,
quemadmodum à diuo Leone expressum est

est epistola decimatertia ad Pulcheriam Augustam, ipsius Catholici Symboli brevis & perfecta confessio, duodecim Apostolorum totidem est signata sententiis, tanquam instructa munitione caelesti; ut omnes haereticorum opiniones solo ipsius possint gladio detruncari. cuius Symboli, ut adiungit, plenitudinē, si Euryches puto & simplici voluisset corde concipere, in nullo à decretis sacratissimi Nicæni Cōcilij deuiaisset. verūm licet in eo Symbolo tota sit doctrina salutaris, quæ se in modum diffusissimæ stirpis, amplissimæque arboris, per plurimos articulorum ramos extendit, tanquam in semine inclusa, & quibusdam principiis comprehensa; non tamen in eo omnia quæ fidem postulat, expressa sunt. Quæ si quis neget, ac Symbolum interim ipsum tenere se confirmet, perinde faciat, atque si quis principia & præmissas demonstrationes recipere se dicat, sed conclusionem, quæ inde eliciatur, quoniam inter principia expressa non sit, neget sibi certa scientia complectendam. aut si quis arboris semen ita perfectum esse contendat, ut ex eo prodeuntem arborem, ramosque latè diffusos, repudiet. Si quidem in Symbolo Apostolico perfectio inest, sicut in semine: non sicut in arbore explicata. Quomodo & perfecta manus est, nō solūm cum dilatata est in palmam; sed etiam cum est contracta & coarctata in pugnum. Nec tamen exporrectos quisquam digitos amputat propter pugni perfectionem. Existūt igitur alij, qui superiorum sententiarum incommodis admoniti, in vnaquaque ferè controuersa nunc quæstione sumendum aliquid sibi putent quod generatim sufficiat; aliud verò de quo particulatim liceat disputare. Verbi gratia: Christi carnem in cœnæ Dominicæ Sacramento contineri, negare nefas ducunt; quoniam dixerit Christus, hoc esse corpus suum. Sed utrum illic sit cum pane, an sine pane, & utrum per energiam

dumtaxat, an etiam per veram sui præsentiam, hoc in utramque partem agitari patiuntur. Rursum, iustificari hominem ea quæ est in Christum fide, pro certo teneri atque indubitato volunt: verūm illa per Christi fidem iustificatio utrum cum ipsa continuo fide coniuncta sit, an verò per Sacramentum sit expectanda; item, utrum ipsa iustificationis ratio in sola remissione peccatorum posita sit, an verò etiam in interioris hominis renouatione: & utrum iustificatus debeat credere sibi esse remissa peccata, an verò bene dumtaxat de accepta remissione confidere: hæc, aliaque eiusmodi, ad hanc de iustificatione controuersiam pertinentia, inter homines eruditos sine præiudicio necessaria ad salutem fidei, quæri volunt atque disputari. Sic requirunt opera, de merito & condigno disputant. Aliqua fateantur à Christo Sacramenta esse instituta: quo numero, nescire se dicunt. Pœnitentiam relapsis asserunt esse necessariam: de partibus, ac potissimum de satisfactione, licere cuique volunt quod libuerit amplecti. Atque in ceteris ferè rebus quæ nunc disputantur, ad eundem modum sese habent. Verūm falluntur & hi multum, si propterea se satis fideles & Christianos esse arbitrentur. Neque enim vera fides ita passim de re quapiam in genere concepta sufficit, sed in particulari sit oportet. Id quod variis demonstrari potest exemplis. Etenim si quis dicat, credere se vnum Deum; sed quomodo sit vnus, specie an numero, dubitare se dicat: num hunc tenebis de vno Deo Christianam fidem retinere? Rursum si fateatur aliquis creatorem cæli & terræ Deum, sed incertum se affirmet, utrum creandi verbo significetur, quòd è nihilo illa condiderit, an verò ex aliqua præiacente materia, quam ipse non fecerit; quoniam & creandi verbum variè vsurpetur, & ad scripturas possit commentarius non aspernandus inueniri: hunc ergo tu

dicturus es veram de creatione rerum tenere fidem? Cōfessus item est aliquis Patrem, & Filium, & Spiritum sanctū: sed dubitari dicit posse, vtrū his nominibus tres significantur reuera distinctæ personæ, atque hypostases, an verò vna quidem illa, sed tamen alia atque alia ratione considerata. hic ergo, verane tibi fide beatæ illius Trinitatis præditus esse videbitur? Præterea exsurget aliquis qui Christum verè Dei Filiū nō puret, sine amissione Christianæ fidei, à quoquam negari posse: si tamen hoc adiungat habere dubitationem, vtrū Filius sit propriè naturalis, qui de substantia Patris, non per creationem, sed per æternam generationem ortus sit: miror si tibi iste fidem de Filio Dei fatis Christianam habiturus videatur. Adiungam his aliquem qui gratiam Dei per Christum necessariam nobis esse concedat: sed eam ponat in Lege, in doctrina, in adhortatione, in sola remissione peccatorū quæ cōmissa sunt; non in speciali auxilio, ne committatur. Hunc ergo tu Christianum Catholicum, & non potius hæreticum & infidelem Pelagianum esse iudicabis? Introducam & alium qui Christum affirmet esse Deum, neque id in dubium vocari vllō modo patiat; sed interim controuersum & disputabilem sentiat esse modum quo Deus sit; an videlicet per veram naturæ diuinæ communicationem, an verò nominis solius, propter singulare priuilegium arctissimè cuiusdā cum vero Dei Filio societatis. Nestorianus ergo hic scire vellem vtrū fidem habere dicendus sit de Christo Deo vero, quæ illi possit ad salutem sufficere. Et quid tandem erit in religione Christiana, quod non ad similem modum eludi queat: vt verbo quidem, & cōfusè, ac generatim, quod quæritur, tenere nos asseramus; reuera autem, & in particulari, minimè teneamus Christianam de re proposita fidem? Quid ergo hic isti dicturi sunt? Omnēsne illas veteres hæreses

tanquam

tanquam hominum sufficienter credentium, & verè Christianorum, liberas esse in Ecclesia paterentur, an exturbandas censerent? Si exturbandas, cur fideles expellis? cur non illis æquè vt his parcendum existimas? Si in eadem habendas societate Ecclesiastica, qui tales modò essent arbitraris: cur vetus Ecclesia gladio saltem excommunicationis, sæpe etiam, cū potuit, vel ex filiis, vel aliis pœnis præcidendos segregandosq; vel coercendos etiam, multandosq; iudicauit?

CAPVT VII.

Ostenditur vanam euasione esse illorum, qui cum opinandi libertate coniungendam esse dicunt modestiam, & pacis studium.

RESPONDENT hīc tamen & dicunt, propterea damnatos illos & eiectos esse, quod ad suas assertiones pertinaciam adiungerent; & in reopositionis, tanquam in re causaque fidei, versarētur, perturbandisque Ecclesiis per seditiosorum hominum factiones, non mediocriter Reipublicæ Christianæ pacem & tranquillitatem labefactarent. qui si quieti, ac non molesti fuissent, potuerint in eiusdē Ecclesiæ gremio, sicuti & modò possent ac deberent, retineri. Laudo hīc quod sibi constare volunt. Neque enim vlla erat ratio, cur nostri temporis sectas varias vellent haberi in Ecclesia liberas; illas quæ praxi vterentur persimili, non putarent ferendas esse. Omnes enim de Scripturis colorem defensionemque sumunt: omnes etiam de Scripturis validissimè concutiuntur. Omnes generatim, & confusè, ac verbotenus fidem cum Ecclesia Dei communem profitentur; in particulari verò, & re ipsa, cū discutuntur, negant. Efficit ergo ratio cōsimilis, vt eiusdem Ecclesiæ gremio foueantur, in eademque Republica similiter & indifferenter habeantur,

tur, si minimè pertinaces, si modestæ, si tranquillitatis & pacis amantes sint. Itaque respõdebimus, primùm ineptum esse expectare hæc ab illis, qui sibi placentes, sectas nõ metuunt introducere, & aliud quàm iis traditum sit, tam magnis de rebus prædicare. Quomodo enim pertinax non erit nouæ assertionis inuentor, præfertim cùm iam sibi discipulos conciliauerit, scholasq. fecerit? **Quis fieri potest vt Ecclesiastici corporis non scindatur vnitas, & non tranquillitas com munis perturbetur, his noua dogmata disseminantibus, illis in eo quod euangelizatum acceperunt, constanter perseverantibus? Quo pacto aut non insolescere, qui bene fundata dissoluunt, qui Patrum terminos transferunt, qui præceptores suos & antecessores erroris accusant: aut perferre æquo animo possint veritatis iniurias, qui in ea cum magna spe suæ salutis acquiescunt? Si omnis in religione nouitas sui semper fuit amantissima, nõli dubitare futuram pertinacem & irrequietam & molestam contradicentibus. Quod igitur aiunt isti, habendos eiusmodi quidem in Ecclesia, sed modestos, minimèque molestos esse oportere: hoc tale est, quale, si cuiquam diceremus, habendum illi in sinu serpente, sed cauendum ne ille mordeat aut sibilo inficiat: ignem nuda continendum manu, sed prouidendum ne adurat: lupos in ouili recludendos, si modò velint ouibus parcere: accipitrem & columbam eadem tenere cauea, si velint inter se concordiam & amicitiam conseruare. **Quæ fuit vnquam secta paulo numerosior, quæ non bonas amicitias sciderit? non altare contra altare erexerit? non omnia miscuerit atque turbarit? Eiusmodi ergo novos homines in Ecclesiæ gremio contineri velle & foueri, quia principidò modesti esse videantur, quid aliud est quàm gallinæ illi Euangelicæ oua serpentina calefacienda subijcere? Cui tali imprudentiã laborati vt recipienda putet, iure aliqua,****

iuxta

iuxta fabulam, hirundo sic dixerit: **O demens, quid hæc nutris? cur non protinus, cùm adhuc testa inclusa continentur, excutis? cùm enim sese protulerint atque exclusa creuerint, à te ipsa primam auspicabuntur iniuriam. Deinde pertinacia in his quæ fidei non sunt, sed opiniois, neminem ei condemnationi reddit obnoxium, qua possit hæreticus pronounciari. Cùm igitur isti hæreticos quidem in Ecclesiam non admittant, sed modestos opinatores recipiant, excludi non poterit tamen qui fuerit pertinax & inflexibilis deprehensus. Imò ne agendum quidem hoc erit, vt discedat à sententia, quam possit non absurdè tueri; nec malè pertinax iudicandus, sed constans potius videri debeat, qui in opinione, quam tueri liceat, quamque plausibili defensione propugnet, sibi censeat esse persistendum. Neque verò propterea illis erit succensendum, quia rem opiniois pro fide suscipi postulent. Non enim hoc omnium sectarum studium est, vt nouam substituunt fidem, priore sublata; sed ad fidei dumtaxat diminutionem plerunque iactant intelligentiam: nec tam docent credere noua, quàm vetera non credere. Quid enim opus erat fide, qua crederetur homo mortalis non esse Deus immortalis? quid nunc fide opus est, qua credatur Christi corpus non esse in Eucharistia, nec aliam subesse substantiam quàm quæ sub adspæctum cadat? Magis enim hæreses in nõ credendo, quàm in credendo quod captum humanum transcendat, consistere solent. Denique si veterum hæreseon damnationes inspexeris, non hoc reperies quia Rempublicam perturbarint, idcirco damnatas esse. Nam & ipsos Apostolos damnari æquum fuisset, quorū prædicatione non vna ciuitas, aut vna quæpiam respublica, sed orbis ipse terrarum, ortis vbique dissidiis, grauissimè est perturbatus. Non enim venerat Christus mittere pacem, sed gladium, & separare fratrem à**

54

fratre,

fratre, & parentes à liberis, & ab vxoribus viros. Eiusmodi enim contigere separationes, religionis gratia, cum infideles, sine Christi iniuria, non iustinerent cohabitare Christianis. Neque hic vlla diuidentium culpa fuit: quia non sanctam pacem perturbarent, sed noxiam conspirationem dissoluerent: nec piam vnitatem scinderent, sed tanquam ruptis communis perfidiae vinculis, sacrilegam in malo societatem dissiparent. quomodo & ab ipso Deo linguarum immissa barbarie, diuisi confusi que sunt, qui superba conspiratione turrim in caelum vsque altam aedificare aggrediebantur. Non igitur haereses, propterea quod Republicam perturbarint, proprie dñati sunt; sed quia fidem Catholicam corruperint: quia venenata contagia pestifero sermone diffuderint: quia animas iugularint atque perdidierint: quia sanctam Ecclesiae vnitatem violarint: quia à Christo, ab Ecclesia, à salute abstraxerint. Dicat ipse nobis Apostolus cur Hymenæum & Philetum tradiderit satanae. an quia per eos Christiana turbabatur tranquillitas? non hoc dicit; sed, Vt discant, inquit, non blasphemare. rursus quia vaniloquia eorum multum proficerent ad impietatem, & sermo ipsorum vt cacer serperet. Nec tamen resurrectionem aperte negabant, sed eam factam dicebant esse; siue quia homines secundum animos suscitarentur, cum iustificarentur: siue cum defunctis fratribus superstites suscitassent fratres, secundum Legem, de relictis eorum vxoribus filios, in quibus defuncti quodammodo excitari & reuiuiscere viderentur. Tametsi igitur illi quidem tenerent generatim de resurrectione professionem & fidem; quia tamen particulatim non tenebant id quod erat de resurrectione credendum, idcirco subuertisse dicuntur quorundam fide: ea que de causa satanae traditi sunt, non in Christi corpore; quod est Ecclesia, tolerati. **Quamuis enim**

2. Tim. 1.

2. Tim. 2.

in

in magna fuerant domo, id est, in Ecclesia, in qua non modo vasa aurea sunt & argentea, verum etiam lignea, & fictilia, ad contumeliam, non ad honorem destinata: tamen, neque cum adhuc in ea visibiliter versarentur, & eorum in illa sermo sicut cancer occultius serperet, ad ipsius vnitatem pertinebant, qui communem, quam in aliis subuerterent, non tenebant fidem: & eiectione postea sunt, traditi que satanae, vt quia prius intus corpore, animo foris erant: postea nec corpore intus remanerent, hoc est, ea conuersatione quae Christianis inter eos esse consuevit, qui ad eandem agnoscuntur Ecclesiasticam societatem, propter danda & accipienda Sacramenta, pertinere. Iudicium igitur tanti Apostoli si secuti fuerimus, vti merito omnes sequi debemus, non Christiani nominis professio, non generalis in Deum & Christum, atque etiam Ecclesiam fides, non confusa nobis & indistincta singulorum fidei articulorum sufficiet confessio, sed omnino cum verbis fidei communibus, sensum etiam communem & assensum requiremus: neque eos qui publica obrecti & inuoluti confessione, eius interim sensum corrumpent, magis aut in Ecclesiae tolerandos familia iudicabimus, quam illos in domo quam piam ferendos, qui eius moliri ruinam sub ipso fuerint tecto deprehensi.

CAPVT VIII.

Non debere Ecclesiam, qua veritatis magistra sit, literatos & eloquentes, qui Catholici haberi velint, in sua libertate relinquere: licet id Philosophis & Magistratibus ciuilibus olim concessum fuerit.

QUID igitur est quod aiunt quidam: Quomodo magistratus olim gentilis varias Philosophorum sententias se Gasque tolerabat: propterea quod omnes Philo-

r s

Philo-

Philosophi, & docti homines atque eruditi haberentur, quamuis eos inter se non consentire animaduertent: ita modò Ecclesiam sui temporis, homines egregiè literatos, & magna eloquētix gratia præditos, qui se præferri Christianos & Catholicos esse, atque haberi velle proclamant, in Christianarum oportere disputationum libertate relinquere. Cur enim liberis ac generosis animis, tãtum imponatur iugum, vt ad alienum per omnia sensum deprimantur? quid puerili institutioni similis? Quibus quidem in scriptis ac vocibus (nam & dicuntur eiusmodi nunc, & scribuntur à generosis istis Libertinis) plura insunt profanæ mentis peccata. Primum, quòd ad exemplar Babylonis, castrorum Dei, domus Domini, sponsæ Christi institutio & forma reuocetur. Secundum, quòd apud eiusmodi homines, tanti sit secularis literaturæ splendor, vt eo quidquid videatur esse perfusum, cõtinuò etiam in Christiani dogmatis rebus, quoquo modo ad diuini verbi normam tractatis, satis eruditum & doctum habeatur. Tertium, quòd verè generositatis & libertatis ignari, non animaduertant eam demum veram animi nobilitatem esse, qua, sicut Paulus ait, humanus intellectus captiuatur in obsequium fidei. Quartum, quòd cum adhuc pueri sint sensibus, tamen eam suæ mentis pueritiam nõ agnoscentes, volunt magistri fieri priusquam bene didicerint. Quintum, quia perturbatur ordo bonus discipulorum & docentium; rectorum atque subditorum: cum dicat Apostolus: Omnia honestè, & secundum ordinem fiant in vobis. Alioqui & mulieres quæ generosæ imprimis haberi volunt, longèque à puerili institutione distare, libertatem à Paulo sibi ademptam queri poterunt: quòd eas in Ecclesijs tacere iussit, loqui prohibuit. Postremò, quid simile Ecclesiæ Dei cum profano gentium magistratu? Illi enim Philosophorum disputationes, vel vt deliramè-

ta sper-

ta spernebant; vel vt ad sese nihil pertinentia, pro nihilo ducebant; vel cum deesset illis discutiendi iudicandique facultas, magis mirabantur quàm insectabantur. Quid enim inter colores cæci discernissent? quodnam alijs præferre poruissent lumen, qui densissimis ipsi tenebris laborarent? Quæ illis ad docendum, regendosque disciplinarum ludos auctoritas? Cum autem iam de Ecclesia ipsa, quæ sit; & de Sacramentis eius, quoinam sint; & de iustitiæ ratione, qua beata vita acquiratur, variè hoc tempore disputetur; resque illæ sint eiusmodi, vt quid de illis sentiat, Ecclesiæ ipsius, & omnium Christianorum, quorum ei salus curæ est, vehemèter intersit: si de hisce rebus iudicandi, & quod omnes tenere debeant, decernendi, præscribendique facultatem Ecclesia Christi nõ habeat; præcipua profectò caret auctoritate docendi: nec magistra veritatis idonea est, quæ tam magnis necessariisque de rebus nequeat iudicare. Atqui in hoc posita est, vt tanquam magistra audiretur: vt ei, re quapiam in religione controuersa, tanquam iudici acquiesceretur: vt, si quis eam non audiret, is habèdus esset sicut Ethnicus & Publicanus. Reuera enim si cognoscendæ ac dijudicandæ cuiusque doctrinæ, quæ sub nomine Christiano profertur, auctoritatem accepit Christi Ecclesia: hanc sedulò cum opus est commonstrat, ac fideliter adhibet, suoque munere probè fungitur, ad suorum confirmationem filiorum, adistente sibi præsertim ad eam rem, semper Christo, & in omnè per suum Spiritum deducente veritatem: cuius etiam veritatis columna est & firmamentum, quod eam sustineat, & confirmet in eorum animis qui eius complexu continentur. Si autem non accepit, sed suo quisque sensui & iudicio relictus est in Dei rebus; satisque sit, ab ea Matre nos semel in Christo esse regenitos, & in iustitiæ lucem editos, neque postea certo eiusdem lacte nutiri,

triri, neque educari, neque prouehi, quasi per quosdam ætatum gradus, neque ad virile robur confirmari, neque ab eadem regi, & subinde corrigi valeamus: nihil superest nisi vt simus sicut paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, ac sicut paruulis nondum matres suas discernentibus contingit, quibuscumque papillas ingerentibus, sine discrimine ora præbeamus atque infigamus, varioq. lacte nutriti, & vitiatu corrupti atque deprauati, neque rectè grande-scere, aut firmi stare, aut valetudinem tueri possimus. Tu hinc mihi forsitan dices, de quibus acceperit docendi & decernendi auctoritatem, de quibus nō, hoc est, filius & quidem paruulus suæ præscribet matri, quo debeat ipsum lacte nutrire, discipulus, & is quidem quī nondum rectè institutus sit, magistro præscribet suo, quousque illi sit in doctrina tradēda progrediendum. Non pudet? si quis inciderit articulus de quo teipsum audire velis, tuique iudicij libertate frui, de eo negabis Ecclesiam habere iudicandi facultatem? & illi detrahes iudicium, quod tibi arroganter assumas, vel alteri cupiam, quem complecti libuerit, deferas? Duodecim, inquis, fidei articulos, & generalia quæque doctrinæ Christianæ capita, quæ ex Scripturis proferantur, proponere suis filijs Ecclesia potest: intelligendi verò tractandique rationem cuique liberam esse patiat. Atqui non verbis, inquam, nudis, quantumuis sacris & optimis, sed certis purisque verborum sensibus animi nostri reficiuntur. Neque nobis ideas Platonice, aut generales & confusæ principiorum notiones tribuere possunt standi in fide firmitatem, vt certis gressibus, fixisque vestigijs procedamus, sed particularibus distinctisque rerum salutarium conceptibus firmemur necesse est. Quos si Ecclesia non præstat, infirmi & imbecilles, ventorumque iactationibus obnoxij ab ea relinquimur. Imò verò necdum bene

con-

concepti & nati, informi dunraxat fidei fœtu concepto, quasi per aborsum eijcitur. Non potest igitur Ecclesia mater dicere, quòd Paulus Ecclesiæ filius poterat: Filioli, quos iterum parturio, donec Christus formetur in vobis. Quamquam & huic ipsi Paulo Libertini credo isti dicturi sunt: Noli Paule, noli te formatum in nobis Christum recipere, satis fuerit si prima rudimenta & principia tradas: nos nostro, vel eorum quos delegerimus, arbitrio formatam deinceps indutemus. Tu modò Christum nobis dicito esse Iesum: nos ei, si videbitur, diuinitatem qua Patri sit æqualis, tribuemus. Tu per illum iustificari nos tantummodo commonstra nobis: quibus autem in rebus ea iustificatio sita sit, ipsi dispiciemus. Hoc si erubescant Paulo dicere, cuius epistolas verebuntur; non idem erubescant dicere Ecclesiæ, cuius se esse filium & Paulus agnoscit, tanquam Pauli epistolas vel intelligere & interpretari non valenti, vel earum difficiliorensensus, cum orta de ipsis controuersia est, illustrare & proferre nolenti? horum enim aliquid fateare necesse est: de Scripturarum sensibus iudicare Ecclesiam non posse; aut si possit, nolle: aut cum id cuperet, nō expedire vt fiat, existimare. Si non potest, misera est, quæ abs te suo discipulo superetur. Si potest, sed per ignauiam negligit; aut recusat facere per inuidiam; tunc profectò magistra non satis idonea est, & omnino non mater, sed nouerca dicenda: quæ bono doctrinæ lacte suppresso, noxiarum interpretationum succis, filios suos corrumpi sinit. Sponsa etiam Christo indigna est, quæ tantæ deformitatis nota maculetur. Si autem tam multis eius passim filijs, veros Scripturarum sensus, & genuinas expositiones tam auidè quærentibus, proferre eas & enucleare iudicat non expedire, neque id iudicare sine granissima ratione possit: hanc ipsam si quis requirat, cuius erit reddere? Si tuum, scio quid dices:

Liber-

Libertatis enim gratia sic comparatum esse pronuntiabis. Si verò Ecclesiæ est, suorum consiliorum factorumque proprias reddere rationes, profer quas reddidit? Cæterum scire velim; cur non expediat, imò etiã necesse sit, cum præsertim grauíssimis de scripturæ cuiuspiam sensu dissiidiis Christianus orbis colliditur, enucleare atque edisserere ipsam loci sententiam, eandemque publico decreto euulgare & firmare? nemo quin ita faciendum sit, dubitat, qui paci, qui vnitati & concordia, qui salutis animarum consulendum esse arbitretur. Ex quo conficitur, tam piam adeoque necessariam prudentiam nunquam Ecclesiæ Christi defuisse: quin exortis videlicet ob fidei quæstiones controuersis, iamque iisdem motus in Ecclesia & turbas generare incipientibus, discussa re tota, & Scripturarum locis diligenter examinatis, habitaque superiorum temporum fidei ratione, decreuerit maturo iudicio quid esset de re proposita sentiendum, quid sine cunctatione retinendum, quid denique, remotis damnatisque ijs quæ aduersentur opinionibus ac sententiis, in Ecclesia & domo Dei clarè constantetq. prædicandum. Vt hac prudentia est in Hierosolymitana Synodo, cõtra Iudaizantes: in Nicæna, contra Arianos, in Constantinopolitana, contra Macedonium: in Ephesina prima, contra Nestorium atque Dioscorum: in Chalcedonensi, cõtra Eutychem: in Nicæna secunda, contra Iconoclastas: in Florentina, contra Græcorum de Spiritu sancti processione sententiam. Postremò (ne cunctas recenseamus Synodos) & hac ætate nostra, in Tridentina Synodo, aduersus nouorum quorundam magistrorum, noua, & prioribus seculis magna ex parte inaudita placita, quæ nouissimis hisce temporibus Christianas Respublicas non mediocriter perturbauerunt, è quibus nonnullas etiam euerterit funditus. Quæ cum ita sint, quid obsecro iam in his

quæ

quæ definita sunt, clareque adedò proposita, vt non possit ignorantia prætexi: quid (inquam) modò tuis sensibus relictum censes ad opinandi libertatem? Si priorum tibi Conciliorum decreta recipienda putes, posteriorum quoque suscipienda erunt: si posteriora repudias, nec hoc tibi reliquetis, cur plus deferre debeas prioribus. Eiusdem enim Ecclesiæ Synodos esse has omnes clarissimè constat: in quibus, post Petrum Romani Præsules per seiplos, vel suos Vicarios, præfuderunt: in quibus Episcopi & Sacerdotes, quorum de numero non pauci Martyres & Confessores exstiterunt, Pastorù Ecclesiæ munere egregiè perfuncti sunt. Si degenerauit posterior Ecclesia, adeoque defecit ab integritate prioris, vt suorum decretorum vim & robur amiserit: vbi Christi promissa erunt? Neque enim cum ea se futurum primis dumtaxat annis promiserat; sed, Ego (inquit) vobiscum sum vsque ad cõsummationem seculi. & Porta inferorù non præualebunt aduersus eam. Quamuis hic istorum sit incredibilis labor, vt ostendat quando quoque primùm tempore Ecclesia Romana degenerare cœperit, & propter quas causas, atque olim quidem ij qui dicti sunt Pauperes de Lugduno, vsque ad beatum Siluestrum Ecclesiam in Episcopis perdurasse aiebant: nunc verò quinquaginta annorum defectiõne accusant quidam: alij trecentorum annorum: alij mille ab hinc annorum consensum oppugnare se, superiorum verò temporum Ecclesiam venerati profitentur. Quam ob causam? propter Romanorum Pontificum præsumptam auctoritatem? propter ceremoniarum vsum? propter ieiuniorum leges? propter vitia morum? hæc quidem postrema nec Apostolorum defuere temporibus. Nec iuuare potest hæreticos, si, quemadmodum diuus Hieronymus ait, in nostro corpore neuus apparuerit. Cetera verò ceruissimis grauíssimorum auctorù testimoniis,

qui

*Ad Pamphili-
um & Me-
cellum, cuius
exordium: Ruy-
suus orientalis
luc. vos locu-
pleto meritis.*

qui intra primos illos quingentos annos scripsere, idculentissimè demonstrantur. Nec sunt omnes homines tam fungi, aut stipites, aut temporum imperiti, ut eos nesciant, qui sic loquantur, nihil aliud quàm verba dare simplicibus: fecerintque magis ingenuè, si apertè fateantur, se confusè conuellerè quæ abs mille quingentis annis inualuere. Quod cum fecerint, quænam post Apostolos demonstrari Christi Ecclesia potuit? quænam, rogo, illa tam inuicta Ecclesia fuit, ut aduersus eam inferorum portæ non possent præualere? quænam superstes ab ipsiſ ecclesiarum fundatoribus Ecclesia Christiana relicta est, quæ & testis, & columna veritatis, & custos religionis, & vtriusque iudex fidelis esset? Quænam Ecclesia Christi in terris fuit, si non ea quæ temporibus Ambrosij, Hieronymi, Chrysostomi, Augustini, Prosperi floruit? in cuius societatem vocatæ Gentes plurimæ? cuius auctoritatem Reges venerati sunt? quæ claruit miraculis, exornata est virtutibus, doctissimis Episcopis abundauit? Hæc ergo rediguntur, ut si illius temporis agnoscant Ecclesiam, hanc, quæ illi successit in doctrina & cultu consimili, non possint despiciere: si illam negent, nullam fuisse in terris Ecclesiam necesse habeant confiteri. At sunt nonnulli qui hæc quidem præsentem non despiciant, verùm propter aliquos nēuos, minus ei censeant esse tribuendum. quibus dicendum est, primùm nēuis morum quidem nullam vnquam Ecclesiam castruisse: et si nēui offendunt eiusmodi, cur non ad multorum egregias virtutes attendunt? quid magis præposterum, quàm ad saxa inspicere, ad quæ impingas, potius quàm ad florentia bonorum plantaria, quibus erigaris? Deinde, quod ad doctrinam pertinet, nihil habet præfens Ecclesia prius & potius, quàm ut ad veterem doctrinam sua decreta prorsus accommodet: idque ita feliciter assequitur, ut cum hoc aduersarij

ipſi

ipſi sentiant, nullum habere se fateantur azylum melius, quàm si de solis scripturis disputetur. Denique talem quempiam, qui propter Ecclesiæ præsentis quos dicit nēuos, minus eius fidendum esse decretis, sibi aliisq. persuadet. eiusmodi ergo hominem interrogo, vtrùm veram esse hanc Christi Ecclesiam credat, an non credat? si credit esse, cur dubitat amplecti quæ decernit? cur non constringi se decretis eius sentit, cum scriptum sit: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus? si autem non credit, quæro, propter nēuos aliquos leuioreſ vtrùm Ecclesiam esse desuisse arbitretur? hoc quidem isti non sentiunt. Quocirca cum Ecclesiam de scripturis & eius auctoritate intelligant; nihil restat, nisi ut hanc sibi de eius decretis ac definitionibus amputent disputandi libertatem.

CAPVT IX.

Explicantur quedam Apostoli sententia, quæ pro opinandâ libertate facere videantur.

NAM etsi dicat Apostolus, ad Romanos scribens, Rom. 14.
Vnusquisque in suo sensu abundet; siue, ut alij reddunt, Vnicuique mens sua satisfaciât; atque id & quibusdam in hominibus, & in certo quopiam genere rerum, aliquando locum habeat: non tamè ad quæcunque alia rapiendum est. Infirmis sanè quibusdam, quales ij erant, de quibus beatus Apostolus verba faciebat, quorum adhuc erat à Lege ad Christum nouella conuersio, cōcedi potuit hoc in eo genere rerum, quo de agebatur: in quo siue hoc fieret, siue ommitteretur, neutrum tamen per seipsum officiebat pietati. Siue enim olus manducarent, abstinentes adhuc à cibis Mosaisca Lege prohibitis; siue nullo ciborum a se delectu, quiduis sine discrimine in cibum sumerent; præsertim cum illud prius fietet nondum satis clara

f

&

& illustri Evangelica libertate, neque abrogata prorsus damnataque Legalium obseruatione signorum, neutrum debebat vt pietati contrarium condemnari. res ergo tanti momenti non erat, vt digna esset tam acti continuoque certamine, quo infirmos etiam turbari oporteret. Tanti verò momenti non fuisse dicimus, non quòd omnino res esset leuicula, sed propter temporis immaturitatem: eo quòd Romani (ait Chrysostomus) recentes adhuc & nuperi essent in fide. Non igitur erit hoc, inquit, ad quæuis rapiendū quod dicit, Vnicuique mens sua satisfaciat. quādo enim de dogmatis illi sermo est, audi quid dicat: Si quis vobis euangelizauerit præterquam quod accepistis, etiam si Angelus fuerit, anathema esto. & iterum: Metuo, ne, quemadmodum serpens Euam seduxit, ita corrumpantur sensus vestri. & Philippensibus scribens, dicit: Cauete malos operarios, cauete concisionem, quoniam verò apud Romanos, inquit, talia corrigendi tempus nō erat, ideo vnicuique mens sua satisfaciat. Quòd autem ait Chrysostomus, beatum Apostolum illud verbum suum ad alia quæcunque rapi noluisse; aliis pluribus doceri exemplis potest. nam cum inter Corinthios contentiones essent, aliisque diceret Pauli se esse, alius Apollo, alius Cepha: non hic vnū quemque in suo sensu abundare permisit, Christianos se licet omnes esse profiterentur, atque etiam omnes illi in Christum crederent; sed grauitate eos corripuit, vt carnales, & secundum hominem ambulantes: voluitque malum hoc noxiæ contentionis ex eorum Ecclesia continuò facessere. Rursum cum in Ecclesiis animaduertèret apud Corinthios, ab viroque sexu nō satis magnam haberi in habitu capitis, decòri ratione, sed viri quidem velatis orarent capitibus, mulieres verò, quas velum decebat, aliter facerent: quamquam aiterentur aliqui hunc morem quasi de ratione excu-

sare,

sare, & potuisse viderentur hic in sui iudicij libertate relinqui, quoniam res ad corporis habitum pertinebat; tamen neque id ferendum putat, & consuetudinē aliam ab ipso, procul dubio tanquam Ecclesiæ eius fundatore, introductam obijcit; & quoniam Ecclesiæ eius consuetudo erat, nihil contra eam passus est disputari. Si quis (inquit) videtur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non habemus, neque Ecclesiæ Dei. Ergo Paulus in re eiusmodi, contra simplicem Ecclesiæ consuetudinem noluit hominum contentiones admittere, & contra orbis Christiani, & tot Conciliorum decreta, maximis de rebus euulgata, passus fuisset quasi de libertatis priuilegio disputari? Iterum cum ipsi illi Corinthij non in melius, vt ait, sed in deterius conuenirent, scissurisque & dissidiis ita alij disjungerentur ab aliis, vt minimè essent idonei qui Dominicam cœnam manducarent, grauitate hæc quoque dissidia reprehendit, nec patitur vnumquemque præsumere suam cœnam ad manducandum; sed iubet concordia spiritali colligatos, inuicem expectare: propterea quòd non communem & vsitatum panem sumpturi essent; sed pretiosum Domini corpus, quod nostræ salutis gratia traditum est in mortem, ne hic ergo quidem, vbi tamen non erat in doctrina dissidium, passus est vnumquemque in suo sensu abundare, sed honestæ disciplinæ, & boni ordinis voluit haberi rationem. Quod si in doctrina fuisset dissidium (ait diuus Chrysostomus) non tam placidè eos allocutus esset. Audi quæso (inquit) cum contra hoc dissidium loquitur, quàm vehemens sit, quàm cautus, quanta vitatur reprehensione. Licet nos (inquit) aut Angelus de cælo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Increpat autem, quemadmodum cum dicit: Qui in Lege iustificati mini, à gratia excidistis. Et nunc quidem canes appellat, qui eos

Cor. 12.

Rom. 27. in priorum ad Corinth.

Galat. 1.

1. Cor. 11.

corruptunt; nunc autem, cauterio habentes notatam conscientiam; & iterum, angelos diaboli. Magnopete velim hæc diui Chrysofomi verba notari ab ijs qui tam præpoſteri ſunt hoc tempore, tamque à prudèti æſtimatione rerum alieni, vt in doctrina ipſa facilis quàm alia quauis in re, ex libertate patiantur oriri diſſidia: nec ea ſolùm toleranda cenſent; ſed eosque etiam inſani proſiliunt, vt probandam cenſeant eius generis libertatem. Quid autem dementius, quàm & domi in priuatis quibusdam familiæ inſtitutis, & in Republica ſeruandis legibus, conformitatem requirere: in doctrina verò, re omnium grauiffima, & in qua ſitum eſt virtutis & vitæ fundamentum, ſi per libertatem diſſideatur, & mille per Eccleſias volitent vno de dogmate religionis ſententiæ, id totum pro nihilo ducere? Minimè ergo omnium licebit hîc vnicuique in ſuo ſenſu abundare. Ac ſi quis nouus hîc opinator exoritur, & is propter nouum in doctrina commentum reprehenditur à fratribus, non eſt quòd ſe armatum altera illa Pauli ſententia fore arbitretur: Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum? domino ſuo ſtar, aut eadit. Eòdem enim hæc prorsus quòd ſuperior illa referenda eſt: ad ea nimirum quæ definita, iudicata, damnata nondum ſunt. Ideoque cùm olim etiam eſſent aliqui eiufdem fatinæ homines, qui vndique deſenſionis ſuffragio deſtituti, omnibus exhaustis argumētis, ſententiã eandem Pauli Apoſtoli opitulari ſibi opinarentur, & dicerent: Tu quis es, qui de ſeruo alieno iudicas? his ita reſpondit Cyprianus in eo libro qui ſcriptus eſt de ſingularitate Clericorum: Illis, inquit, contulit deſenſionem, qui nullam partem Legis impugnant; & ipſis tribuit patrociniũ, qui ex voto ſuo aliquid faciunt, nec quicquam eccleſiaſtici iuris impediunt. Ius tractat viuendi, & non edendi arbitrium vnjuſcuiuſque confirmans. De ſimilibus neminem

iuffit

iuffit iudicari, quæ voluntati ſingulorum auctoritas diuina concedens, in vtraque parte, faciendi, & nõ faciendi, clementer indulſit. Illos autem Eccleſiaſticiſ tribunalibus ſubdidit, quos irangreſſores ordinariæ tranſgreſſionis, nulla impunitas excuſauit: vt qui paſſim, Tu quis es, qui de ſeruo alieno iudices, aduerſus nos, veluti libellum contradictorium proferunt, rationabile ſimul & certum recognoſcant, quod accepimus ab eodem Apoſtolo Paulo repulſorium: Præcipimus, vobis fratres, in nomine Domini Ieſu Chriſti, vt ſeparetis vos à fratribus ambulantibus inordinatè, & non ſecundùm tradiuionem quam accepiftis à nobis. Et ſic quidẽ auctor ille peruetuſtus locum Pauli, qui in ore nunc paſſim verſatur, Libertinis iſtis, nihil omnino patrocinari demonſtrauit.

2. Theſſ 3.

CAPVT X.

Conſultatio fundamenti alterius, quod in eo ſitum eſt, vt negetur humana eſſe poteſtatis, ſubditorum animos ad certam religionem legibus obſtringere.

EST & aliud fundamentum, quo nituntur etiam illi qui hæreſim non inſticiantur eſſe inſidelitatem, & hereticos, tanquam inſideles, ad Eccleſiam Chriſti, quæ fidelium cœtus eſſe debeat, pertinere non poſſe, pro certo conſtituunt: ſed hæreſim tamen, aut vllum etiam inſidelitatis genus negant aliqua humana lege poſſe prohiberi, aut certam quampiam religionẽ præſcribi ac præcipi: & ideo vnumquemque debere, quantum ad cauſam religionis pertineat, in ſua libertate relinqui. homines enim, qui hîc præſcribant, imperent, cogant, limites excedere creditæ ſibi poteſtatis: propterea quòd ſoli Deo ius ſit in animos, ſoluſque eos ſuis queat legibus obſtringere, quos ſolus intimè

nosse & penetrare potest. Quare cum animi maximè res sit religio & fides, contendunt nullam ab hominibus exsistere posse Legem, quæ aut certi quippiã credere cogat, aut quod libuerit credere & profiteri prohibeat. Addunt etiam, nihil media istiusmodi prodesse solere ad hæreseõn extirpationem; sed cuius est largiri & inspirare fidem, eius esse solius, errorum & ignorantie tenebras ex horum mentibus depellere. In hoc autem libertatis capite, tolerabilius id quidem est quam in superiori, quod hæreses neque negantur, neque extenuantur, neque honorantur; sed tantummodo tolerari iubentur, tanquam nulla hominibus attributa cohibendi coercendique potestate, vel desperata per vllam leuiores disciplinæ viam, curandi ratione, Verumtamen ipsi principij huius ad libertatem artifices, si tam odissent animorù morbos quam corporù, non his artibus medendi rationem & facultatem excludere atque exturbare conarentur. In morbo quidè ac peste aut vulnere corporis, nemo, nisi qui phrenesi laborare putetur, facile dicit: Nolite medicum adducere, nolite vocare chirurgum, nullus hinc eorum industria locus est, mori me sinite, aut Deo soli curandù relinquit. Karus qui sic agat, plerique Medicorù implorant scientiam, & in ipsa propè desperatione, tètari tamen omnia volunt. Nimirù ita dulcis est huius corporis vita & sanitas: ita exosa mors, & solitus præcurrere morbus. Cur ergo tam isti dissimiles in causa religionis? videlicet quia suos languores amant, & hoc pro sanitate deputant, quod ægrotare se nesciunt. utque sibi in suis fauent languoribus, id est, hæresibus; ita aliis quoque similiter affectis, patrocinium ad libertatem quarunt. Ac ne quisquam curandi studio molestus sit, aut instrumenta curationum nituntur infringere, aut conualescendi desperationem profitètur. **Qui autem iactitant ista ratione extirpari hæreses non**

non posse, quid per hoc aliud quam suam in ijs peruerandi obstinationem incautiùs proferunt? Qui enim corrigi nolunt, & in suis obduruere nequitias, dicere solent, dominos circa se operam perdere. neque enim vllò flagello meliores futuros, tametsi non omni ex parte à vero aberret eorù oratio. Ut enim morbi quidam cum inualuerunt, curari non possunt: ita hæreses dum creuere per ignauia dormientium Praefectorum, & iam radices non alte solum, sed longè etiam lateq. egerunt, perque moras neglectæ disciplinæ, vel per impossibilitatem adhibendæ, mali vis cõfirmata est; agrè profectò illæ extirpantur. & sicubi verum est, quod dicit sapiens Ecclesiastes, Peruersos difficulter corrigi; id hoc in genere peruersitatis maximè reperietur esse verissimum. Sed qui potestatem negant vllã esse hominibus de religione præscribendi atque imperandi; aut quia donum Dei fides sit, erroris correctione soli Deo volunt, sublato hominum ministerio, relinqui; hi planè sic differunt, idque agunt, ut ne principiis quidè malorum obsisti possit, integrumque iam per eos sit, his qui præsumunt, somno indulgere: quia solus possit Deus, aduersus eos qui zizania disseminant, iure suo, & cum fructu vigilare. Atqui non obscura hominum reprehensio est, vbi dicitur: Cum dormirent homines, venit malus, & superseminauit zizania. Ille enim somnus est, quem beatus Apostolus excuti vult ab ijs qui præsumunt Ecclesiæ, cum sic eos alloquitur: *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Ego scio quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes peruersa, ut abducant discipulos post se. Propter quod vigilate, memoria retinentes, quoniam per triennium nocte & die non cessauim cum lachrymis monens vn-*

Alter. 20.

quemque vestrum. Hic beatus Gentium Apostolus verbo monet, exemplo sui prouocat atque extimulat, ad excubias contra fidei corruptores agendas. Terret verò etiam Pastorum Princeps Christus, in Apocalypsi Ioannis, quendam è suis ministris somnolentum Episcopum: Si non vigilaueris, inquit, veniam ad te tanquam fur, & nescies qua hora veniam ad te. At quid vigilans faciet, qui malum erumpens videre poterit, cohibere non poterit? qui lupos cernet introeuntes, audiet ululantes, sentiet deuorantes, & terrere, abigere, extrudere, occidere non poterit? Nolles, credo, iam hæreticos vocari lupos: quia maiora terculamenta sint oportet, quæ lupos excedere cogant. Non mouentur nudæ prædicationis voce, non acquiescunt monitis, non terrentur iudicij futuri suppliciis: frustra eis adhiberi correptionem Paulus ipse significat, cum ait, post vnâ atque alterâ correptionem deuitandum esse hæreticum, quia subuersus sit, cum proprio sit iudicio condemnatus. Nec tamen solùm extrudi lupos ex ouili non pateris, verùm etiam si quæ sint oues quæ adire & audire velint, quia deceptæ ouem esse credât, cuius dentes non viderint; aut quia pulchrè illud effingitur, *Prima hominis facies, vtero commissa luporum*, quin illæ pro sua libertate adeant si velint, prohiberi non sinis. Mauis ergo infelices ouiculas deuorari quàm ligari. Sed cur nulla esse poterunt bonarum legum vincula, quæ in ouili Dominico oues simpliciores contineant? quia scilicet animos, soli Deo subiectos, leges hominum ligare non possunt? Quid igitur? solâne compedes, aut funes, aut cathenas hominibus relinquitis, quæ corporibus iniiciantur? Cum enim legum inuisibilia sint vincula, aut leges hominum omnino nullæ sunt, aut inuisibiles animos sua obligatione constringunt. Quibus autem leges dari possunt nisi hominibus, atque id quidem, quia homines sint?

homi-

homines porro cur sint, si queritur; non corpus mihi, & animale sensum pro causa dicturus es, sed mentem atque rationem. Si ergo legibus ij propriè obstringuntur, quibus leges dantur: aut nullæ dandæ leges erunt ab vllis hominibus, aut ijs, si dentur, hominum subditorum animi & mentes obstrictæ tenebuntur. Nonne vides igitur, si quid tuum argumentum valeat, vno te eius ictu, & tanquam vna percussione omnium & secularium, & ecclesiasticarum legum vincula resoluisset? Quid frustra conflare niteris odium Legibus ijs quibus imperetur religio, tanquam per eas in seruitutem iniultam animi redigantur, cum, si te ipsum audias, ne aliam quidem vllam esse legē passurus sis?

CAPVT XI.

Constringi posse Legibus homines, non ad ea modò qua sunt corporum, verùm etiam ad ea qua sunt animarum.

DICES, Legibus quidem animos hominum constringi posse, sed ad ea quæ corporum sunt, non ea quæ sunt animorum. Primum nulla ratio est, cur si teneri constrictus lege possit animus, non tam ad ea quæ sunt animi, obligari possit, quàm ea quæ sunt corporis. Maximè enim homines ad ea possunt obstringi & obligari, quæ maximè habent in sua potestate. magis autem in potestate sunt operationes animi, quàm corporis: quæ & cum nolumus, vel per ægritudines, vel aliena violentia impediuntur. illæ pro nostro arbitrio, & inuitis suscipiuntur omnibus. Si ergo humanus animus vinculum legis recipit, æquius est ad hoc adstringi, quod facillimè, si velit, possit, quàm ad ea quæ sæpe nō possit, etiam si maximè velit. deinde cum sint legum, vt diximus, inuisibiles obligationes, & spiritualia quædam vincula, cur ad inuisibiles operationes atque interiores nequeant obstringere? Cur si hoc

f s

ficti

fieri non potest, & præceptor discipulo præcipit attentionem, & dominus seruum vult habere memorem, & ipsa nonnunquam Ecclesia, pro salute communi, pias requirit ad Deum preces? Exteriora quoque ipsa quæ præceptis superiorum exiguntur, ingrata plærumque futura essent, si non interior animorum motus & affectus responderet. Nemo fictum & fucatum amat obsequium: nemo hypocrisis suo præcepto postulat, aut obedientiæ loco ducit. Vnde intelligitur, quibus legibus exteriora præcipiuntur, ijisdem interiorum animorum inclinationem requiri, sine qua, quod præcipitur, bene gerit, & vera obedientia impleri non possit. Cum igitur religio non solius animi res sit, verumetiam corporis, neque interioribus dumtaxat animi motibus, sed corporis etiam quibusdam exercitijs deferatur: qui ad exteriora ipsa lege obstrinxerit animos subditorum, ad interiorum eoislo pietatem, quæ exteriori consonet, obligarit. An quia interiorum mentis statum & arcana cordis nequit legislator inspicere, idcirco actum interiorum suo præcepto non requirit? Quasi hoc præcipiendi ratio postulet, vt is, cui quid præcipitur, intus notus habeatur, vt exploratum sit, velitne, quod iubetur, facere, vt, si non paruerit, puniatur. falsa ista persuasio est, non posse quemquam præcipere, quod vtrum fiat, obseruare non possit: nec ei longius progredi licere imperando, quam liceat puniendo. Quid si à superiore delegata ministro sit potestas præcipiendi, reueruata puniendi? Dei hoc proprium est, nulla delicta impunita relinquere. Ex tamen quam multa præcepta dat, quorum hic non punit transgressores? potest ille quidem qui nouit omnia, sed cum sapissimè quod possit non faciat puniendo, & tamen præcepto instare non desinat; perspicere voluit, considerandumque reliquit, ab hominum ministerio nihil fore alienum, si plura illi præcipiant, quam possint prætermissa & vio-

lata

lata punire. Quia reuera cum tanquam Dei ministri homines præcipiant, sufficit vt ij qui non parendo deliquerint, à supremo Domino possint iudicari. Quænam, inquis, præcipiendi erit vtilitas, si non possit is qui præcipit, de obseruatione cognoscere atque iudicare? Primum iudicaturus est ille, cuius vice homo præcipit. Deinde præcepto salutari sua semper vtilitas manet, quod instruat ignaros, excitet somnolentos, pigros exstimulet, confirmet meliores. Postremo, quia dictum est religionem non interioribus modo animorum motibus, verumetiam exterioribus quibusdam officijs atque exercitijs contineri, cum fatentur ipsi, de exterioribus præcepta, & leges dari posse, quæ animos obligent, nonnullam nobis relinquunt de interioribus quoque cognoscendi facultatem. Quid enim intus lateat, non sinit obscurum esse, qui recusat, quod foris præcipitur obseruare. Qui autem falsa obseruationis specie fidei sunt, hominum quidem possunt effugere iudicium, sed Dei non possunt. Neque tamen cum Ecclesiæ legibus obtrèperantes videmus eos qui prius in aperta hæresi versabantur, anxij debemus esse, ne forte simulata sit obedientia, sed in meliorem interpretari partem, neque temere proximum iudicare, ne ipsi propterea à Dño iudicemur. Ex quibus intelligi potest quæ vana sint quæ sic scribuntur: [Potestas quæuis tantum ibi agere potest & debet, vbi videre, agnoscere, iudicare, sententiam ferre, addere & mutare potest. Nihil enim debet certius esse iudicio, in quo omnia clara, explorata, meditata esse debent. Animi vero, & cordis recessus, & arcana soli Deo patent: ex quo sequitur vanum & arrogans esse, imperare, aut velle vi cogere quemquam, vt sic vel sic credat & teneat.] Et illa quidem ad hunc modum effutiantur, At fallum imprimis est, non posse quemquam illic imperando agere, vbi nequeat iudicare, & sententiam ferre. Quid enim

impe-

imperandum sit, id ex iustitiâ, aut pietatis regula in aperto est: quid autem secundum imperium factum sit, vel non factum, sæpenumero ne inuestigari quidem potest. Contingit etiam ut aliquis ex commissione præcipiat, qui tamē, quod id commissum non sit, de transgressione iudicare non possit: aut ita creditum, secundum præfixas leges iudicium est, ut addere & mutare nefas sit. Quod autem animi & cordis recessus soli pateant Deo, num id, rogo te, in causa fidei & religionis tantummodo locum habet? Nonne & in amicitijs humanis atque inimicitijs? & tamen ij qui præfunt, reconciliationes gratiarum imperant, inimicitias prohibent. neque ignari sunt, fictas esse amicitias posse, in quas ab inimicitijs redeatur: sed tolerare malunt in republica fictas quorundam amicitias, quam eorundem periculosa dissidia perpeti. Quid ergo est quod ais, neminem agere imperando posse, ubi non possit certissimo clarissimoque iudicio ferre sententiâ? Et quænam illa inter homines tam clara & explorata iudicia sunt, ut animi cordisq. recessus, quos soli Deo patere dicis, perspecti habeantur? Si talia nulla sunt, sitque interdum ut iustus etiam iudex, secundum allegata & probata sincerissimè diligentissimeque procedens, innocenter condemnet innocentem; sequetur non modò in causa religionis, sed & in quavis alia, vanum esse & arrogans imperare, aut vi cogere velle. Denique etsi quid quisque secretiùs in animo probeat vel improbet, exploratissimum haberi nõ valeat: quid tamen in religione debeat approbari & suscipi, satis ex verbo Dei exploratum est, ut præscribi & præcipi etiam sub anathematis interminatione possit: sicut Paulus sub anathemate prohibuit, aliud quam fuerat euangelizatum prædicare: & si, quod imperatum est de fidei exercitio, aperta violatione contemnatur, nullus in ferenda sententia poterit esse iudici scrupulus, iuris ordi-

dine

dine in causa procedenti, etiamsi cordis arcana & recessus, qui soli Deo patent, non exploratissimi habeantur. Eiusdem farinae est, quod adiungitur [Cum omnes fateantur Ecclesiam nihil iudicare de occultis, ipsi tamen conantur tam arcana, tam diuina, qualis est fides, iudicare atque statuere.] Quid hic sibi vult leuissimus verborum fumus? An iudicat aut statuit de occultis, qui ex manifesta diuini verbi regula, quid omnibus credendum, quæ sequenda religio sit, præscribit & imperat? quãvis enim quid quisque credat, occultum est, neque de eo, nisi vel opere vel verbo profertur, iudicari possit: tamen quid credendum suscipiendumque sit, occultum nõ est. Et ideo Theodosius, Imperator Catholicus, non dubitavit, publico decreto edicere, velle se omnes in ea religione versari, quam beatum Petrum Romæ tradidisse, & Damasum, qui tunc Ecclesiæ præerat, sequi constabat. atque addit: Hanc legem sequentes, Christianorum Catholicorum nomen iubemus amplecti: reliquos verò dementes vefanosque iudicantes, hæretici dogmatis infamiam sustinere, diuina primùm vindicta, pòst etiam motus animi nostri, quem ex cælesti arbitrio sumpserimus, ultione plectendos. Ac ne quis imperium hoc ad religionis exterius exercitium referat (quamuis si de exercitio præcepisset, nostræ id causæ sufficeret) aduertendum est, quod religionis vocabulum interpretans, in qua dixerat se omnes velle versari, subiungit: Hoc est, inquit, ut secundum Apostolicam disciplinam, Evangelicamque doctrinam, Patris & Filij & Spiritus sancti vnã deitatem sub pari maiestate, & sub pia Trinitate credamus. Quid luculentius, quam illum sua lege præscribere atque imperare, ut omnes credant? Credere autē, actus est religionis interior, quem in cordis penetralibus videre solus Deus potest: exigere verò legis præcepto, etiã homo ex diuina ordinatione valet.

Lib. 9. tit. 1.
Inst. c. 7.
Codice De
summa Trinitate,
& fide (ait).
Tit. 4.

CAPVT

CAPVT XII.

Nihil id facere pro libertate credendi quod libuerit, quia suo quisque periculo credit, vel non credit.

BELLA sunt quæ sequuntur: [Iam & cuius, inquit, suam discrimen & periculum in hoc situm est, quomodo credat. sibi enim videndum est, ut rectè credat. Ut enim nemo potest pro te venire vel in cælum, vel in orcum: sic nemo credere potest pro te, aut non credere.] Totidem dixisses verbis: Suum cuique periculum & discrimen est in hoc situm, quomodo viuat. sibi enim videndum est ut rectè viuat, nec alius pro alio viuere rectè potest: quia secundum Apostoli sententiam, unusquisque onus suum portabit, & referet quisque non solum secundum ea quæ credidit, verum etiam secundum ea quæ gessit in corpore suo. Tu iam quid colligis? nemo ergo, inquis, ad fidem cogendus, nemini imperanda religio. Quare & ego similiter, cum te ad id habeam ducem, nemo ergo, si malè viuat, cogendus bene viuere; nemini, ut à sceleribus abstineat, ut falsum testimonium nullum dicat, non peieret, non blasphemet imperandum. Et, [Ut in nullius potestate est, inquis, tibi cælum & inferos claudere vel aperire: sic nemo te ad fidem vel infidelitatem cogere potest.] Nemo ergo, inquam, etiam ad restitutionem alieni cogere quemquam poterit, aut à cæde cohibere, ne vel cælum aperiatur restituenti, vel inferi claudantur innoxio, aperiendi homicidæ. Est interim verum; neminem cogi posse eò, ut credat etiam inuitus, & cælum cum nolit, ingrediatur: eo quod simul ea per rerum naturam consistere nequeant. vsque adeò ut nec Deus quidem ipse sic cogere quemquam possit ad fidem; quem cælum aperire posse, non es, ut arbitrò, negaturus. Sed sicut aperitur quibusdam cælum iniustus, non ut iniusti cælum intrent, sed quia ex iniustis

stis iusti fiunt, ut possint intrare: sic quidam coguntur ad fidem, non ut credant etiam inuoluntarij, quod fieri non potest: sed ut coactione vexati, ipsaque vexatione intellectum dante immutati, fidem aliquando uoluntarij suscipiant, quam prius respuebant.

CAPVT XIII.

Nihil facere pro dicta credendi libertate, quod fides Dei sit opus.

QUID enim addis, fidem esse diuinum opus in Spiritu sancto, ideoque humana vi effici & exprimi non posse: tale est, ut si diceres, fidem esse Deidonium in Spiritu sancto, & ideo hominum prædicatione, correptione, miraculis exprimi non posse. Nam ut hæc sine diuinæ gratiæ concursu nihil profunt, ad inducendam aut conseruandam fidem: sæpe tamen eò conferunt, cum ad plantatoris ministerium, supernæ irrorationis accesserit incrementum. Dicebant & hoc Pelagiani hæretici, neminem fore corripiendum atque obiurgandum, quia deliquisset, si Dei donum esset respicientia aut perseuerantia. quibus respondens Augustinus: Nemo, inquit, dicat non esse corripiendum, qui exorbitat de via iusta, sed ei reditum & perseuerantiam à Domino tantum esse poscendam: nemo prudens & fidelis hoc dicat. Si enim secundum propositum vocatus est iste, proculdubio illi etiam quod corripitur, Deus cooperatur in bonum. Vtrum autem sic sit vocatus, quoniam qui corripitur, nescit: faciat ipse cum charitate, quod scit esse faciendum. scit enim talem corripiendum, facturo Deo, aut ad misericordiam aut ad iudicium. Misericordiam quidem, si à massa perditionis, ille qui corripitur, gratiæ largitate discretus est, & non est inter vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem, sed inter vasa misericordiæ, quæ præpara-

*Lib. de correptione
& gratia. c. 10*

rauit

rauit Deus in gloriam. Iudicium verò, si in illis est damnatus, in his non est prædestinatus. Sic Augustinus. Itaque multis constat, siue ad credendum, siue ad morum correctionem, molestias correptionum profuisse: non humana vi sola, fidem aut perseuerantiam exprimente, sed per humani flagelli admonitionem ac pulsationem aperiante sibi cor hominis Deo. Quamuis enim homo pulsanti Deo cor aperit suum, ut propterea dicat, Ecce ego sto ad ostium, & pulso, si quis aperuerit, intrabo ad illum: ipse tamen qui pulsat, modis per se vel suos innumeris, secretiore quoque gratia, ut sibi aperiatur, efficit. Sed vos aperiētē vultis Deū agnoscere: pulsantem nō vultis audire. At qui stat ipse ad ostium, & pulsat: neque id profectō faceret, nisi isto modo soleret intrare. Cū intrat, donum illud est in Spiritu sancto, quod dicitis, meritoque commendatis. Sed in ijs modis quibus pulsat, illa etiam inuenitur compulsio, quam non recipitis. Duriora quippe corda, & alto quodam infidelitatis somno consopita, pulsu vehementiore ferienda sunt: & quod vni excitando sufficit, alteri sæpe nihil profuerit. Ea de causa duritiem quorundam sic Dominus increpauit, ut diceret: Si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiā egissent. Durior etiam Paulus erat, cū Ecclesiā Dei persequeretur, nec ei leuiter cordis aures superbia crudelitasque obstruxerant, quem nihil prædicatio Euangelicæ veritatis, nihil discipulorum Christi innocentia, nihil circumstantiæ temporum, nihil miracula, quæ ad credendum profuerant plurimis, commouebant. Et ideo pulsu fuit opus eo, qui grauius cordis ianuas concutiens, aperire compelleret. Pulsauit ergo Dominus cælesti fulgure, pulsauit deiectione, tertore, cæcitate, voce: tandemque ille aperuit, cū dixit, Domine, quid me vis facere? Exhibuit Domino cor apertū,

quia paratum ad obedientiam: & hoc ipsum de singulari dono eius qui conterit cedros libani, & superbiæ montes deiecit, ut humilitatis valles efficiat, in quas procliuiore lapsu possint gratiæ cælestis fluentia decurrere. Sed eum qui sibi cor molliuit atque aperuit, ut id fieret, pulsasse meminerimus; nec simpliciter pulsasse, verum etiam compulsisse: non ut inuitus ille crederet, ac nolens obediret, sed ut per compulsionis violentiam superbi cordis fracta duricie, humilis agnosceret: atque susciperet, quod superbus durusque persecutor, exterminare nitentur. habes ergo vim quæ fidem exprimit: quam si diuinam, non humanam fuisse dixeris, nihil egeris. Eadem enim est, à quocunque profecta sit, natura violentiæ: nec tam interest à quo vel per quem adhibeatur, quam quò quisque per eam compellatur. Quid ergo illud quod vulgatum dicitis: Ad fidem nemō nec debet, nec potest cogi: apud quos vulgatum, nisi apud vos est? Et si eo, ut dicitis, Augustinus vsus est, quod tamen non ostendis, cur contra Donatistas agēs, apud quos etiam hoc vulgabatur, Pauli Apostoli producit exemplum, quem Dominus non solum fide sanauerit, sed etiam ut sanaret percussit: nec solum ad se receperit venientem, verum etiam compulerit ut veniret: non solum humilem amplexus sit, sed etiam, ut humilis fieret, magna vi ferocientem deiecerit?

CAPVT XIII.

Non irritum atque inanem, sed vtilem plane eorum conatum compertum esse, qui terroribus, minis, pœnise hereticos ad fidem compellunt.

AD hæc (inquis) miseri, cæci que, quam vani & irriti sint illorum conatus, nō vident. Quantum tamen siue præcipiant, siue insaniaant, non tamen vana agere possunt mortales; quam ut eos ore manūque sequantur.

sequantur. Corenim nequeunt impellere etiam si
 gumpatur.] Magna verò tu cæcitate in hæc verba præ-
 ceptis erumpis; tuaque ex hac miseria, cæteros quoque
 mortales perinde miseros æstimas. Falleris, nõ eadem
 omnium quæ tui cordis obstinatio est. quâquam nec
 de te compertum habeas. multos in hæresi detinet
 mollior quædam & laxior viuendi consuetudo: qui
 interdum, cum sic viuere cupiant, negent tamen velle
 se ita mori. Tenent alios rei familiaris vincula, alios
 propinquitatû necessitudines, alios possessiones, alios
 hæreticorum de Catholicis mædacia: quorum magnæ
 sequuntur gratulationes, quòd eorum per compulsio-
 nem; Deus vincula diruperit, atq. ad communionem
 Catholicam isto modo traduxerit. Reperiuntur & illi,
 qui cum errorem amplexi fuissent, securius quàm at-
 tentius; postea terroribus excitati, putent sibi, quòd
 simplicius tenuerant, discutendum: ideoque monitis
 atque instructionibus aures præbent, ne fortè sine villo
 fructu salutis æternæ, damna temporalia patiantur.
 Denique & illi qui errabãt antea pertinacius. tamen
 Catholicæ consuetudini redditi, primò inuiti sese ac-
 commodent: atque adiungant; histaque obedientia
 aliquanto tempore suis illudant pastoribus: tamen
 ipsa interdum mollescunt consuetudine, tandem que-
 lubentes faciunt, quòd, metu compulsi, antea facere
 consueverunt. Neque hæc temporis huius dumtaxat ex-
 perientia comperta sunt: sed euenit ad eum modum
 suo quoque tempore expertus fuerat Augustinus; qui,
 cum Donatistæ aduersari sibi Principum leges que-
 rerentur: respondit propter misericordiam Christi
 magis esse pro eis leges istiusmodi, quàm illis videban-
 tur aduersa. Quoniam multi, inquit, per illas correcti
 sunt, & quotidie corriguntur, & se esse correctos, atq.
 ab illa furiosa pernicio liberatos, gratias agunt; & qui
 oderant, diligunt, molestasque sibi fuisse saluberrimas
 leges, quantum in infania detestabantur, tantum re-
 cepta

Epistola 50.
 ad Bonifacium.

cepta sanitate gratulantur. Et rursus, Vnde magna
 inquit, in eo fit misericordia, cum etiam per istas Im-
 peratorum leges, ab illa secta prius eripiuntur inuiti,
 vt in Catholica postea bonis præceptis & moribus sa-
 nentur assueti. Nam multi eorum, quorum iam in vni-
 tate Christi pium fidei seruorem charitatem: que mi-
 ramur; cum magna lætitia Deo gratias agunt, quòd
 illo errore corruerunt, vbi mala ista, bona putauerunt.
 Quas gratias modò volentes non agerent, nisi prius
 etiam nolentes, ab illa nefaria societate discederent.
 Quid de illis dicamus, qui nobis quotidie cõfitentur,
 quòd iam olim volebant esse Catholici, sed inter eos
 habitabant, inter quos id quòd volebant esse, non po-
 terant per infirmitatem timoris? vbi, si vnum verbum
 pro Catholica dicerent, & ipsi, & domus eorum fun-
 ditus euerterentur. Quis est tam demens, qui neget
 istis debuisse per iussa Imperialia subueniri? vt de tãto
 eruerentur malo, dum illi quos timebant, timere
 coguntur, & eodem timore aut etiam ipsi corrigantur,
 aut certè cum se correctos esse consingunt, correctis
 parent, à quibus antea timebantur. Et iterum: Si ea
 quæ non contemptu, sed ignorantia religionis com-
 mittuntur, mitius vindicanda; numquid ideo negli-
 genda sunt? Melius est quidem (quis dubitauerit) ad
 Deum colendum doctrina homines duci, quàm pœ-
 næ timore vel dolore compelli: sed non quia isti me-
 liores sunt, ideo illi negligendi sunt. Multis enim pro-
 fuit (quòd experimentis probauimus & probamus)
 prius timore vel dolore cogi, vt postea possint doceri,
 aut quòd iam doctrina didicerant, opere sectari. Et in-
 fra: Cum ipsæ leges, inquit, venissent in Aphricam,
 præcipue illi qui quærebant occasionem, aut seuitiam
 furentium metuebant, aut suos verecundabantur of-
 fendere, ad Ecclesiam continuò transierunt. Multi
 etiam qui sola illi à parentibus tradita consuetudine

tenebantur, qualem verò causam ipsa heresis haberet, nunquam antea cogitauerant, nunquam quærere & considerare voluerant: mox ubi cœperunt aduertere, & nihil in ea dignum inueniri, propter quod tanta damna pateretur, sine vlla difficultate Catholici facti sunt. Docuit enim eos sollicitudo, quos negligentes securitas fecerat. Istorum autem omnium præcedentium auctoritatem & persuasionem secuti sunt multi, qui minus idonei erant per seipsos intelligere, quid distaret inter Donatistarum errorem, & Catholicam veritatem. Ita, cum magna agmina populorum veram in sinum gaudens reciperet, remanserunt turbæ duræ: ex quibus plurimi simulando comunicauerunt, alij paucitate latuerunt. Sed illi qui simulabâr, paulatim assuescendo, & prædicationem veritatis audiendo, ex magna parte correcti sunt. Scit enim Dei misericordia, harum legum terror, & quædam medicinalis molestia quam multorum sit prauis vel frigidis animis necessaria, & illi duritiæ, quæ verbis emendari non potest. Hæc diuus Augustinus.

CAPVT XV.

b. Cum duplicem faciant religionis libertatem conscientia videlicet, atque exercitij: neutram in Rempublicam introducendam esse, aut Ecclesia Dei nullo modo conuenire, ac primum de libertate conscientie.

DE M O N S T R A T I S hætenus, conuulsisque primariis libertatis perniciosæ fundamentis, ostendimus nunc, eiusmodi libertatem nullo pacto introducendam esse in Rempublicam, neque eam cum Ecclesia Dei materna sollicitudine, vnitatem, pulchritudine, ordine, disciplina bene consistere: vt posteaquam intellectum est, illos in libertate sua petenda, male esse fundatos, intelligatur etiam, Catholicos in eadem neganda

ganda, magnis doctrinæ prudentiæque rationibus esse confirmatos. Cum igitur libertatē religionis diuidant bipartitò, & aliam conscientiæ, aliam publici exercitij faciant: priorem illam conscientiæ, solam interdum secularij postulant, eaque pollicentur se fore contentos. Conscientiæ porò libertatem esse tum intelligunt, cum priuatim quisque & sentire & agere, in ijs quæ sunt religionis, permittitur; prout ei proprius animus & conscientia dictauerit. Verbi gratia, vt ieiunet, non ex præscripto legis, sed cum libuerit, sicut Acrius volebat hæreticus, idque propter libertatē. Confessarium adeat Sacerdotem, sacrificio Missæ, concionibusque sacris intersit, si id probauerit: domi quoscunque velit, de his quæ religionis sunt, & habeat, & legat libros: proles sibi natas, aut baptizari curet paruulas, aut duntaxat adultas: ceteraque ad eum modum sic faciat, vt in ijs, quomodo sibi neminem molestum esse patiatur, ita nemini ipse molestus sit; siue, quemadmodum aiunt, vt sine publicæ pacis perturbatione, & aliorum offendiculo, vitam trahat. hæccine ergo introducenda libertas est? Omnino, si ea charitas, si hoc institutū Ecclesiæ est, vt quoslibet suæ curæ concreditos perire patiatur pro ipsorum arbitrio: si in ea nullus ordo, nulla disciplina habenda sit: si non scelera modò omnis generis, nec hæreses solùm quascunque, sed ipsum etiam atheismum in Ecclesiam, introduci cupiamus: si serpere occultas pestes, & noxiis errorū ac vitiorum contagijs infirmos quosuis infici probauerimus: si vacuari Ecclesias, negligi Dei verbum, domesticas ali & foueri discordias: si denique inimicos Ecclesiæ & pietati, quàm plurimos conciliare voluerimus, à quibus ipsa postea vim apertam, & arma cruenta patiatur. atque, vt ex his quæ commemorauimus, singula attingamus incōmoda: nonne crudelis Ecclesia foret, si quos ire videret in exitum præcipites, non, si posset interdum,

dum, cogeret sistere tam infelicem gradum? non Patrem cælestem imitata, qui quos diligit castigat, & flagellat omnem filium quem recipit, ipsa quoque materno amore incitata, salubrem castigationem, & pia verbera adhiberet? Si quis, ait Ioânes, viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? at isti necessitatem patiuntur tanto grauiorem, quanto pluris esse anima quàm corpus debet. Eget mendicus pane, quo venter impleatur: isti verbo Dei, & instructione, qua mens reficiatur, quæ errorum inanitate contabescit. Durus sit oportet atque inhumanus, qui cæco erranti non monstrat viam: qui non etiam interdum ad præcipitium incauto gressu properantem, vehementius retrahat. Quis autem erret perniciosius, quàm qui portum salutis petere se existimans, in saxa & cautes, æternum facturus naufragium, illiditur? Occupat eorum animos mortiferum frigus, quorum non solum refrixit charitas, sed etiam infidelitatis gelu corda cõstringit. Nudi sunt etiam & pauperes, miseri prorsus, & miserabiles: non id ergo agetur remediis opportunis, vt calefacti & recreati, fidei ac iustitiæ vestibus muniantur? in ignem se deijciunt, non eripientur? laqueum sibi errorum parant, quo pereant, non ille præciderit? Denique cum plerique idonei non sint qui sibi bene consulant, charitatis est, ipsis vel inuitis bene consulere, non eos suis committere conscientis, quas non scientia & fides informat, sed ignorantia & vitiorum amor parit. hominem eum quidem quem fecit Deus, reliquit in manu consilij sui: quia sapiẽtem prudentemque fecit, perque omnia rectum: qui nihil prauum appeteret, nihil falsum approbaret, suoque posset regi cõsilio, non egeret alieno. At posteaquam ab illa integritate desciiuit, posteaquam, cum in honore esset, non intellexit, comparatusque est iumentis infi-

insipientibus; & similis eorũ effectus, cœpit ei perniciosum esse relinqui sibi, & proprio, quod sæpe fatuũ est, regi consilio. Quamobrem ab eodem Ecclesiastico *Ecl. 17.* scriptum sic est: Fili in vita tua tenta animã tuam, & si fuerit nequam, non des illi potestatem. Nõ enim omnia omnibus expediunt. Idcirco etiam ad irã Desperinet, quod de quibusdam legitur dictum: Et dimisi eos secundum desideria cordis eorũ: ibunt in aduentionibus suis. *Psal. 50.* Quod si sanum semper esset consilium, omniumque bonæ forent conscientiæ, quidquid sibi expediret, satis vnusquisque prospiceret; tum quidem non de nihilo diceretur suæ quisque conscientiæ, suoque consilio relinquendus. Sed cum constet, noxia consilia & conscientias malas esse multorum, neque sunt nostra secula, Apostolorũ feliciora temporibus, in quibus iam tũ erant, qui repellentes bonã conscientiam, circa fidem naufragiũ fecerant; cumq. denũciat ipse futuros, quorũ sit cauteriata cõscientia, tanquam videlicet pertinacissimæ nequitia indelebili inuisa cauterio: nihil est aliud, suæ quæque cõscientiæ relinquere, quàm plerosque perdere. Si vitiosus equus est, cui se periculose credat fessor, relinquatur. Si perforata nauis trãsmittit aquam, festinata suadet egressio. Si imperitus medicus ægrũ videtur esse perditurus, remouetur. Nemo dicit, equo quisq. suo relinquatur, nisi bonus sit: aut nauis, nisi integra: aut medico, nisi perit. In his ac similibus rebus, ad vitã corporis tuendã pertinentibus, tã solliciti, in causa cõscientiæ, & salutis æternæ, tam mali erimus consultores, vt vnumquẽque suę cõscientiæ relinquendũ prædicemus? Et interpretãtur interim sibi dictum: Omnia probate, & quod bonum est tenere. Quasi (inquit Tertullianus, cuius etiã ætate quidam Libertini hoc ipsum Apostoli verbum vsurpabant) non liceat omnibus malè examinatis, iniectione alicuius mali impingere per errorem.

CAPVT XVI.

Frustra esse pastores in Ecclesia, si permittenda cuique est sua conscientia Libertas.

IAM cur sint in Ecclesia pastores ac præfecti, nisi ut illis obediat? Ideo enim hoc Paulus præcipit: Obedite, inquit, præpositis vestris. ipsi enim pro vobis peruiolant, rationem pro animabus vestris reddituri. Frustra est pastor in grege, si non eum sequi debeant oves: frustra imperator in castris, si non ei parere per omnia debeant milites. Si quemque suæ conscientia relinquendum putas, iam pastoris conscientiam exsoluisti. Quam tamè Dominus vsq. ad eum non exsoluit, ut dicat eos Apostolus pro suis ouibus rationem esse reddituros. Quos sic etiam cum parum officij sui meminerint, terret Deus per Prophetam, ut tollendos è medio perdendosque denunciet: quia quæ perierint, non requirant; quæ sint infirma, non confirmant; quæ morbida, non curent; quæ contracta, non consolident; quæ errent, non reducant. Vel vnus Pauli nos exemplum cumulatissimè instruat, ad hanc vanitatem refellendam. Cum enim apud Corinthios inflati quidam essent; quia videlicet moniti & correpti à suis pastoribus non acquiescerent, neque ad eorum se præcepta & regulas accomodare vellent, tamquam ad eos Paulus, quem plus formidabant, non esset ipse venturus: hic ergo Paulus, cum tales essent quidam, nunquid rescripsit: Sinite iam illos posteaquam admoniti sunt: nemo sit eis molestus, relinquuntur suis conscientijs: minimè verò, sed ad illorum terrorem, venturum se esse denunciat, & cogniturum non sermonem eorum qui inflati sunt, sed virtutem. Ac ne nihil aliud eum existimes, cum illò venisset, quam verbo fuisse commonefacturum, aut etiam correpturum, increpaturumque durius; virgam quoque, vltionemque mina-

tur. Vultis, inquit, in virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu mansuetudinis? Et ne quis diceret ad vitia morum illa pertinuisse, nõ ad propriam diuini cultus & religionis rationem: generale postea præceptum dedit, quò omnem veller corruptelam extirpari: Auferre, inquit, malum ex vobis ipsis. hoc autem dicit, quòd de ijs qui intus essent, Christianique censebantur, volebat iudicari, atque in eos per iudicium Ecclesiasticum animaduerti, ut Ecclesia, quoad fieri posset, munda & incorrupta seruarietur. Dicat nunc aliquis hæreticum suæ conscientia esse relinquendum, sed is qui hæresim non putet esse malum. Quòd si malum est, erit igitur, simulatque perceptum deprehensumque à pastore fuerit, è medio dissipandum. Nisi fortè leuius quis putet malum esse hæresim, quam fornicationem, & cancrum mentis tolerabiliorem quam corporis, & nummi falsationem quam imaginis Dei, aut leuiora fidei, quæ iustificat, esse detrimenta, quam morum, quorum est fides ipsa fundamentum. Mira peruersitas, & stupenda etiam sui ipsius obliuio. Nihil aliud quodam tempore quam fidem inculcant, commendant, extollunt, ut quæ sola, quod aiunt, iustificet, sola nos Deo coniungat, sola spem faciat nobis æternæ hereditatis adipiscendæ. Cur aliàs ergo tantum boni tam parui pendunt, ut hoc vitium, à quo illi perniciës impendet, tam leue ducant? ut faciliùs puniendum putent iustitiæ per falsum testimonium, aut pudicitia coniugalis per adulterium corruptorem: quam fidei per falsa dogmata subuersorem? An non falsus testis, qui cum ad Christi imitationem, testimonium perhibere deberet veritati, noxiæ tamen perhibet testimonium falsitati? Non falsus aduersus Deum testis, prædicator confirmatorque mendacij: cum metueret Paulus, ne falsus Dei testis inueniretur asserta suscitatione Christi, si omnino mortui non resurgant?

CAPVT XVII.

*Quantum sceleram inuehat in Rempublicam hæc
conscientia libertatis vsurpatio.*

ET tamen quoniam volunt vnumquemque suæ conscientiaæ relinqui; quam in vno genere libertatem probauerint, eandem in alio quolibet probent, necesse est. Quid enim si alicuius perinde conscientia diceret adulterium aut falsum testimonium non esse peccatum, atque alterius conscientia in eo sibi pulchre satisfacit, quòd Ecclesiæ Leges non obseruet? At Lex Dei, inquis, illa prohibet. Quasi desint hoc tempore, quorum conscientia non multa audeat probare; quæ diuina Lege improbentur. Quasi non contra Dei & Euangelij Legem disputet, qui repudiata propter fornicationem, aut etiam perpetuam ægritudinem coniuge, aliud affirmant iniri posse coniugium: qui non alienum censent esse ab Euangelio, aut naturæ lege, si quis Christianus plures sibi simul iungat vxores: si quis consanguineæ in propinquioribus etiam gradibus copuletur: si quis villo casu neget vsurpari posse iusiurandum, aut doceat latendi gratia etiam in causa religionis, non illicitum esse mendacium. Et quid illa commemoro? Nō enim desunt locis compluribus, qui, quod insipiens dixit in corde suo, Non est Deus, non corde modò concipere, sed ore etiam proferre nō dubitent, & longas contra Dei prouidentiam disputationes, non occultis sermonibus colloquijsque cōtexere. Ergo & atheismus, & magicarum vsus artium, si cuius eum conscientia non improbet, tolerandus erit in Ecclesia: imò hac conscientia libertate introducta & probata, honorandus, fouendus, propagandus. Timebat Apostolus suoque exemplo his qui præsumunt, in Ecclesia metuendum esse docebat, ne, sicut serpens seduxit Euam astutia sua, ita corrumperentur Christianorum

sensus

sensus à simplicitate quæ est in Christo Iesu. Ne verò se inaniter timere diceret tantum mali, etiam id ne eueniret, sedulo prouidebat. Ideo enim aliquos satanæ tradidit, quòd eorum sermo vt cancer serperet, & simpliciores Christianos occultis seductionibus inficeret. Isti verò securi homines nihil metuunt, nullam simpliciorum subaersionem pertimescunt: & cum Pergamenus Episcopus per Ioannis Apocalypsim sit reprehensus, quòd in sua diocesi pateretur esse qui tenebant doctrinam Nicolaitarum: isti per totam Ecclesiam teneri liberè patiuntur omnium doctrinas hæreticorum, & omnium sacrilegia atque execramenta perditorum. Sic ergo paulatim vacuantur Ecclesiæ, sic deserta relinquitur Hierusalem, vt non sint qui veniant ad solennitates; sic concionibus, & verbi Dei prædicatione posthabita, vacatur theatris & poculis, & per legendi effandi que omnia quæ collibuerint impunitam licentiam, domesticis controuersijs generatis, ipsa quoque pax publica & concordia laceratur.

*Publica nam requies priuatis rure foroque
Constat amicitijs: scissura domestica turbat
Rem populi: titubatque foris, quod disidet intus.*

*Prudentius in
Ptychomachia
de pugna concordie & discordie.*

CAPVT XVIII.

De libertate exercitiorum.

IGITUR libertas illa conscientia, hoc est, omnium scelerum priuata quædam circa singulos impunitas, cum sensim vermiculi rodentis in morem, reipublicæ florem ac medullam & robur consumpserit, ruinam tandem reipublicæ dissolutionemque parit. Proflitit ab omnibus sectis ad propria cuique exercitia, & quæ prius serpebat occultè, postea sese publicis conciliabulis, coronis, theatris, scholis, Ecclesijs, signisque alijs manifestat: quæ prius non catebat scandalis operum

rum

tum (nam frustra se pollicentur sine offendiculo vi-
cturos, qui hoc ipso scandalizant, quod Ecclesiæ le-
ges & constituta non sequent) postea publicis apertil-
que sermionibus, ruinas efficit plurimorum. Quam
exercitiorum libertatem qui in Republica ferendam
& approbandam putant, perinde agunt, ut si (quod ri-
detur in fabulis) fullonem cum carbonario pacificè &
commodè habitare, suasque simul artes sine mutua
offensione exercere posse, arbitrentur. Accidat enim
quotidie necesse est in Republica, quod illis in officina:
ut quæ dealbarit vnus, alter tanquã fuliginis asper-
sione commaculet. eo autem fit ut ad detrimenta per-
diti pij laboris, qui multos dealbarat atq. purgauerat,
iræ quoque & offensiones accedant: per quas coire
pax & amicitia nullo modo possit. Namque,

Vt gaudere pares paribus, sociamque libenter

Vnanimes vitam continuare solent:

Sic qui dissimili studio latentur & arte,

Illos nulla potest consociare dies.

Quò pertinet quod diuus Ambrosius scribit Officio-
rum libro tertio: Inter dispares mores, inquit, non po-
test esse amicitia, nec potest homini amicus esse, qui
Deo fuerit infidus. Quòd si inter mores dispares esse
amicitia non potest, inter pugnantem inter se fides ac
religiones esse poterit? Sed aliud quiddam in amicitia,
quàm vnus fidei cõmunione, spectandũ esse nõnulli
arbitrãtur: eumq. propriæ fidei pietatĩq. nomine ho-
mines habere deberet amicos; illa postposita, cum hæ-
reticis arque schismaticis iungunt periculosas amici-
tias: & Catholici quidem haberet ipsi volunt, sed quo
suarum cupiditatum, quibus seruiunt, destinata perfici-
ant, hæreticis etiam nequissimis fœderantur. hoc ve-
rò ut sine reprehensione faciant, libertatis professio-
nem admittunt, eiusque se principes esse dicique læ-
tantur. Ita interdum illi cum deberent Catholicam
aduer-

aduersus hæreses causam, tueri, aduersus Catholicos
potius arma sumunt, cum eorum vtuntur regunturq.
cõsilijs, quos Ecclesiã patitur inimicos. Queritur tamẽ
sumiturque vel iniuriarum, vel tyrannidis, aduersus
Catholicum aliquem Principem prætextus, quasi ad
impugnandam Ecclesiã iustus possit aliquis præte-
xtus inueniri. vellem hi nunc diuum audiret Chryso-
mum, tale quiddam in sui temporis hominibus accu-
santer: Quoniam, inquit, bellum nobis indicum est,
& prælium amarissimum, & acie instructa iam pu-
gnamus; sic magno animo, ut noster iussit Imperator,
ad sanguinem & ad necem simus præparati, ut pro sa-
lute omnium pugnemus, alios cohortatione, alios au-
xilium iuantes. Multi enim in hac acie fratres perfossi
atque sanguinolenti iacent, nec vllus inuenitur qui me-
dicetur: non è vulgo aliquis, non Presbyter, non Pon-
tifex, non frater, non alius qui piam: sed omnes ita no-
bis attendimus, ne ipsa quoque nostra simul cum alicui
corruant. Atqui non ignoramus magnam inde ad
Deum fiduciam, magnam approbationem comparari,
si quis ob aliorum salutem, suam iugiter quaerit. Cu-
ius rei oppositum facientes, quàm prauis hominibus,
quàm diabolo faciliores imbecillioresque nõs ipsos
constituimus! Non enim alter pro altero arma capi-
mus, nec Dei charitate nos communimus: sed externæ
cuiusdam amicitie iuamina querimus. Sic alius affi-
nitate, alius consuetudine, alius cõsortio, alius vicinia,
alius alia quadã ratione; nemo fidei ac religionis pie-
tate, nobis amicus est. Cumque deberemus hinc so-
lummodo amicitie fœdera contrahere, oppositum
omnino, & quidem studiosè facimus. Cum Iudæis
nonnunquam & Gentilibus magis quàm cum Eccle-
siæ filijs amicitias coniungere. Proterius enim iste, ille
verò humanus aiunt, est atque modestus. Quid agis?
proterium tu fratrem vocas, qui nec iectã quidem di-
cere

*Item. 6o. br
Matth.*

cere vidēris, nec aliquo pudoris signo erubescis, ita de fratre sentiens atque prædicans, qui membrum est tuum, qui eodē vnā tecum parturienti labores attulit, qui eadē tecum alitur mēsa? At si fratrem secundū carnem habeas, etiā si mille vitijs polluat, nō parum tamen ad illius defensionem stude: cūm putēs si facinora illius in lucem prodeant, socium te dedecoris futurum. Spiritualem autem fratrem non solum à maledictō & calumnia nō vis defendere, verum etiam turpiter vltro calumniaris. Hæc diuus Chryostomus homilia sexagesima in Matthæum. Quæ nos ad nostri temporis commonitionem, magna rerum fauente similitudine, possumus deriuare. Bellū nūc agitur grauissimum & amarissimum contra hæreses & schismata: sicuti & diui Chryostomi ætate aduersus Ariano- rum factiones. Multi hic in acie fratres perfolli & sanguinolenti iacent: & tamen non solum qui auxilio sint pauci inueniuntur, verum etiam illi qui omne pietatis, communisque religionis, causam Catholicorum tueri debuerant, suasque vires cum Catholici Principis viribus coniungere, non modò id non faciunt, sed oppugnant etiam & calumniantur religionis propugnatores, iunctisque cum Ecclesiæ hostibus amicitijs, & omni propterea ipsis libertate permessa, hanc euerunt ac destrunt, quam ædificare debuerant. Quos equidem arbitror, quamuis religionis Catholice & Romane tenuem quādam speciem præ se ferunt, nulli tamen religioni studere, & addictos esse ex animo: nec sese religioni, sed sibi potius religionem accommodare, vt eam sequi velle, vel non repudiare videantur, cuius sectatores vsui sibi futuros intelligat. hæc igitur, quod ad illos quidem pertinet, introducendæ causa libertatis, qui si pro Ecclesia Dei zelum haberent, & si instrui se ac doceri paterentur, quàm Ecclesiæ Christi libertas istiusmodi minimè conueniat; mallent cum

rerum

rerum suarum periculis atque detrimentis, pro Ecclesiæ puritate & vera libertate pugnare, quàm, apertis errorū portis, accersere ei miserandæ periculū seruitutis.

CAPVT XIX.

Quam Ecclesia Dei malè conueniat exercitiorum libertas.

CV M enim vna sit Ecclesia Christi, non duæ; & ea quidem visibilis, quamuis de ea credatur, quòd à sponso suo sanctificatur & regitur: quomodo & ipòsus ipse Christus visibilis versabatur in terris, licet de eo quòd, Christus esset, vereque Messias, & Dei Filius crederetur: Vna, inquam, Ecclesia Christi cū sit, necesse est, constare eam solis vnus veræ fidei ac religionis hominibus: vt esse ea societas possit, quæ Christi corpus, quæ Dei regnum, quæ ouile summi Pastoris, quæ Dei domus atque familia, quæ Dominica area possit appellari. Si igitur Dei regnum est; cur in id Dei inimicos introducis? Si corpus Christi est; cur saltem humano capiti appingis membra crudelium bestiarum? Si ouile est Dominicum; cur lupis & leonibus, alisque rapacissimis feris ad ouium deuorationē aditum patefacis? Si domus Dei est; quid in ea faciunt, qui non modò filij patris familias non sunt, sed ne seruatorum quidem in numero debeant collocari? Si est area tritici; cur inferuntur in eam infelix solium, & quæ alibi steriles dominantur aenæ? Nam hæretici quidem neque triticum sunt, neque etiam tritico vt paleæ cohærescunt. Et ideo quamuis in eodē reperiantur agro, tamen in aream solum deportatur cum paleis triticum, vna quippe radice sunt palea & triticum: ac donec ventilatio Dominicam aream purgauerit, granis solidis palea semper leuis sociatur. Quomodo & in grege hædi, non lupi; in familia serui, non

extra-

extranei; in regno subditi, non hostes; in humano corpore non ferarum membra, sed hominis, ea licet interdum putria & malefana esse contingat. Quid enim (ait diuus Cyprianus, de hæreticis verba faciens) quid quid facit in pectore Christiano, lûporum feritas, & canum rabies? & venenum læthale serpentum? & cruenta sæuitia bestiarum? gratulandum est cum tales de Ecclesia separantur, ne columbas, ne oues Christi fœda sua & venenata contagione prædentur. Cohærens & coniungi non potest amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluuia cum serenitate, pugna cum pace, cum fecunditate sterilitas, cum fontibus siccitas, cum tranquillitate tempestas. Hęc de Ecclesia profecto visibili diuus Cyprianus loquebatur, quam ipse in Africa, Cornelius in Italia gubernabat, è qua Nouatianos, suis vterque locis, vt verè alienos, eiecerat: quod fieri tamen nec poterat nec debuerat, si Ecclesia visibilis omnes complectitur vel solo nōmine ac professione Christianos. Sed vnicam ille agnoscebat Ecclesiam Christi, & eam visibilem atque conspicuam, quæ esset à Christo (quæmadmodum ait ad Antonianum scribens) per totum mundum in multa membra diuisa. in qua Episcopatus esset vnus, Episcoporum multosum cōcordi numerositate diffusus; cuius esset vna fides, atque vnus cōcordiæ pacisque spiritus, præter cuius vnitatem, non Christi, sed humanam vocat Ecclesiam, quam Nouatus ædificare nitēbatur. Ille enim, inquit, post Dei traditionem, post cōnexam & vbiūque coniunctam Catholicæ Ecclesiæ vnitatem, humanam conatur Ecclesiam facere, & per plurimas ciuitates novos suos Apostolos mittit, vt quedam recentia institutionis suæ fundamenta constituar: tanquam iam pridem per omnes prouincias, & per vrbes singulas ordinati non sint Episcopi in ætate antiqui, in fide integri, in præsidia probati, in persecutione pro-

scripti:

scripti: ille super eos creare alios pseudopiscopos audeat: quasi possit aut totum orbem noui conatus obstinatione peragrarē, aut Ecclesiastici corporis compagine, discordiæ suæ seminatione rescindere. Animaduertis quàm visibilibus Ecclesiam describat indiciiis beatus Cyprianus? quamque intelligat corporis Ecclesiastici compagine, quam studeret Nouatus discordiæ suæ seminatione rescindere? At si ad Ecclesiam Christi visibilem omnis hæreticus & schismaticus pertinet, ipsique tum Nouatiani pertinebant: quid est aliud Ecclesia visibilis, quàm scissum vndique & malè cohærens corpus? si ramen corpus vllō modo vocari potest, vbi neque nexus, neque ordo sit vllus. Nexus nullus, quia non vna fides, quæ primum est vinculum: nam sacramento sine fide possunt & ij copulari, quoniam nomen Christianum abiecerunt: non ordo, quia neque hi superiores habentur, neque illi reguntur vt subditi, sed spiritu diuisionis acti atque distracti, sua sibi quique seorsim regna constituunt. Ab his quoque omnibus seiuncta cernitur Christianorum verorum societas, in vnum se concordia spiritum colligens, & ad suæ communionis vnitatem, nullam omnino heresim, schisma nullum admittens. Quorum à contagio vt libera puraque seruetur, conuenientem exercet disciplinam, quam diuus Ioannes expressit, cum ait: Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite in domum recipere, aut Aue dicere. Quæ Euāgelij quoque significata verbis est, vbi dicitur: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Quam diuus Cyprianus disciplinam, in veteri Testamento per hoc adumbratam intelligit, quod homo Dei ad Ieroboam missus, qui ei sua peccata exprobraret, atque violationem futuram prædiceret, panem quoque apud illos edere, & aquam bibere veritus sit: propterea quod schismatici illi essent, alteroque sibi rege constituto,

v

ctiam

Libro de simplicitate Praesertim.

Lib. 4.

Lib. 2. epist. 6.

etiam ab unitate religionis atque à Dei domo sese segregassent. Id quod Propheta cum non custodisset, & contra Dei præceptum prandisset, statim diuinæ censurâ maiestatis percussus est, vt inde regrediens imperu ac morfu leonis in itinere necaretur. Quo satis exemplo demonstratum est, & quanta sit Domini aduersus eos qui schisma faciunt, indignatio; & tam ab illis oportere Catholicos separari, vt cum eis nec terrestrem, nec cælestem potum debeant habere communem. Hanc igitur disciplinam Ecclesia Christi ab ipsis Apostolorum temporibus exercuit. hac se vsque modo inuiolatam à noxiis erroribus conseruauit. per hanc disciplinam, & quietam tranquillamque floruit, & perfectionibus agitata, suis fortiter hostibus repugnauit. Ac reuera quid aut in pace tam aptum, aut in bellis persecutionis tam necessarium, quam debitam seueritatem diuini vigoris tenere? quam qui remiserit, instabili rerum cursu erret necesse est, & huc atque illuc variis & incertis negotiorum tempestatibus dissipectur, & quasi extorto de manibus consiliorum gubernaculo, nauem Ecclesiasticæ salutis illidat in scopulos; vt appareat non aliter Ecclesiasticæ saluti consuli posse, nisi si qui contra ipsam faciunt, quasi quidam aduersi fluctus repellantur, & disciplina ipsius semper custodita ratio, quasi salutare aliquod gubernaculum in tempestate seruetur.

CAPVT XX.

Non solum Ecclesiastica disciplina rationem, verum etiam Catholicorum Principum munus huic libertati consistere.

NEQUE tamen sola hæc est disciplina, quæ libertatem istam probari in Ecclesia & Regno Dei non sinit: cuius disciplinæ, gladio volebat Paulus abscindi eos qui Ecclesiam Dei, noui euangelij introductione,

ductione, hoc est, veteris ac veri deprauatione & euerfione, conturbabant. de cuius item disciplinæ gladio beatus Augustinus loquens, dicit Pastoralis esse necessitatis; separari ob ouibus sanis, morbidam, ne plures dira serpent contagia: quia & ipsa, inquit, quæ damnatio nominatur, quam facit Episcopale iudiciû (qua pœna in Ecclesia nulla maior est) potest, si Deus voluerit, in correctionem saluberrimam cedere atque proficere. Non huius ergo tantummodo ratio disciplinæ, quæ Regni Dei propria est, perniciosæ libertatis: verum etiam Regum ac Principum & Magistratum Christianorum munus obfistit. Cuius ea ratio est, vt si rectè, si Christianè, si pro dignitate sui culminis administraretur, debeat in primis Deo seruire atq. pietari. Cui enim magis hæc seruitura potestas est, quam ei à quo est ordinata? Cuius ad honorem illius administratio citius potiusq. referetur, quam eius, per quem Reges regnant, & Legum conditores iusta decernunt? hoc esse illos Propheta facturos prædixerat his verbis: Et adorabunt eum omnes Reges terræ, & omnes gentes seruient illi. Ac bene præposuit adoraturus esse Reges, vt sequeretur, Omnes gètes seruituras. Nam cum sit Regum permagna inter mortales auctoritas, ad eam subditi se multum inflectunt: atque id probare & sequi, quod illis pulchrum visum sit, consuescunt. Ea iudicij humani consuetudine gratia cælestis vsa est, ad gentium non paucarum conuersionem: quæ propterea Domino seruire fidei inspiratione cœperunt, quia Reges suos Dominum adorare cōspicerent. Sed sicut exemplo Regum, gentes voluit Deus in verè pietatis saluberrimam venire seruitutem: ita etiam eorundem potestate iussit in accepta religione cōseruari, vt sic ei, à quo potestatem acceperant, non solum vt homines (quod commune est omnium) verum etiam peculiariter, vt Reges, in timore ac tremore seruirent.

*Lib. de corrup.
& gratia cap.
15.*

Veri tamen, cum in errore sunt, pro errore suo contra veritatem leges statuunt, per quas iusti & probentur, & coronentur, cum id facere, quod illi contra pietatem iusserant, recularint; quemodo iusserat Nabuchodonosor, ut aurea adoraretur statua, quam erexerat: quod quia noluerunt facere viri illi Dei cultores, quos septies accensa fornax illustravit, idcirco talia prohibenti Deo mirifice placuerunt: Ita plane, cum veritatem tenent Reges, pro ipsa veritate contra errorem iubent, quod quisquis contempserit, ipse sibi (inquit Augustinus) iudicium acquirit. nam & inter homines poenas luit, & apud Deum sortem non habebit; quia facere noluerit, quod ei per cor Regis, ipsa veritas suggererat: sicut ipse Nabuchodonosor postea trium puerorum miraculo commotus atque mutatus, pro veritate adversus errorem edictum proposuit, ut quicumque blasphemarent Deum Sidrach, Misach, & Abdenago, in interitum irent; domusque illorum in dispersione. Cum igitur hac quae dicitur nunc petiturque religionis libertas, nihil aliud reuera sit, quam errandi & blasphemandi cuique permessa licentia: sequitur, Reges & Magistratus multo studiosius huic obistere debere, cum Catholicam tenent veritatem, quam pro suo errore starent, si in eo (quod absit) versarentur. Nec vero propterea visibili Ecclesiae, ad quam etiam errorum sectae pertinere putantur, faciunt iniuriam, quod illas esse liberas non sinent: nisi forre visibilem ecclesiam propterea quoque minuere & damno afficere existimandi sint, cum latrones, homicidas, fures, incendiarios, proditores, seditiosos, atque alios scelerum patratores, liberos esse in suis illis exercitiis minimè patiuntur. ubi cum dixerint aliqui, neminem ea ratione pertinere ad Ecclesiam Christi, quia sit latro, aut seditiosus, aut alio quouis nomine sceleratus, eo quod nemo talibus sceleribus praetexere audeat nomen Christianum,

Epistola 66.

num, à quibus abhorret Christiana professio: tum eos interrogo, num ad Ecclesiam Christi pertinere quisquam possit, qua ratione haereticus aut schismaticus? Non (inquis) sed quia Christianum se esse, & Christianam doctrinam tradere profitemur: suaque dogmata, quamuis in eis errare conuincitur, verbi Dei, & scripturarum eloquiis, quae propria Ecclesiae sunt, communite conatur. At si professio nominis, & praetextus Scripturarum, generalem Ecclesiae rationem constituit: quid vetat quo minus & collegia daemonum comprehendant, quae quotidie sub falsa Christi & lucis specie decipiunt Christianos? Non enim colluctatio nobis est adversus carnem & sanguinem, sed adversus spirituales nequitias, quae in hoc aere circumvolant: Ipse sathan (inquit Paulus) transfiguratur in angelum lucis, & scripturarum locis productis, Christum diabolus circumvenire tentavit. Sed invisibiles dixeris esse daemones, & ideo ad visibilem Ecclesiam pertinere non posse. Faciemus ergo & ex daemonibus invisibilem Ecclesiam, propter verbi Dei praetextum, & nominis Christiani professionem: ut sicut una est visibilis omnium hominum Christi nomen profitentium; secunda invisibilis praetextatorum: ita sit tertia invisibilis daemonum reproborum. cur enim non tres potius numero perfectiote fecerimus? Quod si hic ridere magis videbor, quam refellere; & tamen ridentem dicere verum, quid vetat? quæro in quo praeterea genere rerum, ipsius rei rationem sola professio constituat? num grammaticus quisquam est aut musicus, quia id haberi velit? aut miles continuè, quia sit habitu militari? aut monachus, quia vestem monasticam indutus appareat? Est sane illud iam vetus & verum verbum: Cuculla non facit monachum. quid autem, rogo, plus est Christi nomen sine Christi fide, quam cuculla monachi sine monastica pietate? Iam si hoc

etiam attendant, non doctrinæ modò, verùm etiam morum vitia, virtutes frequenter imitari, sibi que eorum similitudinem arrogare: perspicient, credo, falsam doctrinam sub nomine Christiano compositam, tam absurdè vocari Christianam, quàm absurdè vitia ipsa dicantur esse virtutes. Superbus enim, inquit Prosper, vult se credi constantem; prodigus, liberalè; anarus, diligentem; temerarius, fortem; inhumanus, parcum; gulosus, humanum; ignavus, quietum; timidus, cautum: impudentia fiduciæ sibi nomen assumit; procacitas appellationem libertatis ostèdit; eloquentiam fingit verbositas; & curiositatis malum, sub studij spiritualis colore delitescit. Tot igitur vitiorum formas fœdissimas, pulcherrimarum virtutum nominibus honestabimus, quòd illa de harum similitudine gloriantur? Nemo tam est excors, vt id faciendum esse putauerit. Nam, quemadmodum ait idè ille Prosper, Similitudo virtutis, quæ videtur virtus esse, cum virtus non sit, nihil est aliud quàm mendacium: & ideo non est virtus dicenda, sed vitium. Hoc si Prosper verissimè, multo profectò certius dixerimus, doctrinam hæreticam, quæ sibi Christianæ doctrinæ nomen & imitationem quandã assumit, non Christi doctrinam esse, sed mendacium appellari oportere. Doctrina ergo hæreticorum, si absurdè Christiana vocabitur, cum sit reuera mendacium; ecclesiæ hæreticorum, quæ nihil habent aliud quàm fallacem Ecclesiæ Christi imaginem, Ecclesiæ Christi poterunt appellari? nec appellari modò, sed ipsa etiam Christianæ Ecclesiæ definitione comprehendi? At in eo (inquis) tenent veritatè, quòd Christum confitentur esse. Sit hoc (inquam) ita, vt dicis, sed mentiuntur in eo, quòd se Christianos esse, & profectam à Christo doctrinam tradere profitentur. Quare nunquam efficiet mendax ista professio, vt ad Ecclesiæ Christi, seu generalem, seu parti-

cula-

cularem aliquam, fallaces hæretici pertinere dicendi sint. Mendacij quippe ratione, Christi esse nemo potest; sed eo nomine quilibet ad societatem relegandus est diaboli, qui mendax est, & pater eius. tametsi nec difficile fuerit & latrones, & proditores, & facti-legos, ex alioque ferè quolibet genere sceleratos homines reperire, qui se in eo quod nefariè faciunt, Christo & Ecclesiæ seruire iactitent; eo præsertim fixo prauitatis ingenitæ principio, quod sic quidam expressit:

Nemo suæ mentis motus non æstimat æquos:

Quodq; volunt homines, se bene velle putant.

Talibus ergo hominibus vnus hic erit contra gladium boni Principis clypeus, si se in eo quod faciunt, profiteantur esse Christianos. Neque enim occidi tunc poterunt, ne qua in Ecclesiæ Christi visibilem vis commissa esse videatur. Quid aliud ergo hæc nouæ doctrinæ commenta, quàm omnis iustitiæ neruus resoluunt, etiam erga Reipublicæ perturbatores ac pestes? Eo quippe est ista hæresis execrabilior cæteris, quòd non seipsam modò tueatur & ingerat in Ecclesiæ, verùm etiam cunctis aliis patrociniū præbeat, omnesque nitatur in Ecclesiæ introducere, omnes fouere, augere, amplificare. hoc enim profectò fit, si nemo repugnet; sed gladio Principis recondito, sua debeant omnes libertate potiri. Verùm hoc vt sit in Ecclesiæ Christi, ratio definitioque Ecclesiæ Christianæ haud patitur: quæ fidelium est cœtus, in quo tãquam vno in corpore, vnus spiritus & vna fides esse debet, vnaque spes vocationis. vt hoc in Republica malum impunè grassetur; nec cum Reipublicæ tranquillitate, pace, diuturnitate, nec cum disciplina & ordine Ecclesiæ, nec cum boni principis officio & gubernatione consistit. Non igitur erit introducendum. habet enim introductio veræ religionis iniuriam, corruptionem

*Prosper libro
Epigramaton.*

680 DE CHRISTIANA LIBERTATE
morum, deceptionem euerſionemque ſimplicium,
prophanationem ſacrorum, quietis perturbationem,
deformationem Reipublicæ, piorum luctum, & exul-
tationem impiorum.

CAPVT XXI.

*Semel introductum noxia libertatis malum, quānam
ratione erit exſtirpandum.*

SIN iam erit admiſſum, quānam ratione exſtir-
pari poſſit, prouidendum eſt. vbi ſi Catholicis
exercitiis poteſt aliquis eſſe locus, multum in primis
valebit eruditorum doctrina Paſtorum, & ea gratiā
quam Paulus requirit in Epifcopo, vt ſit potens ex-
hortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt, ar-
guere. Quod accedat neceſſe eſt vitæ ſanctimonia, &
morum verè Chriſtiana integritas, benignitas, pa-
tientia, charitas; vt doctrinæ vita respondeat, & quod
verbis dicitur ac ſuadetur, id confirmetur virtutum
exemplis: & quod ſegniùs forſitan afficit illapſum
per aures, idem ſedula operatione, tāquam ſubiectum
oculis, vehementiùs commoueat. Excelluerunt hæ-
dotes in ſancto Patre Norberto eiusque ſociis, tum
cū Antuerpienſem ab erroribus & vitiis repurgan-
dam acceperat ciuitatem. Nam cū illic per id tem-
pus (erat autem Bernardi ætas, à quo etiam ille hoc
teſtimonio laudis ornatus eſt, vt ſcriberet: Habetis
Dominum Norbertum, quem meliùs præſentem
præſens interrogare poteſtis. Nam tanto vir ille in
diuinis aperiendis myſteriis nobis promptior eſt,
quanto & Deo propior eſſe cognoscitur) Cū in quā,
ea tempeſtate peſtiferum hoc libertatis genus Antuer-
piæ graſſaretur, & inter frigidos atque imperitos Ca-
tholicoſ, facile ſibi ſedem reperiffet Tanchelinus qui-
dam, ſeductor ingenio verſipellis, munificentia po-
pula-

*Epifſolo 8. ad
Brunonem Co-
lonienſem poſtea
Archiepiſcopi.*

pularis, ſectatorum atque etiam armatorum numero
potens, opere nequam, ſcelere impurus, hæreſi Sacra-
mentarius: qui & miniſteria Sacerdotum pro nihilo
duceret, ac ſacroſanctam Domini menſam fructum
ſalutis vllum afferre negaret: tum ergo cum ſuis bea-
tus ille vir, dexteritate docendi, aſſiduitate monendi,
orationum inſtantia, vitæ puritate, mirificisque inter-
dum operibus, ſic in ea plebe profecit, vt ei potiffi-
mū acceptum ferendum ſit (tameſi nec Brabantia
Dux officio defuerit ſuo) quod poſtea noxia libertate
ſublata, veræ religionis vera libertas in ea floruerit
ciuitate. multum enim ea quæ dixi, mouent non ob-
duratiſſimos animos, & corrigi poſſunt hac ratione
qui nondum obſtinate propoſito errare decreue-
runt. At vbi propoſita & illuſtrata ſatis doctrina con-
tempnitur, pietas irridetur: vbi vera religio, ſuperſti-
tio; obedientia, ſeruitus; humilitas, hypocriſis; veri-
tas, mendacium; virtus, vitium eſſe dicitur; vbi ſtata
ieiunia, feſta, & quæcunque ſalubri lege ſunt inſti-
tuta, calcantur: obdurata ſic fronte, pulſu duriore
opus eſt; vt à quibus Eccleſiaſtica diſciplina ſperni-
tur, ab ijs Magiſtratum Catholicorum, & Legum
ſeueritas timeatur: & quod fruſtra propter ipſos ap-
plicaretur ad medelam, id vel propter alios ſanandos,
atque cohibendos, inferatur ad pœnam. Principes
enim ſæculi (inquit beatus Iſidorus) nonnunquam
intra Eccleſiam poteſtatis adeptæ culmina tenent, vt
per eandem poteſtatem, diſciplinam Eccleſiaſticam
muniant. Cæterū intra Eccleſiam poteſtates ne-
ceſſariæ non eſſent, niſi vt quod non præualeat Sacer-
dos efficere per doctrinæ ſermonem, poteſtas hoc
impleat per diſciplinæ terrorem. & ruruſum, Sæpe, in-
quit, per regnum terrenum, cæleſte regnum proficit:
vt qui intra Eccleſiam poſiti, contra fidem & diſci-
plinam Eccleſiæ agunt, rigore Principum conteran-
tur;

*Senten. lib. 8.
cap. 53.*

tur; ipsamque disciplinam, quam Ecclesiæ humilitas exercere non præualet, ceruicibus superborum, potestas Principalis imponat; & ut venerationem mereatur, virtute potestatis impartiat. Denique ita concludit: Cognoscant Principes seculi, Deo debere se rationem reddere propter Ecclesiæ, quam à Christo tuendam suscipiunt. Nam siue augeatur pax & disciplina Ecclesiæ per fideles Principes, siue soluantur; ille ab ipsa rationem exiget, qui eorum potestati suam Ecclesiæ credidit. Sic beatus Isidorus: cuius nos verbis faciendum huic libro finem putauimus, ut alio videntes exordio, quædam aduersariorum argumenta deinceps dissoluamus.

DE

DE
CHRISTIANA
LIBERTATE
LIBER DECIMVS-
TERTIVS.
PROOEMIUM.



NOVS iam est & aliquanto, ni fallor, amplius, cum ad me vir quidam pius & doctus librum dedulit, Pacificationis acta continentem, quæ coram sacra Cæsareæ Maiestatis Commissariis inter Serenissimi Regis Hispaniarum, & Principis Matthiæ Archiducis Austriae, Ordinumque Belgij Legatos, Coloniae habita esse, ipso libri fronspectu dicerentur. Quem librum ut legerem, propterea mea interesse monebat, quod in eo mei mentio fieret, meaque ex oratione quadam prolixè verba ponerentur. Acceptum itaque librum inspexi quidem tunc magis, quam perlegi: tamen animaduerti in id potissimum incumbere, ut libertatè religionis & concedi & probari locis passim omnibus oportere, doceret. Quam, quia nonnulli tum dissuadebant, libri (que editis ab ea dehortabantur: idcirco cum accusatione graui, eorum & nomina & scripta proferuntur. Atque ego quoque in hunc miser ordinem vocatus sum. Ait enim sic in quadam annotatione: Afflictis Belgis, in hoc conuentu non subleuata est afflictio, sed aucta: ab vna parte doctoribus Iuris causam eorum iniquo zelo sinistrè interpretantibus; ab altera Theologis omnem concordiam in religione dissuadentibus, omnesque tam Principes quam priuatos Catholicae Romanae ad
arma

arma continuanda, omnemque crudelitatem in illos exercendam, incitantibus. Ac ne ignoraretur, quinam illi essent Theologi; post Cornelij Callidij, quem Iulianum vocat, consultationem; subiungit Cunei Episcopi Leouardensis tractatum de Christiani Principis officio. Nec me præteriens, Secundò, inquit, edita est oratio Ioannis Lenfèi, contra falsos Patriotas: qui inter alia laudat Catholicam Romanam religionem, quòd sanguine sanctorum se inebriauerit. Quibus verbis quàm potest odiosissimè traducit Principum in seditiosissimos hæreticos iustitiam: quos sanctos etiam vocat, iuxta regulam, Quod volumus, sanctum est. vt autem verbis suis faceret fidem, meà verba audienda & interserenda putauit: quæ me quoque huc non piguit adscribere, vt quid illum rantòpere offenderit, sciri possit. Horum, inquam, filiorum Belial, id est, absque iugo, quoniam ingentem esse hac tempestate numerum non nesciunt boni Patriotæ: Romanam religionem plausibiliter accusare se non dubitâr, cùm per eam reuocari dicunt exilia, reaccendi rogos, patibula restitui, atque ab inferis, vt aiunt, veteres omnes illas pœnarum formas excitari. Atqui si sapiût, hinc potiùs collaudanda religio est, quòd eius beneficio hæc aduersus Reipublicæ corruptores reuocantur. sic enim illa colitur iustitia, quæ eleuat gentes: sic exterminatur peccatum; quod cùm impunitum iustitiæ neglectu relinquitur, miseranda cõsequitur etiam florētissimorum deiectionis populorum. Inde enim, si verum fateri volumus, nostræ quoque manat deiectionis origo. parux quædam scintillæ, quæ initio, si vigilatum esset, opprimi potuerant; hoc nobis tantum incēdium patriæ procrearunt, quantum per annos iam cõplures, magno Catholici Principis studio restingui nõ potuit. Ac fit hoc fortassis ira Dei, iustū supplicium de prætermissa iustitia repositis: vt quia qui præterant rebus,

cùm

cùm possent, nolent: iam & cùm maximè velint, non possint. Semper enim eos admonuit vera religio officij huius sui, vt intelligerent iustitiæ se ministros esse, neque sine causa gladium circumgestare; sed vindices iram Dei esse aduersus eos qui nequiter agunt. Hæc verba mea sunt: propter quæ dicor Romanam religionem laudare, quia se sanguine sanctorum inebriauerit: quasi qui iusta necessariæque seueritate in latrones, fures, sacrilegos, falsosq. testes animaduertat, is eorum sese sanguine inebriet. Quasi Paulus, eos qui præsumt Reipub. inebriare se voluerit sanguine illorum qui nequiter agunt, quia iustitiæ gladium in eos exerci oportere, ex diuina ordinatione docuerit. Quid aliud volui, quàm id ipsum quod tu quoque illis de Psalmo verbis commendandum esse putauisti: Vsq. dum ad iustitiam reuertatur iudicium, & sequentur illud omnes recti corde? Annectis & alia quæ te offenderunt ex eadem oratione. Item, inquis, paulo pòst: At nos eam ipsam quam sic despiciunt, atque execrantur, & conspuunt, tanti facimus, vt solam veram Christi Ecclesiam esse, minimè dubitemus. Ideoque nihil esse mirandum, si dignitatis eius, si libertatis & amplitudinis summam semper habendam esse rationem arbitremur: si pro eius honore atque auctoritate tantum zeli, tantumque virtutis suscipiatur à Catholicis principibus, vt illam suis armis, omnique conatu defendâr. Repugnandum enim omnino est pro defensione domus Dei. Decertandum est omni ope ac viribus pro eam matre, quæ nos in Christo genuit, fouit, educauit. Quæcunque fluctuum vis insurgat, quæcunque tandem tempestas oriat, retinēda est hæc tanquam Arca Noe: extra quam repertus quisquis est, insanis seculi huius vndis obruitur. Sic ego, pro quo mihi marginali quadam annotatione reponitur: Spiritus non Christi, sed Antichristi. Videlicet quia Romana, pro qua omni

omni ope ac viribus decertandum esse dixeram, Ecclesia, quam & Catholicę cognomine cohonestat: illi tamen non Christi, sed Antichristi regnum esse videatur. quod mirandum non est, quia si diabolus, cum sit tenebrarum princeps, transfiguratur se in angelum lucis; & cum sit Christi aduersarius, tamen haberi Christus velit: nihil nouum, si ministri eius; hoc quod reuera sunt, in alios transferant. Nam & Iudęi Christo demonium tribuebant, quo maximè ipsi pleni erant. Contempsit igitur tunc omnia, librumque reddidi, nec in eo discutendo ponendam mihi aliquam operam studiumque putauit. At iam confectis conscripsitque ex alia occasione superioribus, cum libri supradicti meminisset, summamque in eo pro adstruenda libertate Auctoris diligentiam animaduertissem: cogitauit fieri posse ut essent in eo nonnulla ad quę sileri non expediret. Quamuis enim dictum sit Sapientis, non esse respondendum stulto secundum stultitiam ipsius: tamen idem precipit respondere stulto ad eius stultitiam, ne ille sibi sapiens esse videatur. Repetitur ergo legi librum: quem cum vndique varijs ebullientem argumentis deprehendissem, pauca quędam præcipuaque delegi, ad quę nõ inutiles omnino responsio videretur.

CAPVT I.

Quõdam hic collector libertatis fundamentum statuerit.



V M igitur pacificationem Gandauensem, ab ipsis Cæsareæ Maiestatis cõmissarijs oblatã, ab ipsoque Catholico Hispaniarũ Rege, pro tẽporis necessitate probatã, visum esset Libertinis istis modò minimè sufficere: idque, ut aiebãt, propter commutatum rerum statum. (Nam cum plus sibi de Gandauenſi pacificatione detrimenti metuerent;

tuerent, quã ex ea sperarent lucri, si exequutioni vt expressa erat, mandaretur; illam videlicet ipsi nobis omni perfidiã vigilantia, mutationem rerum in statum longè deteriorem procurarant) hac igitur de causa, vndecunque argumenta quęſita sunt, quibus doceretur, æquum esse, libertatem religionis passim vbi que concedi: quo sic perspici posset, quã bono iure pacem nullam fieri Coloniae voluissent, quibus negata esset ea res, quę doctrinæ cęlesti vsque ad eò consonaret. Ferè autem collector hic, illa quę libro superiore posuimus, fundamenta permiscuit: vt vndecunque præſidia accerferet, ad religionis libertatem propugnandam. Atque vna inter cęteras marginalis annotatio ad eum modum expressa est, ex quodam Naogergo in primę Ioannis caput quintum: [Quia Ioannes sæpè dicit & asseuerat, omnes esse filios Dei, qui credunt Iesum esse Christum: sequitur hanc fidem & confessionem esse notam verè credentium: & Catholicae Ecclesię non esse necesse in omnibus alijs opinionibus huc non ita pertinentibus consentire; quod nũc quidam volunt, Christianam Ecclesiam nimis in arctum cogentes. Mihi sanè erit filius Dei & Christianus, qui quis crediderit & confessus fuerit, Iesum esse Christum: etiamsi in quibusdam opinionibus à me dissentiat. Ita ego patior multos esse in Ecclesia externa, quos alij eiiciunt & occidunt: quã bono iure, nescio.] Hoc ergo isti fundamentum est, quo nititur adamatæ huius ædificatio libertatis, quod iis quidem quę supra dicta sunt, possit videri satis esse conuulsum: sed & hoc tamen in loco, pauca breuiter annotanda putauit. Primùm hoc alijs sæcis non probari, & Caluino quidem, quã eiusmodi commentum displicerit, ex eo sciri potest; quia cum editus fuisset in Germania libellus De officio pij & trãquillitatis verè amantis viri in hoc religionis dissidio: notum est quales quantasque pro-

propterea turbas in Gallia excitavit Calvinus, edita famosissima simul & furiosissima declamatione in Franciscum Balduinum Iuriconsultum: quem illius libelli auctorem fuisse fingebat. Cassander ipse quoque, qui memorati libelli lese postea demonstravit auctorem, nequaquam sufficere putat fidem de capite Christo, ut Christianus & Catholicus haberi quis possit; sed vult præterea sincera charitate cum corpore Christi, quod est Ecclesia, communionem & societatem retineri. Et quia plerique, ut ipse ait, ex ijs qui sibi ab Evangelio nomen sumpserunt, eam partem quæ verus Catholicorum & Romanæ Ecclesiæ nomen retinet, prorsus adspernantur, omnemque eius communionem defugiunt, nec ut membrum eiusdem corporis, amore & misericordia prosequuntur, sed ut Satanz & Antichristi corpus abominantur: negat videre se, qui eiusmodi sunt, quomodo à schismatis nota eximi possint. Iudicio ergo Cassandri, si istiusmodi homines schismatici sunt, non modò profectò filij Dei non erunt, sed ne Catholici quidem, aut etiam Christiani existimari poterunt. Deinde ut illorum nomina seponamus, quos forsitan dicturus es nimis etiam in arctum Ecclesiam Christi coëgisse; quid tamen ad rem ipsam respondebis? Constat ecce, per multos inveniri homines, qui Christum credant, & hoc ipsum credere se, apertè & fortiter profiteantur: atque interim iidem aduersus alios sibi repugnantes, odijs ardent implacabilibus, quin molesti etiam grauesque sunt persequendo, cum eos præualere contigerit. hos ergo tu, Iesum credentes esse Christum, Caluini, verbi gratia, aut Lutheri acres aliquos discipulos, Dei filios esse dicturus es? Si filij Dei non erunt (propterea quòd filij Dei, iidem sint filij lucis: qui autem proximum oderit, in tenebris ambulet, & nesciat quòd vadat; quoniam tenebræ obcæcauerint oculos eius) neque igitur creden-

tes

tes erunt aut Christiani. Quæ enim filiorum Dei, eadè verè credentium est nota, omninoque, ut ille significat, Ecclesiæ Christi signum, quam ab alijs in angustum nimis cogi scribit. habes igitur aliquos, imò verò per multos, qui Iesum confitentur esse Christum: quos tamen, quia se ab alijs odio schismatico se iunxerunt, interiorè que animorum coniunctionem se abrupsisse persequendo demonstrauerint, bono iure constet corporaliter eijci oportere. Quomodo & olim Nouatiani, Luciferiani, Donatistæ eiectione damnatique sunt: qui tamen omnes Iesum confitebantur esse Christum. Atque ipse quidem Augustinus expressè hoc refellit, contra Cresconium differens Grammaticum: Si quis dicat fieri non posse, ut extra Ecclesiam vnus idem quod colatur Deus, aut eadem fides, qua confitemur Christum Filium Dei, vnde Petrus beatus appellatus est, reperiat etiam in ijs qui non sunt in Ecclesia. An forte & veteres cogebant Christi Ecclesiam in angustum, qui tam multos confitentes Christum esse Iesum à sua communionè repellebant? Neque enim sola hæresis alienabat ab Ecclesia, verum etià schisma: quod sparso (inquit Optatus) coagulo pacis, dissipatis sensibus generatur, liuore nutritur, æmulatione & litibus roboratur: ut deferta matre Catholica, impij filij, dum foras exeunt, & se separant (ut vos fecistis, inquit Donatistas alloquens) à radice matris Ecclesiæ, inuidiæ faucibus amputati, errando, rebelles abscedant. Nec verò te dicturum arbitror, fidem intelligi oportere cum charitate coniunctam, quam nos formatam vocare iidem soliti sumus. Est enim hæc fides vobis ipsi occulta, & interior Ecclesiæ proprietas, inuisibilem atque internam Ecclesiam cõstituens. Illa autem tua descriptio, externam nobis voluit Ecclesiam propria quadã & certa nota designare, è qua nullus eijciendus esset, qui ea nota reperiretur insignitus. In quo etià illud ad-

Lib. 2. cap. 29.

Lib. 1.

x

admi-

admirandæ est improvidentiæ, quod cum è duodecim Christiani Symboli articulis vnus hic sit, credere Iesum esse Christum; ex eo tamen solo Christi Ecclesia describenda ac demonstranda putetur: cum fieri possit, vt qui hunc recipiat articulum, cæteros aut apertè repudiet, aut ita deprauet, vt eos solo verbo tenere cõuincatur. quos Optatus falsare dicit Symbolum, cum exempli causa, alter, inquit, dixerit duos deos, cum vnus sit Deus; alter Patrem vult in persona Filij cognosci; alter carnẽ subducens Filio Dei, per quã Deo reconciliatus est mundus: & cæteri, inquit, eiusmodi, qui à Sacramentis seu mysterijs Catholicis alieni esse noscuntur. Tales igitur Symboli falsatores, & à mysterijs Christianis alienos homines, atque hæreticos, eo dumtaxat nomine, quia Iesum cõfitebuntur esse Christum, nos Christianos, & Dei filios, verè que credentes deputare poterimus? Aperta quoque diui Augustini sententia est, eos qui de ipso capite Christo Scripturis sanctis consentiunt, & vnitati Ecclesiæ non communicant, de Christi corpore, quod est Ecclesia, ab ipsius Christi testificatione dissentire. Hos ergo ab ipsa Christi testificatione de eius corpore dissentientes, & vnitati Ecclesiæ non communicantes, in Ecclesia Christi collocabimus? Certum est capiti adherere non posse qui recedant à corpore: faciuntque perinde, qui cum schismatici sint, iactitant suam cum Christo societatem, vt si pes auulsus à crure, iactaret se de capitis coniunctione. Verùm ea de re satis esse dicam arbitror alio in loco.

CAPVT

Libro 1.

Lib. de unit.
c. 4. & Lib. 2.
contra Cresc.
cap. 8.

CAPVT II.

*Quàm male horum causa seruiat, quod scriptum
in Euangelio est, de non euellendis ante
messẽ zizaniũ.*

HOc tu interim iacto fundamento, Romanam accusas Ecclesiam, vt quæ in homines innocentes, imò Dei lucisque filios, sæuerit. omnes enim, eos in quos hactenus nomine hæreseos animaduertit, affirmas ex vnus Dei timore, testimonio suæ conscientiæ, iuxta mensuram fidei in Christum seruatorem, mediatorem, & pastorem animarum suarum, pro asserenda veritate, quam profitebantur se testimonio sacrarum literarum confirmare posse, tormenta quæuis atque ad eò mortem ipsam constanter pertulisse. Omnes igitur pro asserenda veritate mortui sunt, tam qui affirmabant, quàm qui negabant. nimirum etsi erant articuli inter se repugnantes, pro quibus mortem perferebant: tamen hoc isti veritas erat, quod sibi quisque moriturus, veritatem esse persuaserat. At quæ Scriptura tantam tunc fuisse iudicium demonstrat offensam? videlicet, quia de non colligendis eradicandisque zizanijs, in Euangelio præceptum est. Cum enim ad seruos Dominus loqueretur, inquit Augustinus, quem hic citat, non ait, In tempore messis dicam vobis, colligite primùm zizania: sed, Dicam, inquit, messoribus. vnde intelligitur, colligendorum zizaniorum ad comburendum, alia esse ministeria: nec quemquam Ecclesiæ filium debere arbitrari ad se hoc officium pertinere. Hinc igitur iste colligit, & à Rege, & à Statibus, & singulis magistratibus grauius peccatum esse, quod zizaniorum extirpationem, præteritis Angelis, quibus id à Domino solis relictu est, ante messis consummationem sibi adsumpserint. Quid agis? iamne zizania sunt isti tui filij Dei, quos sic comple-

eteris? quibus, quacumque in religione versentur, patrocinaris ad perfruendam diffundendamque lucis suae libertatem? Sed qui filij Dei sunt, zizania simul esse non possunt, quae vel tempore messis colligantur semperiternistradenda flammis. Nec te iuuerit, quod ea pro zizanijs Ecclesia habuerit. non enim de his quae putantur & non sunt, sed de his quae zizania reuera existunt, in Euangelio disseritur. Quod ex eo possis discere, quia reprehensi propterea serui sint, quod euellendis zizanijs, adferrent tritico vicino periculum. Non enim eis dicitur, Nolite eradicare ne forte triticum sit quod putatis esse zizania: sed ne dum eradicatis quae zizania sunt, simul & triticum euellatis. Reprehensi quoque propterea serui sunt, quod ante tempus euellere atque extirpare zizania conarentur. Qui autem quae non zizania, sed solida sunt grana persequitur, is non eo nomine reprehendendus est, quia ante tempus messis euellat, sed omnino quia extirpet, quae nunquam extirpari & abijci debuerint. Zizania verò tollenda è medio abijciendaque sunt tempore messis: quod tempus quoniam ei rei destinatum est, idcirco reprehenditur seruorum praepropera festinatio. Si ergo tuos istos Dei filios Ecclesia Romana male persecuta est, quia Dei filij sunt, deque numero verè credentium, propter fidem in Christum, eiusque fidei professionem; non ex eo reprehendenda tibi fuit, quia zizania sustulerit ante tempus messis: sed ob id propriè, quia grana quae adseruari in horreo Domini non comburi oportebat, pro zizanijs magno errore habita sustulerit atque abiecerit. vbi si dixeris te voluisse, etiam si zizania illi fuissent, non debuisse tamen à magistratibus ante tempus extirpari: dico ex aduerso te attendere debuisse, quantum hae duae sententiae differant. Peccasset magistratus illis ante tempus euellendis, etiam si zizania forent, quomodo tu

non

non dicis: & peccauit magistratus, quia praeteritis Angelis, & non expectato tempore messis, diuersarum religionum homines sanctos & innocentes, è medio sustulerit, quomodo tu inconsideratè dicis. Quod enim expectandum tempus erat, quo debuerint innocentes occidi? Nam si ea magistratum in Dei maiestatem offensa fuit, quod praecipuarint animaduersionis tempus, & antequam id fieri deberet, bonos illos homines è medio dissiparint: vel igitur boni illi homines non fuerunt, vel boni homines, & Dei filij, messis tempore per Angelorum ministeria, colligendi & comburendi sunt. Hoc etiam abs te perpendi debuerat, zizaniorum nomine non solos haereticos esse comprehensos, verum etià fures ac latrones, auaros, superbos, raptores, sacrilegos, & generatim filios nequam. Neque enim Christo ipso meliorè habere possumus interpretè: qui suam ipse parabolam edisserens, Zizania, inquit, sunt filij nequam. percontabor ergo te hoc loco: Nullòsne in filios nequam hic licebit animaduertere Dei filijs? Non ergo vel incendiarij, vel latrones, vel venefici, aut proditores supplicio extremo affici poterunt à bonis iudicibus? Si tibi constare velis, non licebit: quoniam tempus messis expectandum esse dicis, nec sibi homines ministerium vsurpare debere, quod sit Angelis reseruatam. Si tamè, ne tuarum quoque partium iudicia & facta condemnes, fateris in seditiosos, in proditores, in sicarios, rectè per eos qui praesunt, animaduerti, nihil impediante prohibitione Dominica, ne ante messis tempus zizania euellantur: ostendis ipse nobis, cur nihil argumento isto tuo moueri debeamus, quo minus fidei corruptores, Ecclesiasticae pacis & vnitatis perturbatores, animarum interfectores haereticos, è medio tollendos atque euellendos iudicemus. Hoc enim faciunt in eos magistratus, improbantibus licet vobis, quod in alios sit sceleratos

per omnes gentes, approbātibus & laudātibus vobis. In tanta ergo factorū similitudine, cur vos non aduersamini parabolæ, nos verò ex illa coarguēdi videmur? Nolo hanc differentiam iam adferas, quia illi morte & supplicijs digni sint; isti, quos nostri magistratus occidunt, non sint. Intelligis enim ex superioribus, hoc ineptè te esse dicturum. Neque enim tu ipse ad id parabolam Evangelicam protulisti, vt ostenderes iniquum esse trucidari eos qui essent vitæ perpetuitate dignissimi: sed vt præproperum & alienum coargueres eorum qui Reipublicæ præsunt ministerium, quod sibi & ante messem, & præ Angelis, quibus solis competat, arrogauerint. Debes ergo docere cur peccēt nostri magistratus, hos, quos nocentes arbitrētur, tollendo ante tēpus messis; & vos, qui in alios reos id ipsum facitis, non peccetis. Non te hæc vrgent atque exstimulant ad veriore[m] Evangelicæ parabolę sensum exquirendum? Tuus enim iste tibi vehementer obest, neque alio certius reuinceris. Ac ne labores, breuiter ipse expediā. Declarare illa parabola voluit Christus, nō esse id agendū Ecclesiæ ministris ac filijs, vt omnia quæcūq; vsq; deprehenderēt zizania, euellere, ac velut in fasciculos collecta, à sua societate vniuersa segregare meditarentur. Non enim hoc temporis istius esse, vt in terra boni sine malis degant; non id omnibus ministerium conuenire, vt hic à bonis omnes seiungant malos: sed hanc esse propriam supremi iudicij separationem; hoc separandi ministerium Angelis esse destinatum. Quamuis enim iusto dolore serui moueantur, quòd tritico cernant permista zizania; malintq; & optent pueri tritici ad spectu frui; nullus tamen eò proflire debet per impatientiam, vt id agendum putet, ne villos superbos, ne inuidos, ne vanos & gloriosos, ne susurrone[s] & detractores, ne auaros, ne ebriosos, ne otiosos, ne mendaces, ne villos tales vitio-

fos

fos & impuros homines, veraque zizania tolerare cogatur. fuere quondam eiusmodi impatientes per superbiam, vt Nouatiani, qui se Catharos, hoc est, purōs mundosque vocabant: vt Donatistæ, qui eodem laborabant superbiæ vitio, ex quo præcipites in schismata, tanquam solis deberet Ecclesia granis constare, sese ab reliquis segregarunt. Cuiusmodi homines Cyprianus obiurgans, Quantus, inquit, arrogantia tumor est, quanta humilitatis & leuitatis obliuio, arrogantia suæ quanta iactatio, vt quis aut audeat, aut facere posse se credat, quod nec Apostolis concessit Dominus, vt zizania à frumento putet se posse discernere, aut quasi ipsi aream purgare concessum sit, paleas à tritico conetur separare! Ad quos etiam respiciens Augustinus, atque huius Euangelicæ parabolæ nobis sensum aperiens, Alia est, inquit, agri conditio, alia quies horrei. Tolera: ad hoc enim natus es; tolera, quia fortè toleratus es. Si semper bonus fuisti, habeto misericordiam: si aliquando malus fuisti, noli perdere memoriam. Et quis est semper bonus? facilius, si te Deus diligenter discutiat, inueniet te etiam nunc malum, quam tu te semper bonum. Ergo toleranda sunt zizania: hæc inter frumentum; hirco, arietes, hœdi inter oues. Quid autem ille de frumento? In tempore, inquit, messis, dicam messoribus: colligite primùm zizania, & alligate in fasciculos ad comburendum ea, triticum autem meum recondite in horreo. Transiet agri concretio, veniet messis discretio. Exigit nunc Dominus de nobis patientiam, quam proponit in se, dicens tibi: Ego certè si voluero modò iudicare, nunquid iniquè iudicabo? nunquid falli potero? Si ego qui semper rectè iudico, & qui falli non possum, differo iudicium meum: tu ignorans quemadmodum iudicandus sis, audes tam præproperè iudicare? Videte, fratres, quemadmodum illis seruis volentibus ante tempus eradicare zi-

Lib. 4. Epist. 2

Cap. 5. Tract. de omnibus.

zania, hoc opus nec in messe concessit. Ait enim: In tempore messis dicam messoribus. non ait, dicam vobis. sed quid si ipsi messorerunt? Non. nam exponēs omnia singulatim: messorēs, ait, Angeli sunt. homo ergo carne septus, aut caro totus, audes vsurpare officiū alienum, quod nec in messe erit tuum? Et in Psalmum nonagesimum octauum: Tantum, inquit, te torquet iniustitia aliena, quantum recesseris à tua. cū enim fueris frumentum, id est, herba bona de semine bono, cū cœperis fructum dare, tunc tibi apparebunt zizania. Cū cœperint apparere zizania, videbis te inter malos: velle habes, quasi separare à te malos, & separare ab Ecclesia omnes malos. Respondebit tibi Dñi sententia: Sinite vtrumque crescere vsq. ad messem. Separare ea non potes, tolerare tibi necesse est. Sic Augustinus, hoc significans quod antè iam diximus, neque huius esse temporis, neque hominum, sed Angelorum officium, malos à bonis omnes secernere, ones ab hœdis, zizania à tritico separare, vt sit area Domini repurgata penitus, in qua nullus possit zizaniorum aspectus offendere. Sed qui zizania colligi p̄ohibet (quod tum fit, cū seorsim à tritico simul in vnum omnia cōgregantur) is non aliqua notabiliora, & quæ peculiari aliqua pernicie rebus humanis aut diuinis officerent, diuersis locis & temporibus euelli zizania p̄ohibuit: cū vt tollerentur, vel Reipublicæ tranquillitas & incolumitas, vel vnitas atque integritas Ecclesiæ, quæ per hæreticos violatur, postularer. Sicut nec quia permitti iussit crescere zizania vsque ad messem, idcirco singula voluit sine pœna tolerari. Namque arboris incrementa non prohibet, qui ab ea ramos quosdam arecentes abscindit. Ideoque idem ille Augustinus, cū dixisset modò separationis tempus non esse, sed tolerationis: continuo tamen adiunxit, non ideo se ista dicere vt corripienti dormiat discipli-

sciplina: imò verò ne in illud iudicium incauti veniamus (inquit) & cæci, negligentēs cæcitatē nostram, subito nos ad sinistram veniamus, disciplina exerceatur, iudicium non præcipitetur. Ad hanc autem exercendam in Republica disciplinam pertinere, vt quædam à Reipublica corpore tanquam mēbra noxia præcidantur, non modò omnis semper bene ordinata Respublica declarauit, sed & Deus ipse, cū præcepit ne maleficos ij qui potestatem gererent, viuere paterentur. neque solū id in causis ciuilibus faciendū, qualis in furtis & latrocinis vindicandis attenditur: verū etiam in causa religionis atque Ecclesiæ fieri posse, cū olim Helię in prophetas Baalaticos demōstrauit exemplum, tum tēpore etiam noui Testamēti, in Ananiam, & eius coniugem, Petri seueritas testata est. Quòd enim illi mentiti fuerant non hominibus, sed Deo, repentinæ mortis supplicio punitum est; non vt hoc metu cæteri à Reipublica cohiberentur iniuriis, sed quo sic in Christianæ religionis veneratione, sedulaque obseruatione continerentur. Cur non hictum Christiani, doctrinæ Euangelicæ memores, ante messis tempus zizania tolli querebantur? Cur sibi vel prius Helias, vel postea Petrus, Angelorū munus proprium vendicauit? Christus (inquis) Ananiam, nō Petrus occidit. Ego verò dico, & Christus, & Petrus; sed ille potestate, hic ministerio: sicut & claudum ambulare fecit Petrus, non sua, quemadmodum ait, virtute, sed tamen ministerio verbi. Est diui Chrysostomi illa sententia: Quoniam (inquit) facti conscia erat & illius mulier, ideo & illam exanimat. At dixerit fortasè quispiam, quòd valde acerbè illam tractarit. Dic fodes, quæ est ista seueritas amara? Si enim qui ligna collegerat, lapidatur; quanto magis qui sacra diripit sacrilegus? Etenim pecuniæ illæ iam sunt sacræ. Est & diui Hieronymi sensus idem, quem in libro contra Vigilan-

Chrysostomus.

Hieron contra Vigilantium.

lantium sic expressit: Legi Syromasten Phinees, au-
 steritatem Helia, zelum Simonis Chananai, Petri fe-
 ueritatē, Ananiam & Sapphiram trucidantis, Pauliq.
 constantiam, qui Elymam magum, viis Domini resi-
 stentem, æterna cæcitate damnauit. Non est crudeli-
 tas pro Deo, sed pietas. Vnde & in Lege dicitur: Si fra-
 ter tuus, & amicus, & vxor quæ est in sinu tuo, depra-
 uare te voluerit à veritate, sit manus tua super eum, &
 effunde sanguinem eorum, & auferes malum de me-
 dio Israël. Hæc eò Chrysostomi & Hieronymi verba
 pertinent, vt intelligamus, Ananiam & Sapphiram,
 propter violatā religionis causam, acerbè quidem, sed
 meritò à Petro fuisse tractatos. In causa itaque simili,
 cur nequeat fieri ministerio creditæ potestatis, quod
 vocis ac verbi ministerio factum est? Namque in cau-
 sis puniendorum criminum nihil aliud sunt Iudices
 quàm ministri Dei: quemadmodum apertè Paulus
 docet. Qui proinde si quos occidunt, non Christo suū
 officium eripiūt, sed eius auctoritate & potestate fun-
 guntur. Ac fieri quidem potest, vt ij qui perimuntur,
 grana sint, æterna Dei prædestinatione: sed si ita est,
 quamuis occiduntur vt homines, non tamen vt grana
 perduntur. Dabit enim Deus & mediis in ignibus res-
 sipiscentiam ijs quos ad æternam salutem prædesti-
 nauit. Sed sicuti non patietur grana perire, quæ ab
 æterno prædestinata sunt: ita iudicibus opera danda
 est circa singulos, qui tāquam rei sistuntur, ne propter
 iudicij temeritatē hoc eis adscribi possit, quòd grana
 perdiderint. Non quia hoc facere possunt, sed quia
 hoc interdum, quantum in ipsis est, propter præcipi-
 tationem fecisse videantur. Non solùm enim qui col-
 ligeret ante messis tempus zizania, hæc accusationem
 incurreret, quòd grana, quantum in ipso est, perdidisset,
 quamuis hoc periculum in ipsa collectione, quæ
 omnium est zizaniorum, manifestissimè certissimeq.

appa-

appareat; verùm etiam si in singulis pro tempore &
 loco perimendis hominibus, magis præcipitandi iu-
 dicij temeritas, quàm æquitatis & iuris ordo valere
 cerneretur.

CAPVT III.

*Quale sit quod dicunt isti, Christo suum officium
 eripi per eos qui animaduertunt in hæreticos,
 aut ab iis Euangelium regi.*

QUID autem est quod profert ex cuiusdam lite-
 ris, quem pium & grauem virum vocat: in causis
 fidei haud licere hîc quemquam lædere, eijcere, occi-
 dere, ne Christo Domino suum officium eripiatur?
 Quod istud (inquam) Christi officij? Lædere (inquis)
 eijcere, occidere. In qua causa? Fidei. Quādo? In futu-
 ro iudicio. Primùm ad futurum iudicium si hoc
 Christi officium alligas, non debuit hîc Ananiam &
 Sapphiram occidere, sed futurū iudicium especta-
 re. Deinde vbi iam relinquuntur Angeli, quibus illa
 prius zizaniorum separatio & eiectio in flāmas æter-
 nas tribuitur? an ministri tantū erunt? sed quid nos
 aliud hominibus tribuimus, quàm sub Principe
 Christo, in fidei causis, ministerium eijciēdi, atq. etiā,
 cū opus est, occidēdi? cui ministerio si in hac dum-
 taxat vita, in fidei causis, nullus esse potest locus, sed
 hoc futuro seculo reseruatum est; non debuit hîc no-
 bis de solius Christi potestate, quæ per ministros non
 læditur, sed de iudicij tempore præscribi. Hoc autem
 iudicij tempus in fidei propriè causis, messis tempus
 esse, qua fronte docebis ex Evangelica de zizanijs pa-
 rabola, quæ ad omnes filios nequam pertinet? An non
 filij nequam latrones, & falsi testes? non ergo hîc læ-
 dendi, non eijciendi, non occidendi erunt: quoniam
 filiorum nequam eiectio & læsio, futuro est iudicio
 reseruata. quid hîc habes de causa fidei proprium? an
 sunt

funt hæretici propriè intelligendi filij nequam, propter insignem prauitatis exluperantiam, & ideo soli Christo, solique extremo iudicio est eorum eiectione reseruata? sed de hæreticis mitius vos loqui soletis, quos etiam asseritis filios esse Dei: & si nequissimi essent, sicuti sunt, magis hinc quoque talium zizaniorum permittenda erat eiectione; quia nec vos insigniora quædam & Reipublicæ nocentiora, eijsci, lædi, atque occidi prohibetis. Denique propter quam nisi fidei causam peremit Helias sacerdotes Baal? Si dicis, aliud esse de idololatriis; habes etiam non idololatrias interfici iussos, qui non obtemperassent in quætionibus de Lege exortis, summi Sacerdotis imperio. Sed cur aliud de idololatriis tuo iudicio, nisi quia illi filij tenebrarum, hi tui filij lucis sunt? Ergone filios lucis in extremo iudicio Christus lædet, eijsci, occidet? Si meritò abhorres, soli tibi supersunt filij tenebrarum, quos Christus possit eijscere, lædere, occidere. In hac ergo causa tenebrarum, seu infidelitatis, soli sine Christi officium est occidere? si solius, accusatur Helias; si non solius, excusantur qui per ordinatas potestates, non lucis filios, sed lucifugas hæreticos, è Christianorum societate & finibus exterminandos arbitrantur. Inepta proinde & illa sunt: [Magistratus officio non incumbit vt Christianam religionem, verbum Dei, & sacrosanctum Euangelium regat. Hoc officium ad aliud Dominum & rectorem pertinet, nempe ad Filium Dei Iesum Christum.] Quis ergo Dei verbum aut Euangelium sibi regendum assumit? An verbum Dei regebat Helias, cum prophetas Baal occideret, secundum Dei verbum? aut prætor leges Principis regit, ipsam ve iustitiam, cum ex illarum huiusve præscripto nocentes occidit? Quid Paulus? Illene regebat Euangelium Christi, cum secundum Euangelium aut Corinthium eijsceret, aut quosdam sui temporis hæreticos sarana

trade-

traderet, vt discerent non blasphemare? Qui sunt ergo isti inanum fuci verborum de regendo verbo Dei? Christus ipse, qui secundum hominem iudex futurus est viuorum & mortuorum, quia dedit ei Pater potestatem iudicium facere in homines, eo quòd & ipse Filius hominis est, ille ergo suum exercens iudicium, verbum Dei reget, aut potius regetur Dei verbo? Sic igitur Ecclesia Christi, & qui in ea sunt Reges ac Magistratus, non verbum Dei regunt, sed verbo Dei reguntur: non solum in eo quòd reguntur latrones & parricidas, verum etiam in eo quòd religionem Catholicam & Euangelium ipsum corrumpi à seductoribus haud impunè sinunt. Verbum enim Dei est; Vis non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit. Hoc ergo Dei verbo reguntur Principes, quando vestros persequuntur errores. Sicut & alias aliorum errores persecuti sunt, idque ad suum officium, iuxta Dei verbum, pertinere putauerunt. Cum enim (inquit Pacianus) per nostram fidem Christiani Principes esse cœpissent, ipsi Catholicæ, hoc est, suæ parti fauentes, proprio dolore commoti sunt. Et infra: Nescis seruire ipsas innocentibus potestates, & in bonum sanctis Patribus ministrare? Sicut Apostolus dicit: Principes non sunt timori bono operi, sed malo. Vis autem non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa. Minister enim est tibi in bonum. Sic Pacianus contra Nouatianos.

Pacianus Bar-
celonensis Ep-
scola 2.

CAPVT

CAPVT IIII.

Principes Christianos non propterea sibi usurpare de Evangelio iudicium, aut potestatem in regnum Christi, quod in religionis deprauatores animaduertunt.

VIDE autem quàm dexterè conciones librosque suos ad rerum suarum statum accommodent, nõ ad fixam aliquam certamque veri rationem. Cùm enim eos libero dominatu potiri contigerit, liberitque ritus Catholicos, & veræ religionis exercitia profligare, tum illa inculcantur, quæ ex eorum grege quispiam ita scripta reliquit: [Si falsa doctrina, falsus Dei cultus, & id genus impietas, in Ecclesiam irreperint, hæc Ecclesiæ præfides ilico extirpabunt. Quod si negligentes fuerint, piorum Regum ac Principum partes erunt, exemplo Ezechie, Iosæ, Constantini, Theodosij, & multorum aliorum regum, tum in vetere, tum in nouo Testamento, Ecclesiam expurgare.] Et item alius: [Sic, inquit, reges Ecclesiasticis viris verbum Dei docentibus parere debent, vt vicissim hos officium facere cogant, & non solum vrgeant cessantes, verumetiam, si ex gregis Domini ductoribus seductores, ex pastorebus depastores vel impostores fiant, illos dignis supplicij multatos è medio tollant. Cur enim qui suorum fortunas & corpora ab iniurijs defendere debet, aliquos sinat falsa doctrina, & blasphemij exitalibus, cum sempiterno multorum exitio, in suæ fidei credito populo grassari? hoc certè illis ius Deus fecit, qui falsum Prophetam, deorum alienorum præconem, etiam si doctrinam suam signis confirmet, occidi iussit.] Sic tum ille. At cùm sibi adhuc metuunt à Christianis magistratibus atque principibus, suisque in erroribus poscunt libertatem; illa superior vt inutilis doctrina supprimitur. & tanquam pro tempore cætilena mutatur. Tum in suum ordinem redigenda esse dicitur potestas

Tertullianus in Epistola ad Galatas.

testas secularis, ne sibi vsurpet quæ solius sunt Christi proptia. Et quænam illa? Ecclesiam ab impijs & profanis cultibus, tanquam à zizanijs, repurgare; in causa religionis eijcere, lædere, occidere. Tū ergo illa memoria excidunt piorum exempla Regum, & à negotijs causisque pietatis, atque à regni Dei cura & protectione, secularis potestatis administratio longissimè seceratur. Et pugnantia quidem ista sunt, valdeque in extremis ipsis vtrimque cõstitutata; sed non erubescit hæresis pugnantia dicere & facere, modò causæ interim suæ aptè deseruiat. fuit enim & Donatistarum hæc in sui defensione dexteritas. Aiebant (teste Augustino) de religione fas non esse vt diceret Imperator, vel ij quos ille misisset. Quos Augustinus aliud dicere, aliud facere demonstrans, Cur ergo, inquit, ad Imperatorem vestri venere legati? cur eum fecerunt causæ suæ iudicem, non secuturi quod ille iudicaret? At Catholica veritas media quadam via inter hæc ingreditur, Christianoque magistratui neque nihil in causis religionis, neque totum tribuit. Nam de doctrina fidei cognoscere, quidque in ea sentiendum sit discutere atque iudicare, id alienum à seculari magistratu existimari debet. Siquidem habet Ecclesia Christi suos Præsides, propriosque iudices, Pastores videlicet atque Doctores, quos in ea propterea Deus posuit, vt non essemus tanquam paruuli fluctuantes, & circumferremur omni vento doctrinæ. habet primum illum confirmatorem fratrum, pro quo rogauit Christus, vt non deficeret fides eius, sed ita solidè esset in docendi iudicandique, quod ad omnes pertineret, officio ac ministerio stabilitus, vt per hoc Ecclesiam ab errore noxio conseruare posset immunem. Neque proinde aut opus est, vt hic Pastorum Ecclesiæ tanquã dormitantium vices secularis suppleat magistratus, aut id ad eius munus villo modo spectate censendum est. Recteque ac iure planè suo, quem-

Vide libr. 1. contra Parmenianum, capite 7.

Ephes. 4.

Lucæ 22.

quemadmodum ex Suida commemoras, Leontius Episcopus in Misa reprehendit Constantinum, quòd Synodo præesse, & de religione statuere vellet, inquit: Miror te, Imperator, cum ad alia negotia ordinatus sis, alia tamen aggredi. Decernere enim de religione, seculari Principi nõ licet. Dare verò operam vt ea quæ bene decreta sunt, sedulo teneantur, ac ne vlla aduersus Ecclesiæ iudices, rebellis insurgat manus, potestatis; gladijque metu insolentiora superborum, seque ipsos amantium ingenia reprimere, id si alienum esse putatur ab officio pij Principis, tum demum & exempla vtriusque Testamenti, & doctrina veterum ignoratur, aut certè non ignorata contemnitur. Nam Ezechias, vt, quàm sibi curæ esset vera religio, palàm faceret, non solum magno zelo hortatus est Sacerdotes & Leuitas, vt suo officio probè fungerentur: verum etiã ex Isaiæ Prophetæ mandato, regia ipse vsus auctoritate, ea quæ contraria erant auitæ religioni, aboleuit. non tamen vsurpauit sibi de falsa doctrina iudicium: non ipse falsos cultus sua auctoritate discreuit à veris: non sacerdotum officium inuasit, de quibus scriptum est: Labia sacerdotis custodient scientiam, & Legem requirunt ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. Quid huius prædecessor Iosaphat? Nõne is Sacerdotes & Leuitas prædicatum miserat Domini Legem, nobilibus suis præsidij loco adiunctis? qui dum adessent Sacerdotibus, non minùs Legem auctoritate sua docerent, quàm verbo Sacerdotes? Et idem tamen vide quàm non sibi arrogauerit iudicium de Lege ac religione, sed id Sacerdotibus reliquerit. In Hierusalem (ait Scriptura) constituit Iosaphat Leuitas & Sacerdotes & principes familiarum ex Israël, vt iudicium & causam Domini iudicarent habitatoribus eius: præcipitq. eis, dicens: Sic ageris in timore Domini fideliter & corde perfecto. Omnem causam quæ venerit ad

vos fratrum vestrorù, vbicunq. quæstio est de Lege, de mandato, de ceremonijs, de iustificationibus, ostendite eis. Amarias autem Sacerdos & Pontifex vester, in his quæ ad Deum pertinet, præsidebit. Quid item Iosias? an non is decimo octauo regni sui anno, Sacerdotibus ac Leuitis regia potentia præsto adfuit, ad exterminandum idololatriam? nec tamen Sacerdotale arripuit officium: quod quia fecit Amasias, euidenti plaga percussus est. Quid iam noui Testamenti reges? nõne eandem ipsi quoque mediocritatem secuti sunt; neque sibi videlicet de religione iudicium adsumentes, & tamen iudicata volentes executioni mandari? Cunctos (inquit Theodosius) populos, quos clementiæ nostræ regit imperium, in tali volumus religione versari, quam diuinum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio vsque adhuc ab ipso innuata declarat; quamque Pontificem Damasum sequi claret, & Petrum Alexandria Episcopum, virum Apostolicæ sanctitatis. Ac ne dicas, hoc eum tantum modo cupisse atque optasse, nõne etiam cum supplicij interminatione imperasse; attende quid adiungat: Hanc, inquit, Legem sequentes, Christianorum Catholicorum iubemus nomen amplecti; reliquos verò dementes, vefanosque iudicantes, hæretici dogmatis infamiam sustinere, diuina primùm vindicta, pòst etiam motus animi nostri, quem ex cælesti arbitrio sumpserimus, vltione plectédos. Animaduertis, Theodosium pijssimum sine dubio Imperatorem, quem & vos laudare soletis, non quidem decernere quid credendum esset aduersum Arianorum hæresim; sed tamen feueritate suæ Legis atque imperij, tueri velle fidem sedis Apostolicæ decreto illustratam atque firmatam. Quid ergo est, quòd Christianos reges accusas, quasi vt olim Principes Iudæ. similes ijs sint qui terminum mouent, alienam iurisdictionem inuadèdo, cum suo mi-

Ecles. 48.

Malach. 2.

2. Par. 19.

nisterio diligenter hoc curent, ne per vos, vestrique similes, patrum termini in religione moueantur? Quid est quod eos Iunij Bruti verbis tam grauius insectaris, vt gigantum more cælum petere & scancore velle dicas, qui in id incumbunt officij ratione, vt in eos qui in cælo habitant, nõ impunè linguas vestras exferatis? Quid est quod inculcas magistratum malè edoctum, & perperam instructum, in eo hallucinari, quòd se putet per vim, hoc est, seueris & iustis legibus, cultum Dei posse conseruare? Tu nunc meliùs magistratum institues, quàm olim Ezechiam Isaias? aut Iosiam Hieremias? aut Ioiada sacerdos Ioas regè? aut Theodosiũ florèntissima Ecclesia suæ ætatis instruxit? quæ ista leuis & indocta præsumptio est? Nesciebas hanc & Augustini & aliorum passim veterum luculentam esse doctrinam, Principes, ex quo Christiani facti sint, nõ quidem regnum Christi regere, sed tamen ei seruire, & tueri hoc aduersus eius hostes pro modo suæ potestatis oportere? Et quid apertius, quàm vt suæ potestatis vsum conuertant non modò ad iustitiam inter homines, verum etiam ad religionem, erga Deum conseruandam? Quid rectius ac religiosius, quàm vt sua potestate non modò studeant hominũ terrenis utilitatibus, verum etiam, atque id quidem imprimis, diuino honori tuendo? Tametsi enim potestas secularis, tantisper dum aliena est à vera religione, Deo non seruit, neque eius regni curam ad se villo pacto pertinere existimat, quin illud porius persequitur, ei quæ, quantum sæpe potest, aduersatur: tamen ex quo submisit sese Christo, dicere vt ei non seruiat, vt eius honorem & religionem ad se nihil attinere cogitet, vt Christi hostes ab eius regno non repellat, vt iustitiæ quidem, sed non pietatis, sine qua illa ægrè constat, habeat rationem; id omnino est, Christianos principes profanos reddere, atque vt Christiani esse desinant, docere &

fua-

suadere. Audes tamen dicere, Christiani magistratus nomen nuper priùs inuentum, & ad quorundam singularè commodum excogitatum esse: quasi non cœperit esse Christianus magistratus, ex quo Reges ac Principes facti sunt Christiani. Quod autem cœpit tunc esse, putas homines tam fuisse stupidos vt nescierint nominare? quid erat negotij vocare ac dicere Christianum magistratum, quando iam erat Christianus? Cùm autem primi sint Regum ac Principũ magistratus: qui Reges ac Principes dicebat Christianos, non ille tibi magistratum Christianum dixisse videtur? Nec Senatores Christianos, aut Primicerios, aut Tribunos dictos, nisi nuper primùm legisti? Quamuis autem Paulus Christiani magistratus non meminisset, neque de eo, vt ais, quicquam scriptum reliquerit in suis epistolis, quia tum Christianus non erat magistratus, sed adhuc Christi nomen persequabatur: tamen non negauit magistratum secularem posse fieri Christianum. Quin potius vt fieret, orandum esse dixit pro ijs omnibus qui in sublimitate constituti sunt; quia Deus saluator est omnium hominum, non inferiorum tantùm & plebeiorum, sed etiam Regum & Principum. Oravit igitur Ecclesia iuxta Pauli præceptum, & tandem nobis Constantinum Imperatorem impetrauit. Quò post susceptam religionem imperante, inferiores quoque magistratus Christiani effecti sunt per orbem passim Christianum. Ex ijs quæ temporibus cœpit Christiana religio, secularis etiam magistratus gladio & potestate defendi: non vt sibi arrogarent præfecturam in regno Christi, quæ præfectura Ecclesiastica est ijs cõmissa, quos dicit Apostolus collocatos vt regerent Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo; sed vt huic Ecclesiasticæ præfecturæ, cui sese ipsi tanquam Christi ouiculas submiserunt, ad religionis conseruationem, suæ potestatis administra-

rione subseruirent; neque vt vnum idemque esset regnum Christi, & regnum mundi, quod tu nos dicere falsò insimulas, qui non ignoramus, quod te solum scire putabas, tantum interesse inter illa, quantum distat inter cælum & terram, inter carnem & spiritum, temporarium & æternum: sed, vt posteaquam regnum mundi suspicere & adorare cœpisset regnum Christi, eiq. sua scepra subijcere, tum etiam eidem, presertim adhuc inter varias infidelium iniurias militanti, vsui esset ad tutelam. Sicut enim magna inter spiritum & carnem distantia est, & tamen caro spiritui seruit, eique adiutrix est ad multas res pie & salubriter obeundas: ita, quamuis plurimum distet inter regnum mundi & regnum Christi, interque gladium materiale & spirituale; tamen potestas inferior superiori ministrat & cooperatur ad ea quæ sunt salutis: sicuti antea clarissimè diui Isidori verbis explicatum reliquimus. Cùm enim regni temporarij finis proprius sit pax & tranquillitas temporanea; regni verò Christi, pax illa cælestis & æterna: quomodo temporanea æternis subseruiunt, ac propter hæc commodius adipiscenda, Christianis votis illa petuntur; ita regnum regno, potestas potestati, gladius gladio, subseruit. Et quamuis vnum, alterum non sit; tamen vtrumque alterius opera & officijs eget, tantisper dum Ecclesia peregrinatur in terris. Regnum enim terrenum, si ab eo Christi regnum seiunxeris, quid aliud est quam languens aut emortuum sine spiritu corpus? quantacunque enim illic iustitia, & concordia, & integritas morum appareat; tamen sine fidei spiritu, qui extra Christi regnum haberi non potest, nihil eorum viuum est; cùm scriptum sit: Iustus ex fide viuuit. E diuerso quoque, si à regno Christi seiunxeris regnum mundi, hoc est, si Reges ac magistratus seculares, ab Ecclesia alienos esse contigerit, quamuis stare Christi regnum, Dei

Rom. 1.

virtu-

virtute, possit inuictum, sicuti diu ante Constantinum, inter tot tantasque persecutionum tempestates stetit; tamen valde impeditur atque turbatur quies illa vitæ Christianæ, propter quam Paulus orationes & obsecrationes fieri vult pro omnibus qui in sublimitate locati sunt, Vt quietam (inquit) & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate.

CAPVT V.

Non quia Christi regnum non est de hoc mundo, consequens videri debere, vt non queat Principum armis defendi.

Nihil ergo tibi Witlingius ille tuus profuerit, cùm sic commètur (vt ais) in Matthæi locum, Regnum meum non est de hoc mundo: Non est (inquit) quòd huius mundi Principes gloriantur se esse Ecclesiæ Christianæ defensores. Ecclesia enim non potest defendi armis; propterea quòd regnum Christi non sit de hoc mundo. Quòd si quis voluerit esse protector Ecclesiæ; Petri, Pauli, & aliorum Apostolorum ac Martyrum gladium accipiat, non Augusti aut Neronis. Nam Imperatores defendunt externo suo gladio oppida & vicos: Apostoli autem defendunt Ecclesiam gladio spirituali, hoc est, verbo Euangelij, & passione sua qua de verbo testificantur. Sic tuus Apostolus Witlingius: cuius orationis hæc breuissima summa conficitur: Non est Christi regnum ex hoc mundo, ergo non debet mundi armis defendi. Atqui iniqua tamen conditio est, vt possit oppugnari armis, quamuis non sit de hoc mundo; & non possit armis defendi, ne tum quidem cùm & arma regno Christi subiecta sint. Et quid regnum Christi est, nisi homines fideles, sancti atque innocentes, in quibus regnat Christus? Nunquamne ergo innocètia, quæ de hoc mundo non

est, nunquam pudicitia, nunquam virtus armis protegi ac defendi poterit? Et cum ij, ex quibus confurgit Christi regnum, animo consentent & corpore, si vis ab eorum corporibus, ne trucidentur, propulsari gladio potest, non poterunt armis arceri ij, qui, si admissi fuerint, multorum animas grauiore morte iugulabunt? Si quem sciret maritus venturum, qui verbis uxorem ad impudicitiam & adulterium pelliceret, puto quod eum, si aliter non posset, armata etiam manu, & terrore propelleret; non modò ne corpus eius impudicè contingeretur, sed ne animus etiam ipse degeneri aliquo deprauaretur affectu. Pudicitiam ergo vxoris si licebit viro vi etiam obiecta tutari, cur non liceat tot animarum, in Christi regno tranquillè degentium, integritatem simplicitatemque defendere ferro, cum id suppetit ac necesse est, reiectis ijs qui fuerant corrupturi? Habes ergo defensionem licitam, non corporum modò, verum etiam animorum; quia maior adhibenda cautio sit, ne intereant animæ, quàm ne corpora violentur. Cumque hostes regni Dei & corpora sanctorum petant, & animos perdere gestiant: perspicis vtraque ex parte Christi regnum armis posse defendi. Quid enim est Christi regnum defendere, nisi sanctorum societatem, quoad fieri possit, & corpore & animo ab hostilibus iniuriis inuiolatam conferuare? Ac tametsi cum verbis & sermocinationibus oppugnatur regnum Dei, non prætereunda sit, sed adhibenda imprimis ea quæ verbis & prædicatione veritatis, ac pijs ad Deum precibus, & monitis, literisque suscipitur defensio; tamen securior illa est, quæ ipsa etiam contagia venenati sermonis excludit. quæ cum præstari verbo solo non poterit, aut solius Ecclesiasticæ disciplinæ seueritate; erit profectò gladij secularis educatione præstanda. non quod Dei verbum atque Euangelium, in seipso semper firmissimum, eiusmodi defen-

sionis

sionis indigeat; sed quia homines indigeant, ne vide licet hoc ipsum Dei verbum eripiat credentibus, ac pro salutari doctrinæ cibo, virus perniciosi substituat erroris. Qui autem propriam ac præcipuam religionis veritatisque defensionem in vsu gladij sitam arbitretur (cum ea subsidiaria tantummodo, atque subseruiens rationi & sermoni defensio sit) ita fallitur in genere defensionis proprio atque primario, vt olim tyranni Principesque Gentilium; qui cum sentirent nihil esse in rebus humanis religione præstantius, eamque summa vi oportere defendi, vt in ipsa religione, sic & in ipsa defensionis propria ratione fallerantur. Defendenda enim religio est (inquit Lactantius) non occidendo, sed monendo; non sæuitia, sed patientia; non scelere, sed fide. Illi autem cum nihil ratione valerent, & idola sua, deorumque multitudinem defendere disputando erubescerent, sæuendo & trucidando superare contendebant. Ecclesia verò, penes quam præcipua propriaque religionis propugnandæ facultas est, contra errorem, ratione; contra stultitiam, sapientiæ; contra impietatem, pietatis; contra furorem & vim, patientiæ armatura munitur. nec tamen subsidia sua negligens, Christianorum etiam Principum, hoc est, mater filiorum tuorum, opè implorat. Quamuis enim regnum Dei non sit de hoc mundo, tamen quamdiu in mundo versatur, & communi cum ceteris hominibus mortalitatis conditione tenetur, multis eget mundi rebus ad sui conseruationem. Alioqui si, quoniã de hoc mundo non est, mundanis non debet vti præsidij, neque igitur cibo & potu, neque domicilijs, neque affinitatibus & cognationibus, neque ciuitatibus, & ciuitatum legibus; alijque rebus ad mundi huius figuram pertinentibus, vti debebit. omnia enim hæc de hoc mundo sunt, cum tamen regnum Dei non sit de hoc mundo. Licebit &

y 4

hoc

hoc ex vnus Apostoli exemplo æstimare, qui ad regnum Christi pertinebat, & iam, quatenus Christi seruus, de hoc mundo esse desierat. Ille ergo nunquid propterea mundi præsidii sibi vtendum esse non putauit ad sui defensionem? Nonne & Cæsarem appellauit, & militem armatum, à quo deduceretur, accepit? Neque verò id fecit vt seipsum sibi temporaliter, sed vt alijs, quibus adhuc in regno Dei ministerium eius necessarium erat, conseruaret. Quid igitur illa Pauli, non vt hominis vnus, sed vt Apostoli Christi, multisque adhuc vsui ad salutem æternam capeffendam futuri, nisi regni Christi existimanda est fuisse defensio? vt enim quæ Regis, eadem regni defensio est; ita defensio tanti Apostoli, profectò ad regni Dei defensionem protectionemque pertinebat. Neque verò ad hoc Christus protulit, regnum suum non esse de hoc mundo, vt significaret, suum regnum præsidij secularibus nunquam oportere defendi, sed vt ostenderet, quamuis Rex esset, nihil tamen esse miradum, si non seculi regum more, præsidio militari stipatus, præsertim inter hostes, incederet. Non enim regnum suum eius esse rationis & conditionis, cuius sint regnà mudi. Quod si ita esset (quemadmodum Pilatus nullam aliam regnandi rationem animo facile concipiebat) tunc (inquit) ministri mei decertarent pro me, ne traderer Iudæis. Sed regnum meum non est quale huius mundi. humilitatem præ se fert, non potentia ostentationem; mansuetudinem, non terrorem: nec sunt Ecclesiæ ministri proprij, milites; nec arma, ferrum & lanceæ. Sed quamuis regnum Christi non sit de hoc mundo, & ideo neque eius propria defensio, quæ secularibus fit armis: tamen regnum huius mudi, quando reges Christiani sunt, officiosissime religiofissimeque regno Christi famulatur; vt quod proprijs sibi telis atque armis, quæ Dei sunt verbum & innocencia

centia vitæ, contra gladiatorum impetus non posset esse defensum, alieno gladio protegatur. Sic enim mutua sibi præstant officia, regnum Christi & regnum mundi, quando inter sese cõsentiunt. Illud iustitiam & pietatem præstat; hoc tranquillitatem & pacem: illud protegit docendo & orando; hoc tuetur temporarijs armis cum opus est, militando. Et ideo Bernardus hanc commendans confæderationem vtriusque regni, ad eamque conseruandam studiosè cohortans, Iungant, inquit, se animis, qui iuncti sunt institutis; inuicem se foueant, inuicem onera sua portent. Aut Sapiens: Frater adiuuans fratrem, ambo consolabuntur. Quod si alterutrum se, quod absit, corroserint & morderint, nonne ambo defolabuntur? Non veniat anima mea in consilium eorum qui dicunt, vel imperio pacem & libertatem Ecclesiarum, vel Ecclesijs prosperitatem & exaltationem imperij nocituram. Non enim vtriusque institutor Deus, in destructione ea cõnexuit, sed in ædificationem. Et infra, Vtrumque inquit, interesse Cæsaris constat, & propriam tueri coronam, & Ecclesiam defendere. alterum Regi, alterum Ecclesiæ conuenit aduocato. Hæc Bernardus epistola ducentesima quadragesima tertia, ad Conradum Regem Romanorum: & rectissime omnino; cum & Iustinianus ipse, de consensu & concordia Sacerdotij Imperijque loquens, non dubitarit eam Symphoniz verbo commendare, Nouel. 42. Neque enim sic opponuntur regnum mundi & regnū Christi, quomodo ciuitas Dei & ciuitas diaboli: sicut etiam non sic inter se contrarij sunt filij huius seculi & filij Dei, sicut filij Dei & filij diaboli. Filij enim huius seculi etiam homines sancti sunt, quamdiu faciunt quod Christus dicit in Euangelio: Filij huius seculi nubunt & tradunt ad nuptias. Non enim ex iniquitate filij huius seculi nuncupantur; sed ex figura mundi huius,

Bernardus
Epist. 243.

secundum quam & ipsi transeunt, & nunquam in eodem statu permanent. Sic regnum mundi siue seculi huius, non sicut ciuitas diaboli, ex peccato dicitur, sed ex necessario quodam, verumtamen transituro, finis, & que rerum humanarum statu. & ideo quamuis ciuitates duæ, vna Dei, altera diaboli; vna sanctorum, altera iniquorum, semper inter se voluntatibus studiisque contrariæ sunt, & pacem habere non possunt (prudencia enim carnis, quæ diaboli ciuitatem constituit, inimica Deo est, neque subiecta illi esse potest) tamen regnum mundi & regnum Christi possunt inter se non esse contraria, sed alterum alteri coherere, & illud huic amicum & subiectum esse. Quod enim existerunt Reges Babyloniarum, sub quibus illius temporis fideles seruebant, qui ex eorum occasione commoti, quibusdam miraculis cognoscerent & colerent, colique iuberent vnum verum Deum, qui vniuersam condidit creaturam, pro quibus illi, quamuis ab ijs captiui tenerentur, orare iussi sunt, & in eorum pace pacem sperare, ad gignendos filios, & domos ædificandas, & plantandos horros & vineas: hoc totum figuratè significabat Ecclesiam Christi (inquit Augustinus) seruituram fuisse sub Regibus seculi huius. dicit enim Apostolica doctrina, vt omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, & vt reddantur omnibus omnia: cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal, & cetera quæ, saluo Dei nostri cultu, cõstitutionis humanæ Principibus reddimus. Ex cuius captiuitatis occasione, ipsi etiam terreni Reges, desertis idolis, pro quibus persequerentur Christianos, vnum verum Deum, & Christum Dominum cognouerunt & colunt, pro quibus Apostolus Paulus iubet orari, etiam cum persequerentur Ecclesiam. Sic enim dicit: Obsecro itaque primum fieri deprecationes, orationes, interpellationes, gratiarum actiones, pro Regibus, pro omnibus hominibus,

Cap. 21. Libr.
de Casti. rudib.

1. Tim. 2.

nibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, vt securam & tranquillam vitam agamus, cum omni pietate & charitate. Itaque per ipsos data pax est Ecclesiæ, quæuis temporalis tranquillitas temporis, ad ædificandas spiritualiter domos, & plantandos hortos & vineas. Et hoc fit per totum orbem terrarum cum pace Regum Christianorum, sicut idem dicit Apostolus: Dei agricultura, Dei ædificatio estis. Hactenus Augustinus. Itaque si Reges mundi adhuc Ecclesiæ & regno Dei infesti sunt propter suam infidelitatem: orandum pro illis est, vt conuersi protegant, quos auersi premebãt. Sin erunt Reges, vt modò sunt, Christiani: orandum pro illis erit, vt Domino seruiant in timore & tremore, non solum vt homines, verum etiam vt Reges: nec ad id modò, ne regia ipsorum maiestas lædatur, verum etiam, multo que id magis, ne diuina maiestas profanorum sacrilegis & blasphemis linguis offendantur.

1. Cor. 1.

CAPVT VI.

Quid sit quod beatus Paulus ait in posteriore ad Corinthios: Non quòd dominamur fidei vestra.

PR O D V C I T annotatio tua & illum Pauli locum, **P**ex capite primo posterioris ad Corinthios: Non quòd dominamur fidei vestra. Inde colligi vis, neminem cogendum credere; præsertim quia ad eum Pauli locum ex Ambrosij commentario Erasmus Roterdamus annotarit, fidem liberam esse, dominium necessitatis. Vellem Erasmi annotationem inspexisses attentius: animaduertere ex ea potuisses, non loqui Paulum de ea dominatione quæ exercentur ad introducendam, seu extorquendam fidem: nam & fideles erant Corinthij, quos dicit Apostolus fide stare; & si id nõdum fuissent, quænam illa Pauli potuisset esse dominatio, vt fideles fieret? quid sibi in eos iuris, qui adhuc foris

foris essent, vsurpare potuissent? Sed de ea loquitur dominatione, quæ ob susceptam exerceretur fides, tanquam in subditos, & ratione professionis obnoxios. Nec ad eam respicit seueritatē, quæ in causa fidei versetur, sed ad eam quæ adhibeatur corrigendorum vitiatorum gratia: qualem in Corinthium incestum exercuit, quem nemo dicere potest non fuisse puniendum. Sed quoniam ea res poterat malignè traduci, quasi in Christianos, ratione fidei subiugatos, dominationem & tyrannidem quandam Paulus assumeret; Ideo non veni, inquit, vltra Corinthum, parcens vobis. neque verò hoc dico dominantium & imperatorum seculi more, quasi ad vos subigendos & contristandos, pro arbitrio mihi sumam in vos potestatem; sed adiutores sumus gaudij vestri. vestris, inquit, studemus commodis, non auctoritatem & potestatem in vos nostram ostentamus fastu dominantium. Quod & alibi prohibetur. velut cùm Petrus ait in epistola: Non sicut dominantes in cleris; sed forma facti gregis ex animo. & Christus ipse in Evangelio, Reges, inquit, gentium dominantur eorum: vos autem non sic, sed qui maior est vestrùm, fiat sicut ministrator. Quibus locis, non superior à regno Dei, hominum potestas remouetur; non ij qui præsumunt, regere, præcipere, & minari interdum ac metum incutere prohibètur: vnde enim alioqui illæ ad eosdem Corinthios minæ, Vultis in virga veniam ad vos? vnde Corinthij qui peccarat, tam acerba illa tractatio, vt metui posset, ne abundantiore tristitia absorberetur? Nec verò solus Apostolus talem in fideles habebat gubernandi potestatem: sed & alij quos Ecclesijs præfecerat; de quibus dicit, Obedite prepositis vestris, & subiacetis eis. & Qui bene præsumunt presbyteri, duplici honore digni habeantur. & Attendite vobis, & vniuerso gregi, quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine

ne suo. Et rursus cùm scribit ad Titum: Ideo reliquite Cretæ, vt ea quæ desunt, corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros. Quod enim solum putes Christum ita præesse regno suo, vt nullis hominibus vicariam præfecturam & gubernationem eius commiserit, nullique (vt tuis vtar verbis) alteri id regendum mandauerit, sed in ea potestate sint omnes æquales; multum in eo Scripturis aduersaris: in quibus præter ea quæ modò produximus, leguntur illa apud Ioannem Petro dicta, de pascendo regendoque vniuerso Domini grege. Neque enim illic solum est verbum, *vosque*, id est, pascite, siue ale: verumetiam, *pascite*, id est, regite, quemadmodum id ipsum diligenter tuus Erasmus annotauit. Ideoque diuus Chrysostomus libro secundo de Sacerdotio, hinc Petrum asserit omnibus etiam Apostolis præfectum, quem idcirco Apostolorum Principem vocat. neque eam quæ illic significata est Petri præfecturam in oues Christi, ad vnum dumtaxat Petrum; verumetiam ad successores eius pertinere demonstrat. Nec tamen propterea Christus gloriam suam alteri dat, quod ex Ilesia profers puerili conatu euertendi regiminis Ecclesiastici. Sic enim nec reges esse poterunt, nec imperatores, ne ille suam gloriam alteri communicet: quia non solum Ecclesiam suam; verum etiam mundum regit Christus vniuersum. ac sicut Rex ipse est regum, & Dominus dominantium; ideoque non reges tollit, sed regit: ita pastorum Ecclesiæ, rectorumque Princeps est, non rectores, pastoresque, vicarios tollens; sed stabiliens ac dirigens, quo suo munere probè fungantur. Denique non ait Christus, Nemo sit inter vos maior, sed, Qui maior est, inquit, vestrùm, fiat sicut ministrator. Quibus verbis, cùm maiores, id est, superiores ac præfectos aliquos inter eos demonstrat esse futuros, tum vitium corrigit, quod potestati superiori frequenter adheret: quo fit vt ij qui præsumunt,

præfunt, sæpenumero quid quantumque possint in subditos, ostentare per summam vanitatem plus gestiant, quam prodesse curent. Qualis erat ille diui Ioannis in epistola notatus Diotrophes, qui amabat primatum gerere inter suos, neque fratres arrogantia tumidus suscipiens, & eos qui suscipiebant, de Ecclesia eiciens. præesse ergo volebat, non prodesse. Quod vitium ambitionis cum esset familiare Gentium principibus, voluit id Christus, humilitatis magister, à Christianis præfectis cuiuscunque ordinis essent, procul abesse: ut cogitarent sibi creditam esse præfecturam, non propter se ipsos, hoc est, suos honores, propriaque & priuata commoda; sed propter subditorum utilitatem & salutem; ut patres, ut directores, ut adiutores ac ministros se esse, non dominos, meminissent. exemploque beati Apostoli, suum ministerium honorificarent Ecclesiastici potissimum præpositi: ministerium, inquam, suum, non dominium, ut ait diuus Bernardus. Namque in hoc dominandi verbo nescio quid sonare vitiosum, ipse etiam orbis Imperator Augustus Octavianus animaduertisse visus est, cum se vetuit, teste Orosio, appellari dominum, qui vellet parens & moderator haberi. Et Marius (quomodo eum loquentem Salustius inducit) qui reprehensio quorundam è Romana nobilitate Imperatorum viriis, maximeque arrogantia taxata, dicit hoc esse dominum, non imperatorem agere. An hæc ita ab illis dicta sunt, quia censerent, nulla se præditos esse excellentiore potestate? aut nulla interdum seueriore disciplina milites coercendos? quis hoc existimet? sed id agebant, ut ad subditorum utilitates, & commoda publica, præfecturas & imperia referri ac spectare debere declararent. Quocirca à præfectura, maxime ea quæ geritur à Christianis, siue secularibus, siue Ecclesiasticis magistratibus, tyrânis absint, procul sit ambitio, & vanitas, & turpis quæstus

aau-

auaritia; sed nunquid leges salutares? nunquid disciplinæ rigor, cum eum publica postulabit utilitas? An propterea inter milites discurfandi & suos ordines non seruandi, inter ciues quiduis pro libidine patrandi, inter Christianos quodcunque in mentem venerit de religione profrendi probanda libertas erit? Hanc Paulus pati potuisset libertatem, qui tam sedulo præcipit, ut ea quæ tradita ipsis essent, custodirent? qui aliud Euangelium recipi à suis noluit, etiam si Angelus de cælo descendens, illud protulisset? qui Galatas, propterea quod declinassent, quamuis Iesu Christi professionem non deseruerant, increpatione tam graui, insensatos, & errore fascinosos appellauit? qui declinari voluit eos fratres, qui dissensiones & offencula seminarent, qui que per dulces sermones & benedictiones seducerent corda simplicium? qui Corinthios epistola priore ut carnales reprehendit, & obiurgat, quod ex ijs alius diceret, Ego sum Pauli; alius, ego Cephæ; alius, ego sum Apollo? Illos ergo cum accuseret, propterea que scissuras inter eos esse dicit, si nunc audiret alios dicentes: Ego sum Caluini; alios, ego Lutheri; alios, ego Brentij; hinc, vocibus animisque in religione discordes, ad unam Christi Ecclesiam, unamque filiorum Dei societatem, sine correptione pertinere pateretur? Quamuis enim beatus Apostolus non dominaretur credentibus per vanam suæ potestatis ostentationem, facile que per incredibilem humilitatem sese omnibus aliis tanquam ministrum substerneret: tamen cum quid admissum esset quod repressione & castigatione indigeret, tum demum eminere suam volebat potestatem, ob eum planè finem, propter quem illam acceperat, hoc est, ad ædificationem & reparationem, non ad destructionem. Sic debent (inquit Haymo) prælati agere: quos vident concordare sibi in bona conuersatione, non debent se illis præferre, sed

coequa-

coequare: quos autem à via rectitudinis vident deuiare, in illos debent auctoritatem & potètiã suã prapositione ostendere. Quod vtrumque Petrus ostendit in Cornelio & Anania: humiliã se erga Cornelium, & solo verbo Ananiam cum vxore perdens. Hæc ille, vt opinor, ex diuo Gregorio desumpserat, cuius verba sunt: Paulus bene agentibus fratribus prælatus se esse nesciebat, cum diceret: Non quia dominamur fidei vestræ, sed adiutores sumus gaudij vestri: atq. ilico adiunxit: Fide enim statis. Ac si id quod protulerat, aperiret, dicens: Ideo non dominamur fidei vestræ, quia fide statis, equales enim vobis sumus, in quo vos stare cognoscimus. Quasi prælatus se fratribus esse nesciebat, cum diceret: Facti sumus sicut paruuli in medio vestrum. Et rursus: Nos autem serui vestri per Christum. Sed cum culpam, quæ corrigi debuisset, inuenit: ilico magistrum se esse recoluit, dicēs: Quid vultis in virga veniam ad vos? Summus itaque locus bene regitur, cum hic, qui præest, vitijs potiùs quàm fratribus dominatur. Sic Gregorius, Ex quo & illud promptam habet intelligentiam, quod apud Isaiam scriptum est capite vndecimo, de Ecclesiæ Christianæ pastoribus: Et puer paruulus minabit eos: id est, ducet ac reget. Quid enim illud est, nisi quod beatum Apostolum dixisse meminimus: Facti sumus sicut paruuli in medio vestrum? Sunt enim tanquam paruuli, qui præ sunt, sed erga eos, qui deposita priore ferocia, humiles modestique effecti sunt; vt possit lupo cum agno, & pardus cum hædo commorari, sicut eodem loco Propheta significat.

CAPVT

CAPVT VII.

Quid apud Isaiam significet, quod porta Hierusalem pateat ingiter: & quod sit referendum, quod in ædificatione templi Salomonis nullus malleus, nulla securus, aut ferramentum auditum est.

ECCLESIA (inquis) Dei aperta est. Deus finit vnumquemque ingredi & egredi, Isaiæ sexagesimo. Ibi nulla vis est nec discordia, quod antè per figuram declaratum est, dum in ædificatione templi Salomonis nullus malleus, nulla securus aut ferramentum auditum est: sed ibi est charitas & concordia, gratia, pax & misericordia apud omnes suos filios, apud populum Euangelicum, & noui Testamenti, de quo Esaias Propheta præcipuè, & sacra Scriptura noui Testamenti excellenter testatur. Hæc tu, magna quidem diligentia vndecunque corradens quæ pro tuo instituto faciant; sed quàm misera & debilia sint tuæ causæ firmamenta, non attendens. Neque enim quia patet filium egredi finit, idcirco egresum regredi subinde non compellit: aut nunquid tibi transfuga puniendus non esse videbitur, propterea quod sua castra vitro deseruit, & ad hostem, nemine cohibente, transfugit? Portæ autem Hierusalem, siue Ecclesiæ, sicut scriptum est apud Isaiam, patere dicuntur ingiter, & neq. noctu neque interdiu claudendæ: sed ad quid? vt adferatur ad te (inquit Propheta) fortitudo gentium, & reges earum adducantur; gens enim, & regnum quod non seruerit tibi, peribit. Portas ergo Ecclesiæ patere Propheta significat ad ingrediendum: tu eas spectare maluisti apertas ad effugiendum: nec ad effugiendum modò, verum etiam ad foris liberè & sine impedimento, quamuis cum pernicie, remanendum. Et tamen portæ Ecclesiæ patere intelligendæ sunt, non ad damnationem, sed ad salutem: non ergo ad hoc vt quis exeat, quam

quamuis aliquos exire contingat : sed ad hoc vt in Ecclesiam homines recipiantur ad curationem & protectionem ; qui foris remanebant, in deuotionem bestiarum agri. Quod periculum tantum tamque certum extra Ecclesiam est, vt pia mater etiam compellendo & verberando quosdam ei conetur eripere, omnibus propterea suas portas aperiens : quoniam nec redire compelleret, nisi & his, quibus coactio adhibetur, suas portas habere vellet apertas. Sunt autem aliqui, quos expelli oporteat, cum intus tolerarentur prius ; atque ad hoc quoque patent Ecclesiae portae, quoniam ad salutem ipsa refertur eiectio : quemadmodum beatus Apostolus docet de Corinthio satanae tradendo in interitum carnis ; vt spiritus saluus esset in die Domini. Expelluntur ergo corrupti, vt redeant correcti : eijciuntur superbi, vt recipiantur humiliati. quod si eiecti ceruicem obdurent, malintque rebellare quam redire : tunc repellendi quidem erunt, eorum etiam, cum res postulabit, ministerio, de quibus in eodem Isaia capite legitur : Et aedificabunt filij peregrinorum muros tuos, & Reges eorum ministrabunt tibi. Verum tamen nec propter eos claudenda erunt Ecclesiae portae : quia non per ostium intrare conantur haeretici, sed aliunde irrupere, sicut fures & latrones. Cum ergo hi sint gradus, illaque hominum differentiae, vt alij intrare cupiant, alij compelli debeant : & item alios expelli, alios repelli necesse sit : nullus ex ijs hominum gradus est, propter quem non possint aut debeant portae Ecclesiae iugiter patefactae retineri. Sunt ergo apertae iugiter Ecclesiae portae, vt quae quoslibet aduentantes excipere parata sit, nec loci laborans angustia, nec bonorum, quae largiatur, penuria deficiens. Sed quod idcirco putes apertas, vt impunè abire liceat, foris remanere ; id verò est in quo permultum hallucinatis : sicuti & in eo sanè quod adiungis de aedificatione

tem-

templi Domini, in qua non sit auditus mallei sonitus, aut securis, aut ferramenti cuiusquam. Cum enim circa illud Salomonis typicum templum duo considerata sint ; alterum ipsa comparatae materiae praeparatio, cuiusmodi est caesio lignorum, eorumque dolatio, & expolitio lapidum, atque quadratio, aliaque eius generis ; alterum verò, ipsa materiae praeparatae collocatio & compositio, ad perfectam templi formam excitandam : prius quidem illud, huius vitae est mortalis : in qua, vt Ambrosij verbis utar, ceduntur superflua lapidum nostrorum, & aspera leuigantur : ideoque ex lapidibus impolitis & rudibus altare Domini constructur. posterius autem, beatæ, quae futura est, immortalitatis erit. Tunc enim demum expoliti prius hinc lapides, & tunc sionibus pressurisque variis coaptati, suis disponentur locis, solius manu Dei, ad illius gloriose ciuitatis stabilitatem aeternam. Idcirco enim significantissime dictum est, de lapidibus dolatis atque perfectis aedificatam esse domum : cum hinc neque perfecti omnes sint lapides, & multa plerisque superfint, quae ipsa detrahat contusio atque dolatio. Hinc ergo materiae praeparatio est, vbi operatorum ingens multitudo, vbi labor varius onera portantium atque laterum, vbi & securis, & malleus, diuersique generis ferramenta : illic verò sine labore, expeditissima tranquillissimaque dispositio & collocatio lapidum perfectorum. Sensus hunc aperiens diuini illius sacramenti diuus Gregorius, breuiterque nobis vtriusque rei à nobis commemoratae significationem exprimens, ita scriptum reliquit, tertia parte sui Pastoralis, admonitione decima quarta. Dicendum, inquit, est agris, vt si caelestem patriam suam esse credunt, necessario in hac labores, velut inter alienos patiantur. Hinc est enim quod lapides extra tunc sunt, vt in constructione templi Domini absque mallei sonitu ponerentur :

Lib. 3. Regum,
cap. 6.Lib. 2. in Ier.
cap. 31.Greg. 3. parte
Past. adm. 14.

quia videlicet nunc foris per flagella tundimur, ut in-
 tus in templum Dei postmodum sine disciplina per-
 cussione disponamur. quatenus quicquid est in nobis
 superfluum, modò percussio resecet: & tunc sola nos
 in ædificio concordia charitatis liget. Hactenus diuus
 Gregorius. Meminisse autè debueras & alterius ædi-
 ficationis, qua postea Hierusalem instaurata est. magis
 enim ea res corruptarum per hæretes Ecclesiarum in-
 stauracionem adumbravit. *Quinam autè ille instau-
 randi modus? Media (inquit) pars iuuenum eorum
 faciebat opus, & media parata erat ad bellù. & lanceæ,
 & scuta, & arcus, & lorice. & principes post eos in omni
 domo Iudæ ædificantium in muro, & portatium one-
 ra, & imponentium. Vna manu sua faciebat opus, &
 altera tenebat gladium ædificantium enim vnusquis-
 que gladio erat accinctus renes. Vbi præter verbi Dei
 gladium, quo quisque ædificatium erat accinctus, alia
 quoque præsidia omnis generis, ad Ecclesiæ defensio-
 nem necessaria non inuitus accepero.*

CAPVT VIII.

*Quamquam ad interiorem religionem cogi voluntas non
 possit, tamen cohiberi ab impietatis exercitiis,
 & ad exteriora quadam religionis exer-
 citia cogi non inutiliter homines posse.*

PORRO libera fides est, ut dicis; neque necessita-
 tis, sed voluntatis res est, quemadmodum habet
 Ambrosij commentarius. Quis enim est, qui quem-
 quam salubriter credere posse putet inuitum? Ideoque
 si quis dominandi vitio vim adhibens, vel inuitos &
 coactos in interiore illa animi religione continere co-
 netur, fallitur omnino. Neque enim ut pedibus pro-
 gredi, ita etiam credere & amare possumus inuiti. ve-
 rissimeque Lactantius ait, nihil esse tam voluntarium,
 quam

quam religionem: in qua si animus sacrificantis auer-
 sus est, iam sublata, iam nulla est. Sed adhibetur tamè
 metus interdum, qui, iuuante Deo, volùtarios efficiat,
 qui pigros exstimulet, qui noxia vincula rumpat, qui
 cogat salutis suæ maturè prospicere, qui seridè discuti
 faciat causam eam, propter quam metus infertur. Si
 enim vel ad suscipiendam, vel ad retinendam animo
 firmiùs pietatem nihil timor conduceret; non ille in-
 cussus esset morte Ananiæ & Sapphiræ; non spiritus
 seruitutis in timore præcessisset, qui liberam introdu-
 ceret charitatem, per quam filij clamant, Abba Pater.
 Istoque modo cogi posse homines ad fidem atque iu-
 stitiam, non est ambigendum. Putas enim, ut diui Au-
 gustini te verbis alloquar, neminem debere cogi ad
 iustitiam, cum legas patrem familias dixisse seruis:
 Quoscumque inueneritis, cogite intrare? cum legas
 etiam ipsum primò Saulum, postea Paulum, ad co-
 gnoscendam & tenendam veritatem, magna violentia
 Christi cogentis esse compulsus? Ideoque, ut idem
 scribit epistola quinquagesima, Theodosius Imperator
 religiosus & pius, cognita Circumcellionum sæuitia
 in Dei maximè Sacerdotes, maluit piissimis legi-
 bus, illius impietatis errorem omnino corrigere, & eos
 qui contra Christum Christi signa portarent, ad vni-
 tatem Catholicam terrendo & coercendo redigere,
 quam sæuendi tantummodo auferre licentiam, &
 errandi & pereundi relinquere. Est interim verissimùm,
 dum solus urget animum metus, veram nõ posse esse
 religionem. sicuti nec iustitiam veram. ideoque sicuti
 valde aberraret à vero, qui iustitiam putaret esse in ijs
 officiis quæ extorquentur ab inuito: ita & is qui in
 eiusmodi operibus censeret positam esse religionem.
 Ex quibus illa intelligi possunt Tertulliani ad Scapu-
 lam, quem nobis obijcis: Religionis non est cogere re-
 ligionem, quæ sponte suscipi debeat, non vi; cum &

hostiæ ab animo lubenti exoptulentur. Et illud Lactantij, libro quinto, cui de iustitia titulus est: Non est opus vi & iniuria, quia religio cogi non potest. His enim illi verbis id tantum significant, neminem cogi posse ad interiorē & veracem Dei cultum, tanquam ea queat esse religio, quæ deferatur ab inuito. Qua in re peccabat Gentilitas, quæ sacrificia impia supplicij extorquebat, nec considerabat gratum esse hoc dijs non posse, quod non voluntatis offerret deuotio, sed animo abhorrente, sola manu exhiberet. Vnde Tertullianus subiungens, ita inquit: Et si nos compuleritis ad sacrificandum, nihil præstabitis dijs vestris. ab inuitis enim sacrificia non desiderabunt: nos autem ad religionem neminem sic cogi volumus, quoniam religiosus esse, coactus & inuitus nemo potest, resque ea omnino per seipsam impossibilis est. Nemo enim ad amorem cogi, aut spem, aut fidem, aut deuotionem potest: quod harum rerum ea sit ratio & natura, vt nisi à volentibus & cupientibus præstari nõ possint. Quare non religionis est, sed magnę dementiæ, religionem cogere, quæ per rerum naturam cogi nequit. Verum tamen religionem non cogimus, sacrilegia interim, quæ contra eam fiunt, punienda iudicamus: multumque ista differunt, ad certam quampiam cogere religionem ac fidem, & nonij erroris exercitijs nullam in Republica tribuere libertatem. Deinde, quamuis ad interiorē illam pietatem, vbi propriè fides atque religio est, cogi voluntas non possit: tamen ad exercitia quædam veræ religionis cogi quis potest, quæ, etsi aliquamdiu facit inuitus, potest tamen eo sensu perducere, vt lubens faciat. Neque hinc nobis Tertullianus & Lactantius aduersantur, qui Gentiles reprehendunt, quod ad impia sacrificia compellerent. quippe in illis cum fierent ab inuitis, neque mens falsis dijs grata esse poterat offerentis, & quod agebatur, per seipsum

erat

erat impium. At in his Ecclesiæ sanctis exercitijs, licet mens agentis solo pænæ metu displiceat; tamen opus quod agitur, per seipsum bonum, potest vtilem consuetudinē inducere. Neque enim, si qui sunt qui bona quædam inuiti, & eam ob rem non bene faciunt, dicendum ijs est, vt ea non faciant: immo verò vt bonam teneant consuetudinem, erunt adhortandi. Discant enim paulatim lubentes facere, quod prius inuiti grauatimque faciebant. Idcirco beatus Augustinus, timoris seruilis vtilitatem ostendens, ad introducendam iustitiam, seu charitatem, quæ liberos facit, ita scriptum reliquit sermone decimotertio de verbis Apostoli: Qui adhuc ideo bene agit, quia pœnam timet, Deum non amat; nondum est inter filios. vtinam tamen vel pœnam timeat! Timor seruus est, charitas libera est: & vt sic dicamus, timor seruus est charitatis. ne possideat diabolus cor tuum, præcedat seruus in corde tuo, & seruet dominæ venturæ locum. Fac, fac, vel timore pænæ, si nondum potes amore iustitiæ. veniet dominus, & seruus abscedit: quia consummata charitas foras mittit timorem. Sic Augustinus. Quâuis igitur ad ea quæ per seipsa vitiosa sunt, neque bene fieri vnquam possunt, cuiusmodi est sacrificare idolis, nemo cogendus sit: attamen ad ea quæ rectè & pie fieri possunt, vtilis est interdum ipsa compulsio. velut ad ieiunandum Ecclesiæ more, ad abstinendum ab opere seruili Festis & Dominicis diebus, ad piarum institutionum & scholarum frequentationem, ad decimarum persolutionem, aliaque eiusmodi, quæ in Ecclesia Christiana fieri solita sunt. In quibus bonis exsequendis, etsi non ab omnibus proficietur eò, vt tandem illa ipsa quæ prius inuiti fecerant, lubentes religioseque faciant; tamen & ille quorundam erit ex consuetudine fructus, cum ad eam præsertim doctrinam & adhortatio salutaris accesserit: & ceteri qui permanebunt

nebunt duriores, successores saltem suos & filios, qui in Ecclesiæ gremio erudientur, habuisti sunt molliores. Quod ipsum & in Hebræis affligendis compellēdisque aliquando spectauit diuus Gregorius: vt videre est libro quarto Registri, epistola sexta, vbi suadet illorum possessiones imminui, quo sic adducerentur ad Christum. Quia etsi ipsi (inquit) minus fideliter veniant; hi tamen qui de ijs nati fuerint, fidelius baptizantur: aut ipsos ergo, inquit, aut illorum filios lucratur. Et Carolum Magnum pientissimum Imperatorem, propagandæque religionis studiosissimum, hæc eadem induxit consideratio, vt Saxonibus bellum indiceret; belloque subiugatos, efficeret omni ratione Christianos.

Nota Lector,

Duobus modis intelligi posse coactionem ad fidem: vno, vt propositio, Ad, significationem habeat rei cum coactione coniuncta. Sic nemo cogitur ad fidem, quia nemo coactus credit, quamuis possit aliquid quod ad religionis exercitium pertineat, coactus facere. Alio modo, vt coactionis finem, seu compellentis intentionem significet. Sic rectissime docetur cogi aliquos ad fidem, quia panarum minia agitur hoc, vt vera fides animo recipiatur, vexatione intellectum dante. Hoc modo heretici & schismatici compelluntur intrare, qui in vias & sepes abierant, sicuti apud Lucam cap. 14. tertio demum loco atque ordine vocatorum, seruo legitur esse mandatum. Sic enim iure coguntur tenere quod semel susceperunt, & implere quod promiserunt. At infideles qui nunquam intrarunt, quamuis teneantur proposita sibi predicationi Euangelij obedire, non tamen directe ad eam suscipiendam cogi possunt, vt qui in eo neque Ecclesia subiecti sint, neque Principibus Christianis. indirectè tamen possunt per iusta grauamina qua illis, in quantum principibus obnoxij sint, imponantur præ aliis. Ea ratione conciliabuntur Decretum Toletani 4. Canone 55. De Iudæis infidelibus non cogendis, & Gregorij, De grauandis, quod hic memoratur.

CAPVT

CAPVT IX.

Caroli Magni laborem in subiugandis propter religionem Saxonibus, per calumniam sugillari.

NA M quod tu tanti viri ita sugillas factum, vt dicas bello victos Saxones, & nulla adhibita institutione baptizatos, simul atque rebellandi facultas obuenerat, qua facilitate Christianam religionem induerant, eandem exuisse: id vel historiam te non legisse, vel, si legeris, mentiri te impudenter maluisse, quam vera loqui, demonstrat. Carion enim ille vester (vt Scriptores Catholicos præteream) libro suorum Chronicorū quarto, scribit his planè verbis [Carolus Magnus, denictis inter initia belli Saxonibus duobus prælijs, paulatim progressus, vt de vero Deo gens Saxonica rectè doceretur, & assueficeret ad veram Dei inuocationem, cuius rei causa bellum tantum susceperat, destruxit, & sustulit idola, in alijs locis alia, ad quæ fiebant concursus: & condidit ecclesias, quarum curam & gubernationem commendauit Episcopis, viris pijs & sanctis. Primò vltra Visurgim occidentem versus, peculiarem Episcopum collocauit. Osnaburgi citra Visurgin, alium, in oppido quod nominat historici *Selnigstet*, vnde postea sedes Episcopalis translata est Osterwigum: & inde Halberstadium. At memor dicti Esaiæ, Reges erunt nutritores tui, Ecclesijs attribuit certos redditus: quibus Episcoporum & ministrorum Ecclesiæ, & aliæ pauperes familiæ alerentur.] Et alio loco libri eiusdem: [Denique, inquit, fundationes veterum Collegiorum, quæ tunc doctrinarum scholæ erant, ostendunt eum iudicasse ad Principis officium pertinere, curare vt doctrina Ecclesiæ, & aliarum honestarum artium propagetur, & rectè doceantur homines.] Hæc ille. Ad cuius historiæ fidem si tua verba non dedigneris expendere, reperies quam aut incon-

fideratè aut malitiosè scripseris, Saxones nulla adhibita institutione baptizatos. Non fuit ea prudentissimi Christianissimi que Imperatoris barbaries, quæ Gentilium olim Imperatorum: vt quemadmodū illi, homines Christianos furore quodā ad impia sacrificia tapi iubebant, ita hic, non adhibita prius institutione, exploratisque, quoad fieri posset, animis, ad baptismum suscipiendum compelli præciperet. Baptizandorum cura committetur Episcopis, qui verbo erudirent, monitis flecterent, mansuetudine & reliquis vitæ exemplis commouerent. Quis enim nescit, veterem Ecclesiæ Romanæ fuisse morem, vt adultus nemo, nisi prius catechizatus, atque exorcismis purgatus, & vltro professus, sacrum vitæ fontem adire sine retur? Huius ergo moris neque Carolus ita fuit ignarus, vt nulla prius adhibita institutione, homines baptizari vellet, neque id, si fortè nescisset, passi fuissent Episcopi fieri. Si ad fidem, eiusmodi vis fuisset adhibita: episcopalis doctrina obuiam perrexisset, dixisset que (vtar enim diui Hilarij verbis ad Constantium Augustum, quibus tu malè intellectis abuteris) Deus vniuersitatis est, obsequio non eget necessario, non requirit coactam confessionem. non fallendus est, sed promerendus, nostra potius, non sua causa venerandus est. non possumus, nisi volentem recipere, nisi orantem audire, nisi profitentem signare. Propterea ergo Carolus paulatim progrediebatur, vt de vero Deo gens doceretur Saxonica, & assuefieret ad veram Dei inuocationem, idoneaque esset, quæ lauacro baptismatis initiaretur. Idola tamen statim confringebantur, nec ea colendi fiebat libertas, non plus omnino quàm adulteria aut fornicationes, aut homicidia veteri more perpetrandi. Ab his verò omnibus potentia metu cohibiti, & humiliores facti, ad institutionem quæ præbebatur suscipiendam, attentiores reddebantur.

tur. Ac licet postremò non deessent qui fictis animis omnia susciperent, & alacritatem, vltro neamque sub Christo subiectionem callidè mentirentur: & ideo oblati occasionibus apertè resiliunt atque rebellarent, tamen compressis rebellionibus, defectionibusque reuocatis, tandem posteritas ipsa per aliquot seculorum lapsus Christiana & Catholica permanfit. hic illius tantj belli fructus fuit. hoc Carolus & votis ardentibus, & summis laboribus atque periculis, aliquando est consecutus. hoc tantum boni Saxonia retinuit, donec veniret Lutherus; qui bona religionis auitæ semina dissiparet ac perderet. Est igitur vtile bellum, religionis gratia susceptum. Est vtilis quoque ad exercitia veræ religionis, cum pia institutione coniuncta compulsio: quamuis quædam eiusmodi sunt, ad quæ nemo debeat admitti, qui reclamet, qui que inuitum sese adigi ad ea suscipienda & peragenda significet. Cuiusmodi est sacrū Baptisma, celebratio Cœnæ Dominicæ, & omnino ceterorum susceptio Sacramentorum; quæ solis ijs ministranda sunt, qui ad ea rite præparati accedere videantur. Non enim potest Deus, aut Episcopus, nisi volentem recipere, nisi orantem audire, nisi profitentem signare, quemadmodum antea diui Hilarij verbis expressum est. Quæ verò talia sunt, vt per ea nemo adhuc recipi significetur, aut signari, sed quæ eò viam quodammodo muniant, sensimque disponant, qualia suprâ quædam recè suimus, siue consistant in abstinendo ab ijs quæ impiè aut sceleratè patrabantur, siue in agendis nonnullis quæ salubrem habeant consuetudinem; talia ergo exigere & ab illis poterunt, qui interim non admodum ea sibi cordi esse præ se ferent. Satius quippe est ea seruari vel ab inuitis, quàm omnino non fieri. Potest enim vtilis esse talis observatio, cum esset mortifera futura prætermisio. Quis enim non melius esse censeat, vt Gen-
tilis

732 DE CHRISTIANA LIBERTATE
 tilis vel inuitus abstineat à sacrificando idolis, quàm
 vt sacrificet? aut, vt vel inuitus quispiam templum aut
 scholas adeat Catholicas, salubriter erudiendus, quàm
 vt magistros erroris audire, & schismati communica-
 re pergat, in æternum à Christo separandus? Quia de
 causa, Iudæorum melior conditio fuit quàm Gentiliũ:
 quorum illi sub Lege erant, more seruorum: hi sine le-
 ge viuiebant, licentia perditorum. Fuit enim utilior il-
 la Iudaica, licet seruilis & carnalis, obseruatio Legis,
 quàm eiusdem aperta transgressio. Ideoque illi propè,
 hi longè fuisse dicuntur: propterea quòd illos cõsue-
 tudo seruadæ exterius Legis, veraci, quæ per gratiæ spi-
 ritum est, obseruationi viciniore redderet: hos scele-
 ratè & impiè viuendi consuetudo longius remoueret.
 Eam ob rem filius prodigus, qui Gentium personam
 præferbat, vnus è mercenariis esse præoptauit: quo-
 rum conditionem, quamuis Deo propter hæc terrena
 seruiebant, longè anteponebat suæ.

CAPVT X.

*Contra compulsionem impudenter nimis proferrì
 beatum Augustinum.*

ID CIRCO etiam beatus Augustinus non tam
 quòd quisque cogatur, quàm quo quisque cogatur,
 attendendum esse dixit. Si enim bonum sit quod
 agere quispiam compellitur, potest ea compulsio effe-
 ctum habere salutarem: fieri que potest, vt qui intrare
 compellebatur inuitus, postea repererit propter quod
 se introisse læteretur. Donatistis quidem ipsis quantum
 legibus Principum terreri, & schisma metu deserere,
 atque ad Ecclesiæ Catholicæ communionem compelli
 profuerit, testis est compluribus locis idem ille Augu-
 stinus: qui tamen non nesciebat fidem voluntatis esse,
 non necessitatis: nec ignorabat, quod ipse docebat, ne-
 minem

LIBER DECIMVS TERTIVS. 733
 minem nisi volentem esse crediturum. Sed cum hoc
 probè teneret, tamen ad Ecclesiæ Catholicæ tanquam
 matris sinum compelli filios desertores, atque ad eius
 vtilem disciplinam adstringi, eò conferre id posse, vt
 animus quoque corrigeretur atque sanaretur, & ratio-
 ne perspiciebat, & Pauli exemplo, qui sic conuersus
 est, docebat, & experientia propè quotidiana com-
 probabat. Cum que perpetuò illud occinerent Dona-
 tistæ, inuitos ad veritatem non esse cogendos: erratis,
 inquit, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei, qui
 eos volentes facit, dum coguntur inuiti. Nunquid
 enim pœnitentiã Niniuitæ inuiti egerunt, quia id Rege
 suo compellente fecerunt? Iam enim Propheta iram
 Dei vniuersæ ciuitati, eam triduo perambulans, præ-
 nunciauerat. Quid igitur opus erat regio imperio, vt
 humiliter supplicaretur Deo, qui non intuetur ora, sed
 corda, nisi quia erant in eis quidam, qui nec curarent,
 nec crederent prædicta diuina, nisi territi potestate ter-
 rena? Hæc Augustinus, aliaque cõplura, libro secundo
 contra Gaudentium. Qui & epistola 48. perspicuè
 docet, quàm vtile fuerit ad Donatistarum correctio-
 nem, cum doctrina terrorem adiungere. Si enim terre-
 rentur, inquit, & non docerentur, improba quasi do-
 minatio videretur. Sed rursus, si docerentur, & nõ ter-
 rerentur, verustate consuetudinis obdurati, ad cape-
 sendam viam salutis pigrius mouerentur. Hæc ille, &
 alia consequentibus verbis eodem spectantia. Quo-
 circa non satis intelligo, qua vel imprudentia vel im-
 prudentia, vel studio fallendi eos qui Augustinum in-
 specturi non essent, iste nobis protulit ex libro secundo
 Retractorum capite quinto, quod dicit ille se ali-
 quo in libro scripsisse, non placere sibi vllius secularis
 potestatis impetu schismaticos ad cõmunionem vio-
 lenter arctari: cum hoc ipsum ibi retractarit, subiūxe-
 rit que continuò, hoc sibi tunc non placuisse: quia
 non-

Cap. 17.

Lib. priore cõ-
 tra partem
 Donati.

nondum expertus esset, vel quantum mali eorum au-
deret impunitas; vel quantum eis in melius mutandis
conferre posset diligentia disciplinæ. Itaque & illud
retractauit, quod dixerat in libro de vera religione, ni-
hil egisse Christus vi, sed omnia suadēdo & monen-
do. Non mihi occurreret, inquit, quòd vendentes &
ementes eiecerat de templo. Nec enim sic laudari vo-
luit Christus, quomodo homo quidam inter homines,
princeps ab homine subdito, humana potiùs adulatione
quàm veritate laudatus est, quòd homines sic bonos
faceret, ne coëgisse videretur. Quòd verò idem Augu-
stinus doceat, in errantes non esse sãuendum, quis
non protinus amplectatur? quis non statim animadu-
uertat, quantum differant, pœnis propositis ad bona
compellere, & sãuire? animum enim à cõmiseratione
alienũ, sãuitia significat: ideoque non modò in erran-
tes, sed ne in facinorosos quidem vñllos, bono iudici erit
vnquam sãuendum. Non enim iustitia crudeliter ex-
ercenda est, sed eo prorsus animo, vt qui eam exercet
in hominem, se ipsum quoque hominem esse memi-
nerit. Non est prudentis (ait Seneca) errantes odisse:
alioqui ipse sibi odio erit. Cogitet quàm multum con-
tra bonum morem faciat, quàm multa ex his quæ egit,
veniam desideret, iam irascetur etiam sibi. Nemo, in-
quam, inuenitur qui se possit absoluere, quique inno-
centem se dicat, respiciens testem conscientiam. Disci-
mus hoc idem meliùs ex Euangelio, vbi Dominus, ac-
cusatores adultetæ ad sui considerationem reuocans,
dicit: Qui sine peccato est vestrũ, primus in illam
lapidem mittat. nõ quòd secundũ Legem animadu-
uerti nollat in adulteras, sed quia veller ipsos accusa-
tores & iudices sui ipsorum meminisse, seque ipsos
cogitare esse peccatores, vt iustitiam in alios necessa-
riam, non sãuendo exerceant, sed humana commise-
ratione adhibeant. Nam sic cogitata infirmitate com-
muni,

Lib. 1. Retract.
cap. 13.

Plinius in
Panegyrica.

muni, inquit Augustinus epistola 54. & accusatorius
dolor, & iudicatorius rigor frangitur: sic cadit sãui-
tia, tremente conscientia. Neque enim ille ipse Seneca
ita mitem & paternum animum voluit præstari pec-
cantibus, vt non interdum vis admoueretur ad scele-
rum repressionem. Quj nimo corrigendus est, inquit,
qui peccat, & admonitione & vi, & molliter & asperè,
meliorque tam sibi quàm alijs faciendus, non sine ca-
stigatione, sed sine ira. Et quoniam idem animadu-
tebat, nõnullos sic in suis obduruisse nequitijs, vt sibi
meliores effici non possent; dicit libro primo de cle-
mentia: In vindicandis peccatis hæc tria secutam esse
Legem, quæ Princeps quoque sequi debeat: aut vt eum
quem punit, emendet: aut, vt pœna eius cæteros me-
liores reddat: aut sublatis malis, securiores cæteri vi-
uant. Hæc igitur in pœnis irrogandis qui sequitur,
non odio sœquit, sed misericorditer potiùs consulit. Me-
lius enim est erudiri in virga patris, quàm in blandi-
mento perire prædonis. Sunt autem rabies, sãuitia,
crudelitas, furor, & similes affectus, vt idem ait, iræ &
odij cõmites: quibus vitijs maximè iudices vacuos
esse deceat. bene ergo diuus Augustinus non ait: Illi
vos castigent ac puniant (nam castigatos punitosque
fuisse Manichæos & exilijs & morte interdum, satis
cognitum est) sed illi in vos sãuiant, qui nesciunt cum
quo labore verum inueniatur, & quàm difficile ca-
ueantur errores. Illi in vos sãuiant, qui nesciunt quan-
ta difficultate sanetur oculus interioris hominis, vt
possit intueri Solem suum; non istum quem vos colitis
cælesti corpore, oculis carnis & hominũ & pecorum
fulgẽtem atque radiantem, sed illum de quo scriptum
est per Prophetã: Ortus est mihi Sol iustitiæ: & de quo
dictum est in Euangelio: Erat lumen verum, quod il-
luminat omnem hominem venientem in hunc mun-
dum. Illi in vos sãuiant, qui nesciunt quibus suspirijs
& ge-

Aug. contra
epistolam Eua-
darnenti.

& gemitibus fiat, vt ex quantulacunque parte possit intelligi Deus. postremò illi in vos sæuiant, qui nullo tali errore decepti sint, quali vos deceptos vident. Hæc igitur Augustini verba sæuitiam damnant, quam & nos improbamus; quæ eorum est propriè, quos nulla tangit misericordia erga errantes. quam quidem misericordiam gignere facilè possit eorum aliquid, quæ dicit Augustinus nesciri seu non considerari à scientibus. An propterea relinqui voluit errandi libertatè, quia difficile cauentur errores? aut non castigari & puniri qui Deum nesciunt, & duo prima rerum principia statuunt, & solem hunc corporeum adorant, quia magnis suspirijs & gemitibus agendum sit, vt aliquanta ex parte intelligatur Deus? Id si voluit, non erunt puniendi adulteri, non homicidæ, non falsi testes, non alij scelerati: quia non errores modò cauere difficile sit, verum etiam concupiscentiam, præsertim consuetudine roboratam, & insurgentes passionum motus, superare; magnisque suspirijs & gemitibus agendum sit, vt nulla nòs cupiditas transuersos agat. Denique si sæuire, hoc est, vt tu interpretaris, punire & animaduertere non debent in deceptos, nisi qui similiter decepti non sint: non debuit Apostolus Paulus errantes & deceptos quosdam sui temporis hæreticos seu iudaizantes, seu alios, satanæ tradere, quæ pœna grauissima est: quia deceptus ipse errore fuerit, magnaque & graui ignorantia laborarit: non licebit Principi vlla punire delicta, nisi nihil antea ipse deliquerit. Absurda vides esse quæ scribit Augustinus, si tam absurdè intelligentur, vt in eos, qui erroribus decepti sint, prohibeant iustis ac legitimis pœnis animaduertere. Si ergo non illi efficitur hoc, vt nefas sit errantes punire, sed sæuire dumtaxat inclementer in deceptos, quid iam dicas? Nimirum suspicor eò te iturum, vt nostròs dicas nò punire, sed sæuire, cur ergo? quia sanguis exit

de

de corpore? sed pœna hæc vsurpatur in homicidas, in quos tamen inclementer sæuire non licet: an quia terreantur ignibus incorrigibiles? sed afficiuntur hoc supplicio varij scelerum patratores, quibus tu parcendum ab hoc supplicio non arbitreris. Si ergo non sæuiunt in hæreticos nostri propter supplicij genus, quasi id non queat vllis fontibus citra sæuitiæ notam irrogari: restat vt illos sæuire dicas, quia aut hæresis nullum sic crimen, aut non sit morte plectendum. Qua in causa si quis tibi hoc ex aduerso negauerit, probaueritque hæresim & crimen esse, & id quidem morte dignum, nihil te sic etiam diui Augustini verba adiuuerint: qui sæuire dumtaxat prohibet, nec definit vtrum mortem inferendo sæuiatur.

CAPVT XI.

Hæresis crimen frustra extenuari, ne supplicio dignum videatur, quia sit erroris peccatum.

VEHEMENTER autem tu contendis, vt persuadeas hæresim non esse puniendam morte, quamuis nihil adferas argumenti, in quo dissoluendo sit elaborandum. Quin etiam futiliter & ineptè erroris peccatum extenuas, cum sic ais: [Non ego hic homicidas aut adulteros, cæterosque eius generis maleficos defendo: scio magistratui contra tales datum esse diuinitus gladium. sed propter intelligentiam locorum Scripturæ, de quibus nondum certò constat (si enim cõstaret, disputari desisset: nec vllus tam insanus esset, qui mori sustineret, quo rem certâ negaret) propter errores, inquã, (nã si hic peccatur, errore peccator: cum nulla inde sequatur vtilitas, aut voluptas, aut honos, sed contrã) propter hæc, inquam, tam multos, & in præsentia ferro in nostris ditionibus, & in posterum libris toto orbe in perpetuum interfici; hoc verò eiusmodi est, vt qui id nò deplorat, eù hominis peccus habere

aa

bere

bere non existimem.] Hæc tua quam malè inprimis cohæreant, non vides? Si enim nullus tam infanus est, qui mori lustineat, quo rem certam neget, quomodo sic infanus aliquis est qui mori lustineat, quo rem incertam affirmet? Negas enim constare de vero Scripturæ sensu. ex quo colligitur, tuos martyres pro sensu Scripturæ nondum certo, morte occumbere voluisse. Quamuis autem maioris esset infania mori velle pro eo sensu, quem is qui moreretur, falsum esse certò sciret: tamen infaniæ gradus est, certam subire mortem, pro eo, de quo nondum, an verum sit, constituerit: eaque res vel sola, martyres illos non fuisse convincat, quia perseuerare in eo, affirmando vel negando vsque ad mortem, quod definitum certumque nõ sit, pertinaciæ genus est, quo incertum pro certo mordicus retinetur, non autem pertinacia in incerta re, sed constantia pro veritate martyres facit. Magna quoque temeritas est, qua periculum suscipitur pro falsitate moriendi: si enim non constat de Scripturæ sensu, neque res pro definita habenda est; forsitan pro errore noxio profundunt vitam, qui se pro veritate mori existimant. Conscientiæ (inquis) persuasionem sequuntur. At hoc ipsum, inquam, est stultitiæ, re incerta, & nondum definita, persuadere suo animo partem alteram tanquam ita certam, vt pro ea non dubitetur esse moriendum. Verbi gratia, moritur aliquis pro fide speciali, qua videlicet credendum asserit sibi per Christum esse remissa peccata, seque peruenturum ad æternam vitam: & tamen nondum per vos certò constat, vtrum Scripturæ sic intelligendæ sint, quæ fidem nobis in Christum eiusque gratiam commendarunt. Si nondum constat, cur credunt etiam vsque ad mortem? si autem rectè credunt iuxta illas Scripturas, quomodo nondum certò constat de vero earum sensu? An cõstat. Ijs per specialem reuelationem? Sed fides Christi-

ana,

ana, publica & communis sit oportet: ideoque specialibus nõ innititur reuelationibus, sed publicæ doctrinæ certitudini. Quare nisi publico doctrinæ instituto constet illum esse Scripturarum sensum; minimè is debet fidei esse existimari, nec omnino pro eo tanquam pro fide, passim Christiano homini moriendum est. Dum igitur extenuare vis hæreticorum errorem, quia non certò constat de intelligentia Scripturarum, detrahis honorem, & tanquam de capite coronam, tuis martyribus, qui temere mortem pro incerta Scripturarum intelligentia susceperunt. Quod si tibi fatendum est cõstare de intelligentia Scripturarum, iam apparet quam graue sit, contra Scripturæ & verbi Dei sensum, de quo cõstet, pertinaci animositate contendere. Rursus tamen percontari libet, cur nondum certò constat de intelligentia Scripturarum? an quia locis omnibus tam sunt intellectu difficiles? sed vos intellectu faciles esse dicere consueuistis: ideoque earum lectionem passim omnibus, etiam imperitis, cõcedi vultis; quod non sit sine grauissimo periculo in tanta intelligendi Scripturas difficultate, vt de earum intelligentia nondum certò constat in his rebus, propter quas hoc tempore censentur aliqui hæretici. An quia nullus est qui interpreteretur, aut qui in cõtrouersia de eius sensu iudex esse possit? hoc verò est dicere, nullam esse in terris Christi Ecclesiam, quæ sit ad docendum & dijudicandum idonea, ne eius filij incerti vagentur, semperque fluctuent, & huc atque illuc instabiles tanquam vento raptentur: cuius rei absurditatem libro superiore ostendimus. Si ergo locis saltem compluribus Scripturæ nõ sunt intellectu difficiles, & aliæ ex alijs possunt intelligi, ipsa que adest magistra veritatis Ecclesia, quæ litigantibus de Scripturæ sensu filiis, non defutura sit, neque vnquam cum opus esset, defuerit: quid est quod ad hæreses extenuandas scribis,

nondum certò constare de vero scripturarum intellectu? quibus adiungo: si nondum constet de vero intellectu scripturarum, ne hæresim quidem ullam esse. Quippe hæresis omnis fidem labefactat, neque potest error ullus deputari hæresis, nisi Catholicæ fidei aduerteretur. Fides autem de Scripturæ sensu, quæ potest esse hoc tempore, cum de eo nondum certò constet? Quoniam ergo, te rogo, hisce temporibus Romana defecit Ecclesia? quibus erroribus adulterata? cur reprehendenda vobis, damnandaque, ut hæresibus variis deprauata, videtur? nõ enim defecisse à fide existimari debet, quamuis Scripturas aliter quam vos multas intelligat, quoniam nondum certò constet de vero earum intellectu. An fortè satis constat vobis de vera scripturarum intelligentia, ut nos hæreticos, & minimè ferendos esse iudicetis: & nobis non constat satis, ut de vobis iudicare possimus? Maluisses, credo, sic aperitè loqui, nisi pudor impedisset. Verumtamen, si sola est Romana Ecclesia, cui non constet de vera intelligentia Scripturarum, sectis verò illis quæ ab ea recesserunt, satis constet, ut omnes nos grauissimo iudicio condemnent: quid est quòd inter vos saltem de Scripturarum sensu, tanta digladiatione disputetur? Tenes enim memoria quòd dixisti: Si constaret, iam disputari desisset. Cum igitur non desierit inter Ecclesiam Romanæ desertores de Scripturarum intelligentia disputari, sequitur, ne illic quidem constare de vero Scripturarum intellectu, cur ergo nos, ut hæreticos pariter sententia condemnant? cur sic auersantur? Quid sibi vult vestra illa de nobis tantæ arrogantia, tantæque securitatis plena celsura? Quæ temeritas, pronunciare nos scædissimè labi in interpretatione Scripturarum, si ne apud vos quidem adhuc certò constet quæ sit diuinarum literarum vera interpretatio? Si enim cõstaret, iam disputari desisset. Age verò, dic nobis quid sit certò

certò constare de re quapiam. Si tum certò constat, cum nulla inter ullos homines dubitatio est, sed omnium vna eademque sententia: assentior tibi, si quid esset de quo ita constaret inter omnes, quòd de eo iam disputari desisset. Verum ista ratione profus nihil erit in Christiana religione reliquum, de quo cõstare dicendum sit. Nam & de vno Deo disputatur cum Gentilibus; de vno Christo, cum Iudæis; de Filio Dei, cum Arianis; de Spiritu sancto, cum Macedonianis; de Ecclesia, cum omnibus. Nihil ergo de hisce rebus constare dicendum est, quoniam de illis disputetur. Quocirca leue etiam erit erratum, si quis vnum esse Deum, si quis venisse Messiam, si quis eum naturalem Dei esse Filium, si quis denique Ecclesiam Christi ullam in terris esse neget: quoniam nulla demonstrari possit ex his quæ Ecclesiæ Christianæ titulo gloriatur, de qua non disputetur vtrum Christi Ecclesia sit, nec ne. Sin de eo constare definies, quod inter homines bona mente præditos, ac rectè institutos, dubitationem non recipit, aut quod in Scriptura canonica claris disertisque verbis expressum est; cernis quam inconsideratè dixeris, si constaret, iam disputari desisset. Claris enim disertisque verbis pronunciatum est: Hoc est corpus meum. &, Iustitia super omnes qui credunt in Christum. &, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnũ Dei. &, Quorum remiseritis peccata, remissa sunt: aliaque permulta: de quibus tamen hoc tempore, disputando populus Christianus discerpitur. Si autem illa clara & diserta esse negaueris, ob hoc ipsum, quia de intellectu disputetur; profer, obsecro te, de Scriptura quod clarum ita sit atque definitum & expressum, in his quæ religionem Christianam aliqua ex parte concernunt, ut de eo non sit aliquando disputatum, quod cum reperire non possis, placetne tibi, ut dicatur non modò

nunc non constare de intellectu scripturarum, de quibus hac ætate disputetur, sed ne constitisse quidem vnquam in Ecclesia de sensu eorum scripturæ locorum, de quibus exorta disputatio fuerit? quod si placuerit, non modò vt nunc hæresis nulla sit, verùm etiam, vt nulla vnquam fuerit, effecisti: delendumque erit illud Apostoli: Hæreticum hominem post vnam atque alteram correptionem deuita, sciens quia subuersus est, cum sit proprio iudicio condemnatus. Durus nimium ac sæuus etiam videri debet idem Apostolus Paulus, qui satanæ, sæuissimo procul dubio tortori, tradiderit quosdam errantes circa Resurrectionis articulum, de cuius tamen sensu nondum constabat: quia si constitisset, quemadmodum ais, disputari desisset. Cur ergo Paule sic sæuis in errantes? cur nullum, aut leue peccatum tam atroci supplicio persequeris? Si quidem enim peccatur ab his resurrectionem factam esse dicentibus, errore, vt tibi semel placuit, peccatur: nulla enim inde sequitur utilitas, aut voluptas, aut honor, sed contrà. Illos enim Christianus populus, qua parte erat sanior, refugiebat, atque execrabatur: nec modò Gentilibus exosi erant propter Christi confessionem, verùm etiam Iudæis pariter & Christianis ingrati, & nullo honoris in Ecclesia loco digni habiti, propter negatam resurrectionem mortuorum. Et tamen cum hoc ita esset, Paulus illos satanæ tradidit: quo supplicio & ignes, & bestiarum, & omnia cruciamentorum genera, morsque ipsa corporis, leuiora ducenda sunt. Cur non hic Paulum à tam graui supplicio remorabatur ea consideratio, quam ex Augustino suggeris, quia valde difficulter caueantur errores, magnoque labore verum inueniatur? Mouit illa quidem eum vt misericorditer castigaret, paternoque animo pœnam infligeret; sed nequam eum à necessariæ disciplinæ obseruatione re-

traxit.

traxit. Sciebat enim, grauiora nocentioraque esse spiritus inquinamenta per errores fidei contrarios, quam sint inquinamenta carnis. Sciebat planè, quod docebat, dissensiones sectasque, siue hæreses inter ea esse opera, & illos iniquitatis fructus, quos qui faciunt, regnum Dei non consequuntur. Quare hos qui spatiant, mortiferisque contagiis animos incautorum afficiunt, omnibus suppliciis, cum respiscere nolunt, persequi, deplorandum esse existimare: id verò ex tua illa deploranda cæcitate oritur, qua carnis oculos apertos habes ad sanguinem corporum, sed oculos mentis clausos ad pestes & mortes animarum. Has enim esse necesse est, vbi non sit verus Dei cultus. Porrò verum Dei cultum, seu religionem ac pietatem, non per paganismum solùm, aut Iudaismum, verùm etiam per hæresim expelli, docet te, præter sacras literas, & grauiores auctores, ipse, quem subindicas, Lactantius; cum ita scribit libro quarto, qui est de vera sapientia: Nonnulli falsorum prophetarum vaticinio illecti, de quibus & veri Propheta; & Christus ipse prædixerat, exciderunt à doctrina Dei, & traditionem veram reliquerunt. Sed illi omnes demoniacis fraudibus irretiti, quas prospicere & cauere debuerant, diuinum nomen & cultum per imprudentiam perdidit. Cum enim Phryges aut Nouatiani, aut Valentiani, aut Marcionitæ, aut Anthropiani, aut Ariani, seu quilibet alij nominantur, Christiani esse desierunt, ij, qui Christi nomine amisso, humana & externa nomina induerunt. Sola igitur est Ecclesia Catholica, quæ verum cultum retinet. Hic est fons veritatis, hoc est domicilium fidei, hoc templum Dei. Quò si quis non intrauerit, vel à quo si quis exierit, à spe vitæ ac salutis æternæ alienus est. Neminem sibi oportet pertinaci concertatione blandiri. agitur enim de vita & salute, cui nisi cautè &

diligenter consulatur, amissa & extincta erit. Declaravit his verbis Lactantius, quod in Ecclesia didicerat, quantæ gravitatis, quantiæ periculi esset hæreticos peccatum, quod tu per errorem excusas. Non enim potest nisi summæ gravitatis esse, per quod ipse Dei cultus amittitur, per quod Christianismus ipse deponitur, per quod postremò qui ab ea pernicie correptus sit, à fonte veritatis, à domicilio fidei, à templo Dei, à spe vitæ ac salutis æternæ efficitur alienus. Tantum sæpè mali error habet, quamvis interdum de ignorantia magis ortus sit quàm de malitia. Ex quo illa sunt apud Leonem epistola decima tertia, ad Pulcheriam Augustam, de Eutyche hæresiarcha. Dignum gloriæ vestræ est, ut error, qui (ut arbitror) de imperitia magis quàm de versutia natus est, auferatur, priusquam vllas sibi vires de consensu imprudentium, pertinacia pravitatis acquirat. quia etiam ignorantia graues nonnunquam incidit lapsus, & plerumque in diaboli ruit foueas incauta simplicitas: per quam insupradictò subrepsisse intelligo spiritum falsitatis: ut dum æstimat se religiosus de Filij Dei maiestate sentire, si ei naturæ nostræ veritatem inesse non dicat, totum illud quod Verbum caro factum est, vnus atque eiusdem putet esse substantiæ. Hactenus Leo.

CAPVT XII.

Sine consequens ut pij non debeant persecutionem facere, quia piarum sit persecutionem pati.

PVLCHRE autem videris tibi dicere: [Quoniam omnes pij persecutionem patientur, quemadmodum Paulus dicit, nunquam consulent alijs ut inferat, non magis quàm Christus & Apostoli.] Quid ergo est, quod mox tu ipse consulis, Principes adhortans,

Punite

Punite latrones, punite proditores, falsos testes, & huius generis ceteros? Qui punire consulis sceleratos, nõ tibi videris persecutionem consulere? & bene falsos testes annumerat, vt hæreticos etiam persequendos esse consuleres. Iure profectò. Nam si puniendi sunt ij qui falsis testimonijs humanam subuertunt iustitiam; quanto magis ij falsi testes puniendi erunt, qui sacrilegis depositionibus diuinam subuertunt religionem? Et illa quidem falsa testimonia ad temporarias plerumque hominum redundant iniurias: ista verò ad perniciem & interitum animi sempiternum. Illis Respublica civilis violatur, istis Ecclesia & templum Dei viui. Sentiasne te vel inuitum & imprudentem persecutionem in hæreticos, tanquàm falsos Dei testes, consulere? Quin & eodem pertinent, quæ subiungis eiusmodi verbis: [Quod ad religionem attinet, defendite pios aduersus aliorum iniurias. hoc vestrum est officium.] Ecce iterum consulis Principibus, vt hæreticos persequantur & puniant. Afficiunt enim illi pios grauioribus iniurijs quàm latrones: dum ijs corrumpunt fidem, scindunt vnitatem, lacerant Christi corpus, auellunt crudeliter filios ab vberibus matris suæ. Neque aduersus hæc tantas iniurias defendi pij possunt, nisi tanquam rapacissimi lupi, ab ouili Domini terroribus legum, & gladijs Principum repellantur. Et quomodo aduersus latrones Respublica defenditur, quando latrocinia puniuntur: sic aduersus hæreticos propugnatur Ecclesia Christi, quæ piorum domicilium est, quando hæreses impunè grassantur in finibus. bene ergo prorsus pieque hortaris, cum dicis Principibus: Quod ad religionem attinet, defendite pios aduersus aliorum iniurias. Fuit enim & sanctissimi doctissimi que Leonis Pontificis ad Leonem Imperatorem aduersus Eutychianos, hæc eadem hortatio, cum ita scriberet: Debes Imperator incunctanter ad-

Epistola 74

uertere, regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesie praesidium esse colatam: ut aulus nefarios comprimendo, & quae bene sunt itata defendas, & veram pacem his quae sunt turbata restituas. Hunc tu Pontificem vel imprudens imitaris optimo consilio. Nam quod quibusdam interpositis, ais: [Vos corpora piorum, corporali gladio defendite, animos gladius iste attingere non potest:] quo pertinet, nisi ut si corpora piorum defendenda esse vis, nos multo magis animos ipsos piorum, ne per haereses inficiantur, defendendos esse colligamus? Neque enim ad defensionem animorum necesse est, ut animos gladius corporalis attingat, sicut nec corpora piorum, ut defendantur, gladio tangenda sunt. Quid igitur ad rem pertinet, quod animos gladius corporalis non attingat? Quorum obsecro animos intelligis? eorum piorum qui defenduntur, an verò impiorum aduersus quos suscipitur ipsa defensio? Si illorum qui defenduntur, non magis necesse est attingi gladio animos eorum quam corpora, ut ab illis sacrilegorum remoueantur iniuriae. Sin eorum contra quos defendendi pij sint, quid opus est eorum animos gladio corporali contingi, quando sufficiat eorum corpora terigisse? Sic enim tacti, nocere lingua desinunt: & si quid eorum manu conscriptum reperitur, id, non tangens etiam animum, Vulcanus absomit. Quod ergo tu subiungis adhortari perges: [Sapite, & consilium Christi sequimini, non Antichristi,] hoc pij & Catholici faciunt cum possunt, Reges: sapiunt enim, secundum tuum consilium, ad piorum defensionem, homines impios, & eos qui in animos pariter & corpora crudeles sunt, persequendo. Nam etsi piorum est pati persecutionem, indubie propter ipsam pietatem atque iustitiam, neque cuiquam piorum desunt & foris & intus, qui animam eius iustam vel iniquis saltem operibus ac motibus

torqueant: tamè eorundem etiam est, iuxta commissae potestatis modum aduersus iniquos persecutionem facere. Ideo Moyses non solum persecutiones passus est ab Aegyptijs, verum etiam aduersus eos persecutiones fecit, fratresque defendit. Helias persecutionem passus ab Achab, Prophetas Baal persecutione deleuit. Dauid quoque sic persecutiones à Saule passus est, ut tamen suos & Dei inimicos vndique sit persecutus. qui etiam dicit: Non adhæsit mihi cor prauum, declinantem à me malignum non cognoscebam: detrahentem secreto proximo suo, hunc persequerbar. Persecutor igitur erat, sed bonus; nec hominis, sed peccati. Est enim (inquit Ambrosius) etiam iusta persecutio, si odimus obscenos, si infestissimi iniustus, si iniquos velimus opprimere ne pluribus noceant. Ideoque & Christus, cuius tu nobis proponis exemplum, quamuis persecutionem passus est à Iudæis, tamen & ipse sacrilegos, qui in templo negotiationes exercebant, flagellis est persecutus. Paulus quoque, quem adiungis, persecutiones & passus est, & fecit. passus iniustas, fecit iustas: passus propter pietatem, fecit propter impietatem, quando haereticos satanae tradidit, ut discerent non blasphemare. Praeclara verò sunt quae adnectis, copiosus videlicet adhortator Principum! Theologia vestro gladio tractanda non est: alioqui si hoc à vobis obtinebunt Theologi, ut doctrinam suam armis tractetis, idem deinde postulare audebit medicus, ut se armis defendatis aduersus aliorum medicorum opinioniones: idem dialecticus, idem orator, & ceterae artes. Quod si has artes tractare ferro non potestis, multo minus Theologiam: quippe quae in sancto Spiritu, & interna mentis perceptione sita sit. Quod si bonus medicus doctrinam suam scientia satis potest tueri, si ne praesidio magistratus: cur non magis idem possit Theologus? potuit Christus, potuerunt Apostoli, potuerunt

tuerunt etiam eorum imitatores.] Ad has nugas tuas breuiter illud accipe: Non Theologiam Principes armis tractant, sed malos, quales estis, Theologos, malè pro suis meritis tractandos existimant: eo quòd incomparabiliter Reipublicæ Christianæ plus noceat malus Theologus, quàm malus medicus hic corpora per imprudentiam perdit, dum regulam sequitur: audacter occide, ille verbi diuini melle, tui erroris virus abscondit & porrigit, quo animæ miserabiliter enecantur, tolerantur ergo mali medici, sed tolluntur venefici: quos si Principes iudicatos & cognitos (per eos videlicet quorum est Theologiam disputando & iudicando tractare) non malè tractarent suis gladijs, pessimè de Reipublica Christiana mererentur: cuius in perniciè nocentissimos homines viuere permetterent. Eaque demum vera crudelitas est, quam tu clementiam videri vis, si parcèdo paucis rabulis, multorum animæ interire sinantur. Sed tamè vos vnde Theologiam vestram tam bene gladio tractare didicistis, si sic ea tractari nõ potest? An obscurum est, pro defensione Theologiæ vestræ, vicinorù omnium quoscũq. promissis allicere potuistis, arma in nos à vobis esse prouocata? Nonne tam multis Germanorum, Anglorum, Scotorum, Francorum milibus in hoc Belgio sepulchra fecistis: quia pro vestræ libertatis defensione, frigora, nuditates, morbos, cædes, & alia belli incõmoda perpeSSI sunt? Quæ nã ista præposteræ cõsiderationis ineptia est, in nostra causa quòd armis vtamur reprehendere: in tua quid facias, non videre? Neque enim quæcũque vel antè ex Witlingio, vel postea ex teipso prolata sunt, nostris magis conatibus ac studijs aduersantur, quàm vestris, qui gladijs gentium exterarum defensi, maluistis, vt apparet, viuere confessores, quàm mori martyres. Loca, inquis, & oppida gladio externo defendimus, nõ Euangelium. Atqui non arbitrator, ita vos amare ligna & la-

pides, vt pro eorum integritate tantis bellorum impedijs depugnetis. Cõtineri ergo locis ac mœnibus aliud quiddam oportet, quod gladio externo defendatis: & hoc quid est? Tantumne vt viuatis quoquo modo? an potius vt viuatis quo volueritis modo? neque enim bello opus est vt viuatis, si obedire Deo & Regi vultis. Sed hæc nimirum illa est vestra de libertate theologia, cui ex Euangelij nomine titulum datis: quam vultis gentium vicinarum gladijs, & omni bellico apparatu defensam esse. Ergo pro libertate quidem errandi, gladio vt dignum putas; pro veritate salutari contra pestilentem errorem, pro pietate contra impietatem, si quis materialem gladium sumendum esse censet, tunc ille tibi Neronianus erit gladius, tunc Theologiam armis tractant Principes, qui tamen nec opificum artes, vt argentariorum, vt sutorum, vt molitorum tractare armis dicendi sunt, etiã si in iis generibus fraudulètos ac fures abire nõ sinant impunitos.

CAPVT XIII.

Non afferri vim conscientijs per Principum ac Magistratum de religione leges.

CONSCIENTIIS etiam adfertur vim per eiusmodi Principum de religione constitutiones, conquereris. Cur ergo vis adfertur conscientijs? An quia vestri facere cogantur in causa religionis, quod contra conscientiam suam facturi sunt? At quid si in alia quapiam causa cogatur aliquis facere quod contra suam conscientiam facturus sit, cum tamen id licitum sit, imò etiam necessarium & iure imperatum: num hic quoque vim conscientijs adferri dicturus es? Si adfertur, & licitum id tamen est, non est quòd in causa religionis id peculiariter acutandum arbitreris. Si autem in alia causa vbi quod licitum sit, iure suo præcipitur, non adfertur vis conscientiæ, etiam si vis qui præcepto cogitur, contra suam conscientiam facturus sit,

fit quod iubetur: nec igitur in causa religionis id ipsum si acciderit, ut præcipiatur quod bonum & salutare sit, atque id contra suam conscientiam subditus exsequatur, vim illatam esse conscientia eius dici poterit. Et sanè hoc in confesso apud omnes esse arbitror, vim conscientia nullam adferendam: imò ne adferri quidem posse quacunque lege. Nam si lex eiusmodi est, quæ rem nefariam exigat, liberum est mori potius, & quæcunque cruciamenta perferre, quàm parère. Sin legitima de re quapiam bona, aut certè non mala, præceptio est, & ea tamen subdito nondum talis sit, ut facienda videatur; ne tum quidem, si cogitur, adferatur vis conscientia. Non enim necesse est ut contra conscientiam agat, cum errantem conscientiam deponere atque corrigere & possit & debeat. fac igitur purare quempiam non licere sibi basilicas ingredi, Catholicorum, audiendi sermonis gratia, & ad hoc ipsum tamen lege cogi, quid ille hinc faciat? tuas enim partes parumper agam, si pareat, in hac persuasionem qua sibi id nefas esse putet, peccat contra suam conscientiam introeundo. ea quippe doctrina est Apostoli in epistola ad Romanos, cum ait: Beatus qui non iudicat semetipsum in eo quod probat, hoc est, qui non seipsum, in eo quod facit, condemnat proprio iudicio. Qui autè discernit, si manducaverit, damnatus est, quia non ex fide: omne autem quod non est ex fide, peccatum est. sin parère recusat, & tamen conscientiam Lex obstringit, nihilominus peccat Legis violatione. Quoniam ergo modo non hæc vis conscientia est, cum sic ille inextricabiliter teneatur implicatus, ut quacunque in partem se cõuertat, peccatum effugere non possit? peccat enim, siue faciat, siue omittat, cum tamen eum vel facere vel omittere necesse sit. Hoc ergo, ut reor, vel simili quopiam modo conscientia vim adferri istiusmodi hominis demonstrares. Cui tamen in præoptu, si velit, euadendi remedium

medium est: quodnam (inquis) illud? si videlicet falsam deponat persuasionem, si aliis quibus obsequi par est, plus credat quàm sibi ipsi. qui animo suo sic imperauerit, neque sibi in sensu proprio nimium placuerit, huic non erit difficile peccatum effugere. neque enim aut quod illicitum est, committeret, aut contra propriam conscientiam quicquam aggredietur, quam errantem, sicut debuerat, abiicerit. Alioqui si accusandus erit quisquis fieri coget quod contra suam conscientiam is cui imperetur facturus sit, tanquam qui conscientia vim afferat: poterit accusari bonus iudex, cuius sententiam danatus, pecuniam persolvere cogitur, quam, errante conscientia, censet se contra æquitatem esse persolutorum. Aut si quis vel patris filius, vel domini seruus, vel principis subditus, in eo errore sit, ut sabbatho manibus operari nefas ducat: cogedo huc ad operas, delinquet is, in cuius est potestate. Quid si fornicadum sibi quispiam ex conscientia putet, aut cadem faciendam: velut ij qui voverat se neque maderatos, neque bibituros, nisi Paulum occidissent; num vi cohiberi non poterunt, ne contra suam conscientiam ab ijs sceleribus abstineant? Multa sunt eiusmodi, in quibus cum adhibetur vel compulsio ad agendum inducens, vel cohibitio a faciendo refrenans, non id agitur ut quicquam reluctante conscientia fiat, sed ut præstetur quod utile est obseruari, vel abstinetur ab opere quod noxiu sit perpetrari. Vbi si frustra admonente flagello, clausi in errore manent oculi, nec conscientia quantumvis errans exiit, sed vel abstinentè accufat, vel agentem: non hoc illi qui flagellat imputandum est, cuius ad bonum tendit compulsio, sed illi ipsi qui paritur: cuius est tam præpostera ratio bene sibi consulendi, ut quibus erudiri debuerat, sub iis in errore conscientia, usque ad proprii facti condemnationem obdurecat. Mauult enim facere quod ipse damnat, quàm docerine erret.

CAPVT XIII.

Nihil esse causa cur magis querantur vim conscientia fieri in causa religionis, quam virtutum ceterarum.

QUID autem est quod in causa religionis peculiariter censes soli Deo conscientiam vniuersi que esse subiectam: & ideo, si quid imperetur vel prohibeatur ab homine, hic potius conscientia vim fieri quereris, quam in causa castitatis, quam iustitiae, quam sobrietatis, quam aliarum virtutum? Harum enim legibus, non minus: populus quam rex subiectus est; sed vtrisque (vt verbis vestris vtar, cum de religione agit) tum Regi, tum populo, ex æquo illarum obseruatio præcepta est: ex æquo etiam ambo vel vitam vel mortem æternam sperant & metuunt, si aut bene aut malè in illis versati fuerint. Quid de religione dicitis verbis istiusmodi, quod non de reliquis virtutibus ad similem modum queam dicere? Si ergo legibus Præceptorum, hominum requiratur pudicitia, sobrietas, æquitas, modestia: si contraria illis virtutibus scelera puniantur, adulteria, ebrietates, rapinæ & iniustitiæ ceteræ: tu vim clamabis conscientia fieri, quæ soli Deo subiecta sint? non clamabat hoc diuus Chrysoström, nec dolendum, sed gratias Deo agendas esse conconabatur, quod metus Principum, torporem populi corripuisset, omnesque studiosiores effecisset. Quod enim (inquit) damnum factum est ex cura & solitudine ista? quod honestiores facti sumus, & mansuetiores? quod studiosiores & attentiores? quod ebrium & meretricia canentem cantica videmus neminem? quod supplicationes continuæ & lachrymæ & preces? quod risus importunus, & turpia verba, & omnis lasciuia expulsa est, & mulierem modestam & liberam ciuitas nostra tota nunc imitatur? propter hæc doles? quin gaudere propter hæc, & Deo gratias agere magis oportet,

oportet, quod tantam molliciem paucis diebus formido resoluere. Sic Chrysoström, cum aliqui tum etiam de Principum seueritate quererentur. Quid ergo? Qui lætus erat, gratiasque Deo agendas esse dicebat, quod metu Principum lasciuia morum & intemperantia repressa fuerat, si eodem metu conciliabula hæreticorum fuissent dissipata, si linguæ obligatæ, si hymni, si cantica eorū conticuissent, num putas doliisset quod in religione vis facta fuisset conscientia? Multo verò hinc magis quam esset Principum metus utilis, illustrasset. Nihil enim erat diuo Chrysoström prius, vt ipse declarat alibi, quam vt blasphemii punirentur, & castigarentur Deum contumelia afficientes, omninoque impij cohiberentur. quod quia factum non sit Antiochiæ, populum vniuersum torporis illius pœnas dedisse pronunciat: propterea alio quoque loco vult hæreticorum conciliabula dissipari, orâ obstrui, libertatem loquendi concidi. Nihil agis ergo cum Chrysoström citas in illud Matthæi: Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo: qui sic dicat: Numisma Cæsaris aurum est, numisma Dei homo. In solido Cæsar videtur, in hominibus autem Deus agnoscitur. Ideo diuitias vestras Cæsari date, Deo autem conscientia vestra solam memoriam reseruate. Nihil agis (inquam) tum quia Chrysoström locus ille non est, cum sit ex Opere imperfecto in Matthæum, quod inter eruditos constat satis diuo illi Chrysoström adscribendum non esse: tum quia, cuiuscunque omnino sit auctoris, nihil vestra in religione libertati patrociniatur. Primum quia innocentia generatim meminit. sic enim legendum est: Deo autem conscientia vestra innocentiam reseruate. Innocentia verò non in sola religionis virtute, sed in ceteris quoque spectanda est virtutibus, contra quas ipsi nullam vultis permitteri libertatem. Deinde etiam si per homines qui-

Hom. 2. ad populum Antiochenum.

Hom. in Matthæum 13.

Hom. 6. ad populum Antiochenum. Quod vtilis est Principum metus.

bus subijcitur, hoc est, per eorum monita, leges, promissiones, inhibitiones, comminationes, id plerumque fiat, vt innocenter vitam nostram transigamus: quis ignorat tamen, ipsam illam vitæ innocentiam non hominibus, sed Domino soli reddi, atque exhiberi, & offerri oportere? Sicut enim Paulus correptionibus præceptisque suis homines inducere conabatur, vt Deo, non sibi seruirent: ita Principum leges eò tendunt, vt, Dei nomen & doctrina non blasphemetur, sed ei veræ religionis atque innocentis vitæ deferatur obsequium, suaq. illi, quam naturæ nostræ semel impressit, illibata imago reddatur. non superbix, quemadmodum subiungit ille quem citat, fastu tumida; nõ iracundiæ liuore marcida, non auaritiæ facibus succensa, non gulæ illecebris dedita, non hypocrisis duplicitate contexta, non luxuriæ sordibus attaminata, non elationis protensione leuis, non vinolentiæ tabe amens, non dissidio mutæ charitatis extorris, non distractionis mordacitate pestifera, non multiloquij vanitate inanis. Vides quàm multa numeret, in quibus conscientix requirit innocentiam, quæ Deo soli reſeruetur? In quibus omnibus, si Deo soli, non vllis hominum legibus subijcitur, cernis ipsè quàm multa sequantur absurda, quamque ex huiusmodi locis, vestræ religionis libertatem cudere frustra moliamini. neque te is, quem annectis, Augustini locus adiuuat, qui sic habet: Cùm constemus ex anima & corpore, quàm diu, in hac vita temporali sumus, etiam rebus temporalibus ad subsidium degendæ huius vitæ vtamur: oportet nos ex ea parte quæ ad hanc vitam pertinet, subditos esse potestatis, id est, hominibus, res humanas cum aliquo honore administrantibus: ex illa verò parte qua credimus Deo, & in regnum eius vocamur, non nos oportet subditos esse cuiquam homini, id ipsum in nobis enertere cupienti, quod Deus

ad

ad vitam æternam donare dignatus est. Hæc namque Augustini tam aperta sunt, vt dissolutionem non requirant. Tametsi enim seculi Principibus subesse debemus ac parere, etiam in eo, cùm opus est, in quo nobis eripiuntur ea quæ ad temporariam viuendi commoditatem pertinent; tamen nunquam obtemperare tum possumus, cùm euertere conantur ea bona quæ Deus ad æternam vitam donare dignatus est. Cùm enim audis, ait Chrysostomus, reddenda esse Cæsari quæ sua sunt; illa solùm dici non dubita, quæ pietati ac religioni nihil officiant. Nam quod fidei ac virtuti obest, non Cæsaris, sed diaboli tributum & vestigal est. At quæ sequuntur apud Augustinum eodem in loco, plus videri possint premere; quæ à te miror prætermissa. Addit enim continuo: Si quis ergo putat quoniam Christianus est, non sibi quæ vestigal reddendum aut tributum, aut non esse exhibendum honorem debitum eis qui hæc curant potestatibus, in magno errore versatur. Item si quis putat se esse subdendum, vt etiam in suam fidem habere potestatem arbitretur eum qui temporalibus administrandis aliqua sublimitate præcellit, in maiorem errorem labitur. Verum tamen & hoc in aperto est, non habere Principes potestatem in fidem nostram, quam nec debent vllò casu, nec possunt, etiam si quàm maximè velint, nobis inuitis eripere: neque etiam qualem volunt, talem nobis ipsi faciunt, vel augendo, vel detrahendo, vel quoquo modo eam commutando. Quomodo sanè potestatem habent in temporalia, quæ & eripiunt inuitis, & rectè ac iure cõsentientibus imminuunt. Onera quoque vestigalium qualia quantaque volunt, suis subditis imponunt. Ceterum quia non habent potestatem in fidem Christianam, si propterea putes eos infidelitatem, id est, hæreses punire non posse, multum falleris. Quia nec in castitatem, nec in temperantiam, nec in iusticiam, nec

bb 2

omnino

Propos. 72 in
epistolam ad
Romainos.

Hom. 71. in
Matth.

756 DE CHRISTIANA LIBERTATE
omnino in ullam virtutem potestatem habent Reges
ac Principes: quoniam & illas, ut ad vitam perueniatur
æternam, diuina benignitas largiri dignata est: &
tamen constat, eos scelera, quæ virtutibus memoratis
contraria sunt, posse punire: ut adulterium, quod est
pudicitia: coniugali contrarium; ut homicidium, ut
rapinas, quæ iustitiæ aduersantur. Denique tametsi
potestatem in ipsam fidem nullam habent, ut eam
possint cuiquam extorquere, aut pro arbitrio suo com-
mutare: tamen fidem Christianam, sicut eam inue-
niunt à Christo Domino conditam, & ab Ecclesia Dei
sibi traditam atque ministratam, & debent & possunt
sue potestatis, suarumque legum seueritate propugnare.

CAPVT XV.

*Ex variis necessitatibus, quoniam ea sit, quæ
aduersetur credendi libertati.*

AT libera, inquis, fides est, nec potest libertas cum
necessitate consistere, eademque in sede morari.
Quam libertatem dicis? illamne ex qua liberum pas-
sim arbitrium nominatur? sed hoc vos deleuistis de
natura mortalium, eamque doctrinam, quæ à nobis de
libero hominis arbitrio traditur, tanquam à Philoso-
phiæ gentilis haustam fontibus, repudiandam asseritis
Christiano. Cur ergo hanc credendi libertatem per
nos tolli querimini, quæ ipsi doctrinæ professione sus-
tulistis? An libertatē intelligis Christianam? sed quid
magis Christianum, quam ea necessitas quæ à noxijs
reuocat, & ad meliora compellit? Nam si esset à Chri-
stianis instituta, omnis omnino aliena compulsio, non
esset impletum, aut vnquam implendum in Christi Ec-
clesia, quod Euāgelica parabola præceptum seruis esse
significat, ut ad paratas nuptias, quoscunque in vijs &
sepibus inuenissent, introire compellerent. Necessita-

tes

LIBER DECIMVS TERTIVS. 757
tes igitur distinguendæ sunt, ut intelligi possit quænam
ea sit quæ veræ fidei libertati aduersetur. Est enim orta
quædam ex Dei præcepto necessitas obtemperandi,
de qua scriptum est: Necessitati subditi estote, non tan-
tùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.
Neque id dictum esset à Paulo, si eius generis necessi-
tas, veræ fidei libertati repugnaret. Imò verò cum non
deessent Pauli temporibus, qui parenti Principibus
præsertim Gêtilibus necessitatem, Christianæ libertatis
beneficio aduersari censerent, indignumque ducerent
impijs hominibus subijci Christianos; hunc ille
errorem corrigit, & ordinem illum naturalem mortali-
um paci accommodatum, quo alij alijs temporaliter
gubernandis præsumt, cõseruari iubet: propterea quòd
eum ordinem non modò libertas Christiana non in-
firmet, verum etiam confirmet, atque stabiliorem effi-
ciat. Itaque libera licet sit fides, tamen eam obtempe-
rare necesse est: & quamuis liberum est credere vel non
credere, ex illa naturali arbitrij libertate, quam non ag-
noscitis, quia vos ipsos ignoratis; tamen necessitatis
etiam est credere, propterea quòd si diuinæ voluntati,
si verbo Dei parère volumus, credamus oportet, atque
ex fide, Euāgelij præcepta seruemus. Sed alia quædam
est necessitas quæ dicitur coactionis, de qua loquitur
idem Apostolus in posteriore ad Corinthios: Vnus-
quisque, prout destinauit in corde suo, non ex tristitia, aut
ex necessitate. Hilarè enim datorè diligit Deus. Ab hac
necessitate libera fides est, maximè si pia est. Nã, quæ-
admodum scriptum est, Dæmones quoque ipsi credunt
& contremiscunt: coacti ergo & inuiti credunt, qui
mallent neque esse, neque experiri se quòd crederent.
Sed Christiana & verè pia fides, quæ per dilectionem
operatur, huius necessitatis experta est. Nihil enim
quod rectum sit, inuita & tristis exsequitur, sed officium
suum lubens atque alacris facit. Siue dāda elemosy-
na est,

2. Cor. 9.

758 DE CHRISTIANA LIBERTATE
 na est, siue Dei verbum audiendum, ac siue religionem
 Deo, siue operam suam proximo deferat, læta peragit,
 quod Deo fore gratum intelligit. In quibus talis inest
 fides cogendi non sunt tanquam inuoluntarij, neque
 vrgendi iunt velut stimulis, vt qui iam vltro suoque
 impetu currant. Verum alios reperias, quorum est vel
 nulla adhuc fides, vel ea sanè languidior. Si nulla est,
 concipi ex doctrina, metu adiuuante, potest, quia scri-
 ptum est: A timore tuo, Domine, cōcepimus, & pepe-
 rimus spiritum salutis. Si languida est & dormiens, nō
 ei est vtile, vt sit ab hac necessitate libera, quæ cōpellit
 ad bonū. Excitanda erit tāquā de somno graui, & sub-
 inde acrius exstimulanda. Id autem non solūm verbo
 fit exhortationis, quo ad elemosynarum largitionem
 alacri animo faciendam, beatus Apostolus suos Co-
 rinthios inflammabat, verum etiam per idoneas supe-
 riorum leges, incusso metu atque terroribus. Sicut igitur
 peccant dominandi superbia, qui subditorū prom-
 pta obedientia ad potentia ostētionem aut gloriam
 aut quæstum abutuntur: ita etiam bene subditis suis
 consulunt, qui prudenti seueritate legum, partim co-
 hibent à vitijs, partim ad benefaciendum stimulos ad-
 dunt, atque vt illi fidem liberam, quantum in ipsis est
 firmum, in seruitutem redigunt (nunquam enim reuera
 pia & religiosa fides libertatem suam est amissura) ita
 isti ad veram fidei libertatem & augendam, & con-
 stantius retinendā, permagno sunt adiumento. Quod
 autem ais, Christum cum ad quempiam venit, non in-
 stare, sed potius pulsare ac dicere: Aperi mihi, soror
 mea sponsa: id propterea neque verum est generatim,
 & tuo instituto nihil seruit, quod non omnes ad quos
 venit Christus, vt in ijs domicilium inueniat, tales sint
 vt ijs dicere possit: Aperi mihi soror mea, amica mea,
 columba mea, immaculata mea. Neque enim adhuc
 Paulus, cum Saulus esset, minasque & cædes spiraret
 in

Isaie 26. Se-
 cundum 70.

Cantic. 5.

LIBER DECIMVS TERTIVS. 759
 in Christi discipulos, soror & sponsa Christi, sed alie-
 nus & hostis; neque columba gemens, sed lupus sæ-
 uiens; neque immaculatus, sed varijs criminibus fœ-
 dè erat grauiusque pollutus. Et ideo Christus non le-
 uiter aperiri sibi tanquam ab amica postulauit; sed, fi-
 cuti suprā dictū est, fores cordis eius, & interiūs com-
 mouendo, & foris deijciendo atque excæcandō, velle-
 menter dureque concussit. Cum enim toties aperia-
 mus Christo ianuam cordis nostri, quoties aut præce-
 pra eius aut consilia in cor nostrum admittimus; &
 vel iustificamur primū, vel in iustitia magis magisque
 proficimus: non eadem tamen primi ingressus, quæ
 posteriorum est ratio. Primò enim ingreditur vt spon-
 sam sibi faciat atque coniungat: posterioribus (vt lo-
 quitur Ambrosius) incrementa gratiæ securū vehit;
 dum venit vt gratiarum operetur augmenta, vt cumu-
 let atque fornet potioribus virtutum bonis. Primò
 per spiritum timoris, quem præmittit, aditum sibi facit
 domiciliumque præparat: posterioribus suauiter sese
 insinuat per incrementa charitatis. Est præterea alia
 quædam concupiscentiæ & ignorantia necessitas; in
 qua peccati seruitus intelligitur; quæ propterea neces-
 sitas dicta est, quod nostris eam viribus, nisi gratia spe-
 cialis opem ferat, vincere atque excutere nequeamus.
 Propter hanc necessitatem pia ad Deum fides clamatur.
 De necessitatibus meis erue me. Ab hac necessitate tūc
 est libera fides, cum infusa charitas concupiscentia
 regnum euertit: nec sic tamen libera est, quin seculū
 piam magis magisque liberari, quam diu caro concupit
 scit aduersus spiritum, & legem habemus in membris
 nostris, repugnantem legi mentis nostræ. huius deni-
 que necessitatis, quæ sub ignorantia & cupiditatis iu-
 go infeliciter agitur, adiutores sunt & dæmones,
 cum ad peccata suggestionibus prauis instigant; & ho-
 mines, improbi cum adhibita extrinsecus violētia, pec-
 care

care compellunt. Quippe & illa imputantur peccata, quæ non delectationis illecebra committuntur, sed causa deuitadæ molestiæ alicuius aut doloris aut mortis. Nam & hæc, inquit Augustinus, dicuntur quadam necessitate committi, cum omnia superanda sint amore & delectatione iustitiæ. Hoc ille lib. 2. contra Pelag. cap. 10. Itaque, vt ex ijs quæ dicta sunt, breuem responsionis summam conficiam, sicut credendi libertati naturali, quæ de libero cuiusque arbitrio est (quamuis sine Christi gratia nemini ad credendum sufficiat) contraria est necessitas illa naturalis, qualè in suis motibus bruta patiuntur, & illa quæ vel de prædestinatione & præscientia Dei, vel operatione, ab hæreticis nostræ ætatis inducitur, ita libertati fidei, quæ dicitur Christiana libertas, propriè postremum illud necessitatis genus aduersatur, hoc est, necessitas ea quæ peccare & infideliter agere cogit. Quæ verò ad ea quæ bona & sancta sunt cogit, tatum abest vt impediatur vel minuat, vt etiam promoueat atque adiuuet veram fidei pietatisque libertatem. Subseruit enim hæc Dei gratiæ, qua homines ab infidelitatis erroribus, & vitiorum dominatu liberantur, quæ sola vera est & Christiana libertas: velut cum flagellat filium pater, ac verberibus vel pigritiam excurit, vel malitiam coercet, vel à luxu & lasciuia reuocat, vel retundit superbiam, vel errata corrigunt infirmioris ætatis, quid aliud quam mirificè promouet in eo libertatem Christianam, qua ab improbissimis dominis, hoc est, cupiditatibus vel erroribus liberetur?

CAPVT.

CAPVT XVI.

Quid sibi ea velint quæ Tertullianus in Apologetico scripta reliquit de libertate religionis.

DI X E R I T aliquis, Tertullianum disertis verbis hanc, quæ petitur à nostris Libertinis, concedi velle religionis libertatem. sic enim scribit Apologetici capite vigesimo tertio, cum Gentiles persecutores alloquitur: Videte ne & hoc ad irreligiositatis elogiū concurrat, adimere libertatem religionis, & interdicerè optionè diuinitatis, vt nō liceat mihi colere què velim, sed cogar colere quem nolim. Nemo se ab inuito colli veller, ne homo quidem. Atque ideo & Aegyptijs permissa est tam vanæ superstitionis potestas, a iudibus & bestijs consecrandis, & capite damnandi, qui aliquem eiusmodi Deum occiderint. vnicuique etiam prouinciæ & ciuitati suus Deus est: vt Syriæ, Astartis: vt Arabiæ, Diafares: vt Norico, Tibilenus: vt Africa, Celestus: vt Mauritaniæ, reguli sui: Crustuminesium, Delentinus: Narniesium, Viridanus: Asculanorum, Ancaria: Velsiniensium, Nursia: Ottricularum, Valentia: Sutrinorum, Nortia: Faliscorum, in honorem est pater Curis. sed nos soli arcemur à religionis proprietate. Hæc Tertullianus. Quorum sensum ex ijs quæ explicata sunt, in pròptu est colligere. nam priora quidem verba requirunt libertatem veram, quæ cuique permitti sic debet, vt à veræ diuinitatis cultu non impediatur, neque ei cogatur seruire, quem vero iudicio improbet. Ea quippe sola est religionis, hoc est, veræ pietatis libertas. Nam impietas, & superstitio, & noxius error circa res diuinas, religio esse non potest. hæc veram Dei veri colèdi libertatem adimebat Christianis impia crudelisque gentilitas, cogens omni genere suppliciorum, simulacra muta venerari, eoque magis hic sæuens, quòd eum cultum à nostris improbatum

atque execrabilem iudicatum, ratione tueri, non sine rubore, conaretur. Et idcirco disputatione sublata, fiebat quòd Ennius ait:

Pellitur è medio sapientia; vi geritur res.

Quæ verò sequuntur, non eò pertinent, vt ostendatur iure & prudenter concedi tantam deorum varietatē; sed vt intelligatur hoc libertatis, Gentiles principes nõ debuisse Christianis denegare in Dei sui cultu, quod omnibus aliis nationibus ab ipsis concessum est. Nos enim soli (inquit) arcemur à religionis proprietate. tãquam diceret planius: Cum ceterarum gentium cuiq. suos deos permittatis, solos Christianos non patimini colere eum deum quem iudicent esse colendum. ita permissa omnis generis superstitionibus libertate, sola vera pietas est, quam ex omnibus terrarum angulis exturbatis. Apparebat sanè tunc quænam esset vera religio, quam diabolus persequabatur. Nam suos ille cultus omnes, sub infinita propè deorum multitudine, liberos & quietos esse patiebatur. Sciebat enim nihil interesse quos deos colerent, modò vera interim diuinitate ignorata, in illis omnibus simulacris ipse coleretur. Quia reuera omnes dij gentium dæmonia, Dominus autem cæcos fecit. Soli aduersabatur Christianæ religioni, quoniam & hæc aduersabatur ei, quæ ceteros damnabat cultus, dæmonum videlicet delicias. Quin & ipsos dæmones exturbabat de cordibus credentium, quæ per omnes antea gentes, nihil obfistère deorum multitudine, alta pace possederat. Cum enim fortis armatus (ait Saluator) custodit atriu suu; in pace sunt omnia quæ possidet. at Christiana religione in orbem terrarum introducta, cæpit impleri: quod sequitur: Cum autem fortior eo superuenerit, intrat in domum fortis, & priùs alligat fortem, ac deinde vasa eius omnia diripit. Hæc igitur odioru causa fuit, vt propterea Christianos, vbicũq. posset, excitaris per-

persecutionibus, vexare, exagitare, & è medio tollere omni conatu & opera niteretur. Illa verò iam si quis cum rebus nostris compararet, is animaduertet etiam hoc facillè, quænam vera sit modò religio, quam diabolus persequitur. Omnibus enim aliis professionibus & petitur & datur libertas. vbi cæperit diabolus paulo liberius dominari, soli sunt Romanæ Ecclesiæ homines, qui vel latere coguntur, & dissimulare quod intus sunt; vel si se protulerint, exturbantur. Damnat enim hæc iure suo reliquos omnes cætus, qui præter ipsam, religionis nomine celebrantur: sicut olim Christiana pietas ceteros cultus omnes qui præter ipsam fierent, vt noxios & mortiferos respuebat. Aduersatur hæc diabolo sola, in qua vera pænitentia est, & vera donatur remissio peccatorum; quam solam Christus regit ac protegit, qui saluator est corporis sui. Hanc igitur ecclesiam ex aduerso lædit diabolus & opprimit cum potest, quoniam ab ea selædi sola, & debilitari, & expelli, forasque proijci sentit. Ab ea verò cum sibi adhuc metuit, petit sectis ceteris libertatem: quæ si negetur, tum illius tyrannidem in suos filios vehemèter exaggerat. Quos si Dei filios vocet, nihil mirandum est; quia & haberi vult pro Deo, per eam superbiam, qua super sidera exaltare voluit solium suum, & similis esse altissimo: & de eo scriptum est, quòd deus sit huius seculi, ex cæcans mentes infidelium. hos profectò suos lubès eò perduceret, vt dicere possent, Pax & securitas. Nũquam enim hoc Dei filij dicturi sunt, qui vsque ad finem mundi persecutiones grauissimas pietatis nomine patiètur. Sed dicent hoc Antichristo regnante Ecclesiæ desertores, cum eos fractis Christianorum Principum viribus, vel ipsis etiam Principibus per hæreses aut apostasias deprauatis, nemo impedit, nemo turbabit, nemo legibus incutiet armisq. metum, quo minùs quodcunque liberit impietatis genus pro

764 DE CHRISTIANA LIBERTATE
pro voto confitentur. Huc profectò tendit ista tam
frequens tamque pertinax libertatis efflagitatio, sen-
simque vbi vel annuitur, vel extorquetur, mundum
in deteriora labentem præparat Antichristo.

CAPVT XVII.

*Satis declarare Ecclesia Romana desertores, solam eius esse
religionem, quam nolint haberi liberam: idq; ex tribus
potissimum capitibus, qua breuiter confutantur.*

QUOD autem sola sit Romana religio, quam no-
lint haberi liberam, ex eo perspicitur; quia cum
ceteris errores tribuant tolerabiles, hanc vnam grauif-
simam superstitionis impietatisque condemnant, ex tri-
bus potissimum capitibus. [Primò, quia pura & sim-
plici ac sana doctrina Christi relicta, humanis potius
constitutionibus & inuentionibus fidem habeat. Se-
cundò, quòd eam cultum amplectatur, qui sit positus
in creaturis, externisque rebus, & egenis mundi ele-
mentis, quibus diuina virtus affingitur, quam nemo
tamen (inquit) accipiat vel experiatur: non eum qui
in spiritu & veritate situs est. Tertio, quòd in ea ho-
mines vsurpent sibi in diuinis negotiis remissionem
peccatorum, dationem Spiritus sancti, erogationem
multarum confectarum gratiarum: cum ea ad Christum
transferenda sint, eique soli tribuenda. Ad quæ (in-
quit) quia hæcenus non attendimus, omnes nostri
conatus irriti fuerunt, & erunt quoque tam diu vani
& inutiles, quàm diu operam dare neglexerimus, vt
tria ista, nempe: Sana doctrina, verus Dei cultus, & po-
testas tam in cælo quàm in terra, in eum modum, quo
à Christo docta, instituta, & demonstrata fuerunt, ei-
dem restituantur.] Hoc autem quid est (dic enim, te
rogo, quod vis planius) hoc, inquam, quid est nisi ve-
stros conatus tam diu vanos & inutiles futuros, donec
Roma-

*In epistola ad
Archiducem
Matthiam.*

LIBER DECIMVS TERTIVS. 765
Romanæ Ecclesiæ professio, quam illis laborare fingis
malis, funditus exterminetur? Nec sanè diffiteor hunc
esse in nos debere omnium conatum, si verè illa nobis
tribuerentur, ac non ignoramus quorsum illa tria ca-
pita spectent, nouimus planè quid designent ac no-
tent in doctrina Catholica, quod eis non probetur.
Cur enim humanas institutiones, doctrina Christi re-
licta, sequi nos dicis, nisi quia statis temporibus ieiun-
andum, orandum, psallendumque in cõsecratis Deo
locis, & si qua sunt eius generis, ordinatis facienda tẽ-
poribus, arbitremur? In quibus obseruationibus si
probabilem possumus facti nostri reddere rationem,
nonne recipies nos, sicut & sectas alias, quæ sua quoq;
inueta & instituta sequuntur? An Scripturis illi se mu-
niunt; nos verbum Dei proferre nullum possumus?
quasi non in Scripturis ieiunium, non frequens oratio,
non Dei cultus, & pia ab occupationibus seculari-
bus vacatio commendetur? Si autem bonum & lau-
dabile ieiunium est, cur malum est præcipere ieiuniũ?
Si frequens oratio & laus Dei commendatur, cur im-
probentur Ecclesiæ leges & consuetudines, siue pri-
uatæ, siue publicæ, quibus, secundum Dei verbum,
quod tam sit laudabile, frequentetur? Sed grauant
multitudine: quid si obseruare parati sumus, & paulo
quàm vos sæpius vel ieiunare vel orare? nunquid de-
trimentum patimini, aut nunquid à Christi doctrina
recedimus, si in ijs faciendis quæ Christus approbat,
malimus Ecclesiæ pastorum iussa sequi, quàm nostro
quisque arbitrato eadem cum multa confusione face-
re, aut potius omnino negligere? Nec verò in his ser-
uile iugum est, quæ spiritualibus noui Testamèti filiis
aptissimè congruunt exercendis; nec importabile ijs,
in quibus non spiritus seruitutis in timore, sed spiritus
libertatis in dilectione dominatur. Iam secundum ca-
put cur nos terreat, tanquam eum complectamur
cultum,

cultum, qui sit in creaturis positus, & rebus externis, atque infirmis & egenis elementis? quænam istæ creaturæ sunt? quæ infirma & egena elementa, quibus diuina virtus affingitur, quam nemo sit expertus? Aqua credo Baptismi, & Confirmationis atque Vnctionis oleum. & tamen scriptum est, renasci nos ex aqua & Spiritu sancto oportere. scriptum est iterum, Mundâs Ecclesiam lauacro aquæ in verbo vitæ. Quibus locis, non verbo Dei tantummodo, sed apertè omnino lauacro aquæ assignatur nostra mundatio: neque huic elemento assignari nostra purgatio posset, nisi purgandi vim & efficacitatem diuinitus accepisset. Sed miteri ac simplices, aquam audimus, aquam intelligimus; neque tam metaphorici sumus, vt aquæ vocabulo significatam mortificationem possimus animo concipere. Esto, simplices simus, non tamen malitiosi, non noua & inusitata interpretatione textum illum, qui de aquæ necessario elemēto expressus est, corrumpimus. Cur tantum præ subtilioribus illis interpretibus meremur odij, vt tolerandi minimè iudicemur? Cur autem noster ad creaturam cultus, & infirma elementa relabitur, si creatura ad potentissimi creatoris nutum subseruiente, de huius plenitudine gratiæ irroratione expectemus? Sed amplectimur contra Augustini doctrinam signa pro rebus, quam esse ille pronūciat miserabilem animæ seruitutem. Falleris amice, falleris. Non signa pro rebus accipimus, more Iudaizantium; qui sacrificijs pecorum addicti, in ijs Christum cogitare nesciebant: sed siue in baptisimi, siue in Cœnæ sacramēto, signa, quæ se foris sensibus nostris subiiciūt, sic intuemur, vt rem significatam subesse, iuxta Christi institutionem, minimè dubitemus. Hanc ergo rem, hoc est, diuinum spiritum, Christumque ipsum, per signa sua secretiùs in animis operantem, veneramus: huic adhibemus cultum. neque propterea nos ipsos

vili

vili subijcimus elemēto, quoad nostri cōmonitionem atq. instructionē ex præcepto Christi vt edū esse nobis arbitremur. Alioqui & elementa literarū, & vocū sonos, & motus corporum, & quicquid omnium externum est diuino in cultu, vitare debebimus: ne egenis feruientes elementis, non adoremus Deum in spiritu & veritate. Certè panem ipsi, & frangendi ritum, & certorum formam verborum in Dei cultu recipitis, si non omnino disceditis ab institutione. An fortius & locupletius elemētū est panis pistorius, quàm Christi corpus? aut infirmum & egenum elementum non est aqua dumtaxat significans, & infirma atque egena est aqua, Dei concepta virtute regenerans? Quid autem est, quod addis virtutem hanc neminem experiri? neminem accipere? Itane baptisimum elidis & eneruas, quem in Ecclesia Catholica paruulus accepisti? paruulus enim accepisti haud dubiè, quod grandior seruare debueras. Quod si conseruasses, non solūm factis innocentiore, verūm etiam verbis religiosior atque integrior noscereris. Sed vtcunq. in te res sese habuit, aut habeat; non debueras ceteros tuo pede metiri, nec propterea aut Baptismi, aut Eucharistiæ negare virtutem, quòd eam fortè expertus non fueras. Nam Baptismi quidem virtutem expertum se fuisse, diuus Cyprianus testatus est in epistola ad Donatum, cū scribit, vndæ genitalis auxilio ad eò se esse immutatum, vt cœperit videri facile, quod prius impossibile putabatur. Eucharistiæ verò nisi permagnam & ipse & veteres alij vim esse iudicassent, non eam propterea ministrari voluissent imminente persecutionis atrocitate; vt eius energia roborati & animati fideles; certius de hoste saeuiente victoriam reportarent. Alia (inquit *Epistola* 9. Ambrosius) mysteria sunt, in quibus est mundi redemptio, peccatorum remissio, gratiarum diuisio, Sacramentorum participatio; quæ cū accepseris, tunc mi-

rabere

rabere tantum donatum esse homini, ut illud manna, quod miramur fluxisse de cælo Iudæis, nectantem operationis iudices ad salutem fuisse. Illud enim quicumque acceperunt, mortui sunt in deserto, præter Iesum Naue & Caleb. Hoc sacramentum quicumque gustaverit, non morietur in æternum. Sic illi. Ad vos verò quod attinet, nihil mirandum est, si nullam Sacramentorum virtutem experiamini, quæ nuda esse sine virtute symbola prædicatis. Cetera verò quæ exterior in Ecclesia cultum habet, eiusmodi sunt, ut, licet Sacramentalem efficiendi vim non acceperint, tamen non careant utilitate significandi. Quibus exercendis, & in veritate adorat Ecclesia, quia in ijs Christum, qui veritas est, agnoscit atque proficitur; & in spiritu, quod per eas res visibiles atque conspicuas, fidei & dilectionis, veræque & interioris pietatis motum & affectum in Deum & Christum inflammet. Ideoque & Legis tempore, cum iuxta institutionem Dei ceremoniæ multiplices ad Dei cultum adhiberentur, quamvis ij qui carnales erant, & miserabili animi servitute signa pro rebus amplectebantur, Deum neque in spiritu, sed in carne; neque in veritate, sed errore adorarent: tamen spirituales eius temporis homines, qui illa ex fide faciebant, in spiritu proculdubio & veritate adorabant; quia ut verè iusti, verè pij, ita profectò veri adoratores erant. Vnde intelligitur, ceremoniarum usum, veram adorationem nequaquam excludere: quando in ijs nõ tam quod geritur per seipsum, quàm id quod nobis illæ significant, suoque modo loquuntur & commendant, vigili fide & mente spirituali perpenditur; oculique mentis, quod ipse etiam ex Augustino commemoras, supra corporatas creaturas, ad percipiendam æternam lucem eriguntur. Tertium porro caput, ex quo præ tuis sectis minùs ipsi ferendi censeamur; quia videlicet in diuinis negotijs ea sibi homines assumant,

sumant, quæ ad solum Christum sint transferenda; ut est remissio peccatorum; Spiritus sancti donatio, & aliarum (ut vis) signa gratiarum: tale est quale superiora, plus continens quod refugiendum videatur specie prima verborum, quàm, si bene ac penitus inspiciatur, metuendum. Nam hæc indubiè tanta munera si sic homines aliqui sibi assumant, ut ea Christo detrahant, aut in ijs Christum non agnoscant, non sine causa è societate Christiana proijciendi videantur; sed si in eiusmodi negotijs, causisq. diuinis, Christo quidem potestas atque auctoritas primaria, homini verò ministerium, & vicaria quædam functio tribuitur: quid dicitur, à quo sit tam vehementer abhorrendum? quid asseritur à verbo Dei, & eo quid è scripto disertoque, alienum? Nonne dicitur Apostolis: Quorum remissionis peccata, remissa sunt? Quæ solueritis super terram, ea soluta erunt & in cælis? Possunt ergo & homines, iuxta Scripturam, peccata remittere, cum hanc à Deo potestatem acceperint, qui solus auctoritate primatia, neque aliunde sibi communicata, peccata remittit. Atque hoc nos Dei verbum sequentes, homines aliquos tali à Deo potestate honoratos veneramus atque suscipimus: idq. dum facimus, nihil aliud quàm Deum ipsum in eorum personis honorare nos arbitramur. Nam quod profers ex Ambrosij commentariis, planitate esse euangelizare, & ad fidem trahere; rigare verò baptizare solènis verbis; peccata autem dimittere, & spiritum dare, Dei solius esse, ideoque nullam esse in hac re gloriam hominis, cum salutis effectum solus producat Deus: hoc (inquam) non detrahit homini ministerium, per quod Spiritus sanctus donetur, sed magis constituit. Gloriam verò eam quæ eius propria est, qui ineffabiliter intrinsecus operatur, adhibito foris Sacramento, nullus nostrum cuiquam mortalium adscribendam existimat. Cur ergo tolerandi non sumus;

mus in eo in quo tam pulchrè concinimus cum Dei verbo, veterumq. doctrina? Sed prauè interpretamur Dei verbum. Quasi melius interpretentur illi, quibus remittere peccata, est Euangelium prædicare, quo annuncientur esse remissa credentibus. At hanc potestatem etiam in peccatoribus existere sustinemus. Quid ni? cùm pronunciare credenti remissa esse peccata, quod vobis est peccata remittere, etiam is possit, qui non habeat Spiritum sanctum, ex quo bene viuat. Cùm igitur & sanam doctrinam teneamus, & verum Dei cultum, & potestatem Christo Domino in cælo atque in terra, clarissimæ vocis præconio, tribuamus; cur, ceteris omnibus libertate permessa, soli excludimur? soli minimè ferendi iudicamur? Hæcine vestra libertas est, quam tanta contentione petitis? eâne religionis dicenda libertas est, quæ veram & antiquissimam, & primam religionem exterminat? Estne ea dicenda libertas religionis, hoc est pietatis, quæ Turcarum impietatem citius liberam esse patiatur, quam Ecclesiæ Romanæ, in qua primus præfedit Christi vice Petrus, religionem? Hæc ergo libertatē, si cum aliis quibusdam, vt dicis, impedierim atque turbarim, non eo profectò nomine mihi displiceo, cùm ex ea sciam nihil prouenire posse boni; quam ea mente atque intentione petitis, vt Romanam Ecclesiam subuertatis. Idcirco enim te sic offendit, quòd Ecclesiam Romanā omnibus opibus ac viribus defendendam esse dixerim, vt mihi propterea per annotationem marginalē tanquam à latere veniret spiritus Antichristi, non Christi. Quo manifestè declaras, tibi esse persuasum, Romanam Ecclesiam esse Antichristi Ecclesiam, & ideo qui hanc dicant defendendam esse, spiritum Antichristi habere, non Christi. Ex quo etiam non temere diuinamus, cùm libertatē petitis religionis, nobis tamen nullam fore libertatem, nisi Christum & Antichristum pari velitis in Ecclesia libertate potiri.

CAPVT XVIII.

Quid sit de ea narratione sentiendum, quæ ex Molinæ profertur de Ludouico Rege Francia XII.

HISTORIAS etiam profers pro asserenda hæc vestralibertate. [Memoratu, inquis, dignum est exemplum Ludouici duodecimi, cui patris populi cognomen impositum est. Incendebant eum Cardinales & Episcopi aliquot aduersus Merindolanos & Crabrerienses (reliquias videlicet Albigenſium Christianorum, qui olim propter Christum diu multumq. vexati sunt) quippe veneficos, incestos, hæreticos, ac proinde tollendos esse. Merindolani & Crabrerienses subodorati quæ Cardinales & Episcopi in se consilia coquerent, mittunt ad Regem Legatos, & innocētiam suam tutantur. Eos Legatos aditu Regis Cardinales prohibere conabantur, Regem monentes, ne illis pro se dicendi apud se potestatem faceret, iure Canonico prohiberi ne quis cum hæreticis communicet. Tum Rex, Etiamſi, inquit, mihi in Turcam aut diabolum bellum suscipiendum esset, eos tamē prius audire vellem. Dignum profus Rege responsum. Quippe inauditum & indefensum quemquam damnare, sceptro & iure abuti est. Ergo accitos Legatos Ludouicus introduci iubet. Illi reuerenter exponunt, Merindolanos & Crabrerienses, Euangelium, Biblia, Symbolum Apostolicū, Dei præcepta, Sacramēta agnoscere atque amplecti: ceterum nec Papæ, nec ipsius doctrinæ credere, si secus esse Rex deprehenderet, se nullū supplicium recusare. Ea itāne se haberēt, an secus, Rex scire voluit. Itaque ea de re Adamo Finnæo, libellorum supplicum magistro, & Guilhelmo Paruo Dominicano, qui illi erat à confessionibus, quæſtionem mandat. Illi in ealoca profecti, & quæſtionibus perfectis, reuerſi sunt ad Regem. Referunt, illis in locis homines baptizati, Ar-

ticulos fidei, & Decalogum doceri, Dominicos dies religiosè coli, Dei verbum exponi, veneficia & supra apud eos nulla esse. Cæterùm te in ipsorum templis neque imagines, neque ornaméta Missæ vlla reperisse. His auditis Rex, cõsue præcipiti iudicio damnauit? aut bello persequutus est? Minimè: sed iureiurando addito, Me, inquit, & cætero populo meo Catholico meliores illi viri sunt.] Hæc tua sunt de Ludouico duodecimo, vel certè Molinæi, cuius ex libro de Monarchia Francorum, te illa deprompsisse significas. In quibus dum laudatur Ludouicus duodecimus, vituperantur prædecessores eius clarissimi Galliæ Reges, Philippus Augustus, & diuus Ludouicus, à quibus Regibus persecutionem passi sunt Albigèses. Nam Philippus quidem per suos duces multa Albigenisum milia sustulit: posteaque Ludouicus Ludouici filius, cum eosdem in sua perfidia obstinatos comperisset, Ioanni Bellemontensi imperat exercitum in eos ducere. quod adèd frustra non fuit, vt intra paucos dies, alijs atque alijs receptis eorum munitionibus, rebelles perdomitos conuenientibus affecerit pœnis. Ac ne tum vim dumtaxat in eos adhibitum fuisse, non doctrinam, non salutaria monita subministrata calumnieris; constat, Philippo regnante, sic armis oppugnatos Albigenes, vt animos quoque eorum expugnandi cura neuiquam defuerit, quippe Simonem Montfortium belli ducem comitatus Dominicus, vir continentia vitæ, & doctrina clarus, magnam verbi ministerio & omni officio charitatis operam præstitit, quo miserè deceptas animas errorum laqueis eximeret. Tibi ergo Albigenes propter Christum diu multumque vexati fuisse videtur, quos Christianissimi Reges, & religiosissimi Galliæ nobiles tunc sunt persecuti? Itane tibi tunc omnis Gallia infansisse videtur, vt Christum ignoraret, quem in suis discipulis opprimere conaretur? Apud solos ergo Albi-

genes

genes tunc Christi erat Ecclesia, & de cæteris regni partibus perierat: quoniam profectò Christi Ecclesia esse non potuit, quæ aduersus Christum grauem adèd persecutionem cõmoueret. A quibus igitur, obsecro, & per quos, ad Ludouicum vsque duodecimum, veræ religionis hæreditaria successio penetrauit? quomodo suum populum Catholicum vocat, qui per te Christianus non erat? Successerat enim eadem in religione ijs populis, à quibus propter Christum Albigenes singis persecutionem esse perpeffos. Ex aduerso autem cum populum suum in ea cum Albigenibus comparatione Catholicum vocat, nonne significat Albigenes non fuisse Catholicos? quid enim est quod dicit, nisi viros illos, quamuis pontificiæ doctrinæ non acquiescerent, tamen Catholicis, qui eam sequerentur, fuisse meliores? Non ergo erant illi Catholici, ipsius Ludouici iudicio: quare nec Christianæ Ecclesiæ gremio comprehensi, cum in Symbolo profiteamur Ecclesiam Christi Catholicam. Tu ergo iam videris, quoniam modo homines ab Ecclesia Christi alienos, quos proinde haberi oportuerat sicut ethnicos & publicanos; quomodo hæreticos & schismaticos, quibus nec Aue dici cõuenerat, meliores esse dixerit viros Catholicis hominibus, & obedientibus Ecclesiæ filijs. Iam & hoc attède, ex qua suorum relatione fingatur Rex meliores illos esse viros Catholicis populis concluderet: nempe quia in illis Albigenisum locis homines baptizarentur, articuli fidei, Decalogus docerentur, verbum Dei explicaretur, veneficia apud eos & supra nulla essent; propterea ergo meliores Catholicis? Quid enim istorum apud veteres damnaissimas hæreses non fiebat? Apud Nouatianos, Donatistas, Arianos, Nestorianos, Eurychianos, aliasque pestes, baptizabantur homines, articuli fidei, Decalogus studiofissimè tractabatur, Dominici dies religiosè coleban-

tur. Sæpe ijdem tam bonis erant moribus, vt multos Catholicos erubescere cogeret. Hi ergo sectarij rectè à quoquam sano homine Catholicis dicerentur esse meliores? Laudas Regem, quia non præcipiti iudicio reliquias Albigensum cõdemnauerit: nec aduertis quàm præcipiti iudicio concluderit, addito etiam iureiurando, ex confusa, & generali, nec bene discussa informatione, illos Catholicis populis esse meliores. Quomodo enim, & qui, quõcũque Articuli fidei doceantur, qua ratione Decalogus tractetur atque explicetur, quomodo etiam & qua forma verborum baptizentur homines, permultum interesse quibus intelligit,

CAPVT XIX.

Non satis narratorem hunc attendisse qua fuerit Albiorum doctrina.

PORRO nec illud in hac fictitia narratione satis attenditur, quæ doctrina fuerit Albigensum, quorum hi dicuntur esse reliquæ. Cùm enim sancti Dominici ætate variæ hæreses grassarentur sub generali nomine Catharorum, diuersasque Christianæ Ecclesiæ prouincias macularent; vt Lombardiam, vt Tusciã, vt Marthiam; fuit inter cætera loca comitatus Albigenensis deprauatissimus, vnaque illic ex sedecim quæ Catharorum Ecclesiæ numerantur à fratre Reinero, antea hæresiarcha inter ipsos Catharos, postea verò sacerdote Ordinis Prædicatorû. Qui etiam vt breuiter, ita dilucidè sententias Catharorum, & communes omnium & proprias ferè sectarum singularum, quibus inter se (quod facillimè euenit inter hæreticos) discrepabãt, recensuit atq. explicauit. Cõmunes, inquit, opiniones omnium Catharorum sunt istæ: videlicet, quòd diabolus fecit hunc mundû, & omnia quæ in eo sunt. Item quòd omnia sacramenta Ecclesiæ, videlicet

Sacra-

Sacramentum Baptismi, & cætera Sacramenta nihil profunt ad salutem, & quòd non sunt vera Sacramenta Christi & Ecclesiæ eius, sed deceptorica, & diabolica, & Ecclesiæ malignantium. Item communis opinio omnium Catharorum est, quòd matrimonium carnale semper fuit mortale peccatum, & quòd non punietur quis grauius in futuro propter adulterium vel incestum, quàm propter legitimum cõgium. Item omnes Cathari negant carnis resurrectionem futuram; Item credunt quòd comedere carnes, oua & caseum, etiam in vrgenti necessitate, sit mortale peccatum. Item quòd potentes seculares peccant mortaliter, puniendo malefactores vel hæreticos. Item quòd nemo potest esse saluus nisi per eos. Item quòd non licet iurare in aliquo casu: & ideo iurare est semper mortale peccatum. Item quòd paruuli etiam baptizati non leuius punientur æternaliter, quàm latrones & homicidæ. Item omnes negant purgatorium. Est etiam communis, inquit, opinio omnium Catharorû, quòd peccaret grauius, quicunque ex eis spõte occideret auem aliquam, à minima auicula vsque ad maximã, & quadrupedia, à mustela vsque ad elephantem; sed de cæteris animalibus non sic dicunt. Sic ille de communibus eorum sententijs, qui ipsius ætate vel superbè se Catharos appellabant, vel sic à Catholicis notabantur; quòd se à cæteris, vt immundis, tanquam soli ipsi puri & sancti se iungerent. Addit idem postea de Sacramentis eorum communibus. Cathari namque, inquit, instar simiarum, quæ hominis actus imitari conantur, quatuor habent sacramenta, falsa tamen & inania, illicita & sacrilega: quæ sunt, manus impositio, panis benedictio, pœnitentia, & ordo. de quibus ordine postea differit breuissimè. Habes ergo hîc tuos Albigeneses, quos ais propter Christum persecutionem esse persequos. Miror an eis nunc Ecclesiæ portas aperires, si qui

similiter carnis resurrectionem negarét, si qui nuptias vt scelus damnarent, si qui carnes edere villo casu nefas ducerent. Non opinor, nisi simili errore demens repereris. Quantum ergo tibi placere possunt in eo quòd purgatorium negant, tantum tibi in eo quòd nuptias damnant, displiceant necesse est: quantum que approbas, quòd in hæreticos animaduerti non putant licere, tantum oportet improbes, quòd iidem ne maleficos quidem vllos patiantur interfici. Et si tibi propter Christum persecutionem videntur passi, quia rectissime purgatorium tollerent, propter quem obsecro passi sunt, cum nuptias condemnarent? cum carnis resurrectionem negarent? cum à diabolo còditum esse mûdum affirmarent? Talium ergo tamque nefandarum sordium reliquias Rex Catholicus & sibi & suis Catholicis, bene de illis instructus & informatus, anteponi iussit? Et idem apud reliquias suæ ætatis Albigensum tam facile credidisset homines baptizari, si scisset eorum maiores, quibus in simili errorum infania successerant, baptismum qui in aqua fieret, omnino sustulisse? At se posteriores, inquis, iam in multis correxerant; priores igitur, quos corrigi oportuerat, propter Christum persecutionem passi non sunt. Quòd si hæc omnia de illis fingi dixeris, non metuis ne citius multo fingere dicaris, quòd propter Christum persecutionem passi sint? & hoc quidem fingere cum tâta clarissimorum Principum Christianissimæ Galliæ, totque populorum Catholicorum iniuria? aut si illa finguntur, tu articulum profer ad Christi doctrinam pertinentem, propter quem illos persecutionem passos esse certius edoceas. ede tuos historicos, testes nobis idoneos producito. Cepisse luem hanc diui Bernardi temporibus, Pontifice Innocentio secundo, & iisdem in Galliæ partibus, hoc est, circa Tholosam, sparsisse sui veneni non negligenda semina, testis nobis est ipse Bernardus,

us, qui propterea Tholosates hortatus est epistola ducentesima quadagesima prima, vt persequeretur deprehensas, sed nondum comprehensas vulpes, neque desisterent donec penitus deperirent atque diffugerét de cunctis eorum finibus. Scripsit & ad Hidelphonsum comitem sancti Ægidij, cui declarat se propterea in ea loca esse profectum, quòd ea sola de vniuersis Galliæ prouincijs maximè sibi inuenisset exposita Hæreticus apostata, auctor sectæ: vt sub illius potissimum Comitatus dominatu, in gregem Christi toto furore baccharetur. At ne alias tunc hæreses fuisse putes, quàm ex Reineri catalogo recensuimus, scribit idem Bernardus sermone in Cantica sexagesimo sexto, damnasse eos nuptias, abstinuisse à cibis tanquam malis, ex Manicheorum infania, baptismum sustulisse paruulorum, orationes pro defunctis improbasse, ignem purgatorium post mortem nullum restare docuisse, ordinibus Ecclesiæ detraxisse, sacramenta contempsisse. Eadem ergo fuere hæreses iisdem locis, quæ auctæ postea atque propagatæ, vsque ad Innocentij tertij Pontificatum, sic inoleuere, vt, quemadmodum Platina scribit, non disceptationibus verborum tantum, verum etiam armis opus fuerit. Sederat, inquit Paulus AEmilius, capestis in comitatu Tholosatum, cui Albij contribuebantur, & finitimas polluerant ciuitates. Pontifices nostros, Episcopos sceleratorum; Ecclesiam nostram, cætum inferorum vocitabant: matrimonia damnabant, promiscuos cõcubitus, eosque nefarios, sanctos ducebant. Ad eos sanandos, si respicere possent, missus diuus Dominicus, neque vitæ, neque orationis sanctitate permoti sunt. Armis etiam pertinacia se tutabatur: necdum indoles illa Gothica ferociaque vtique exoleuerat. Et infra: Circiter centum milia armatorum, inquit, in acie aduersus Simonem, ne decima quidem parte hosti parem, constituisse ferunt, sed va-

Epistola 140.

In Innocentio tertio.

In Philippo Augusti. lib. 6.

luerunt lachrymæ, vicit religio, fusa fugataque multitudo à paucitate, furor à religione. Sic AEmilius. Si iam quærat aliquis, quonam modo à diui Bernardi temporibus, per annos circiter quinquaginta aut sexaginta, tantum incrementorum & virium accipere Tholofates siue Albij hæretici potuerint: ipse ei Bernardus causam reddet, sermone suprà memorato. Dolendum (inquit) valde, quod non solum laici Principes, sed & quidam, vrdicitur, de clero, nec non de ordine Episcoporum, qui magis eos persequi debuerant, propter quæstum sustineant, accipientes ab ijs munera. Et quomodo, inquiunt, damnabimus nec conuictos nec confesos? friuola satis non ratio, sed occasio. hoc solo, etiam si aliud non esset, facile deprehendes, si (vt dixi) viros & feminas, qui se continentés dicunt, ab inuicem separe: & feminas quidem cum alijs sui sexus & voti degere cogas, viros æquæ cum eiusdem propofiti viris, per hoc enim consultum erit vtrorumque voto simul & famæ, cum continentia suæ & testes habuerint & custodes. Quod si non sustinent, iustissime eliminabuntur de Ecclesia, quam scandalizant non solum notabili, sed etiam illicita cohabitatione. Habes ex diuo Bernardo propagatæ pestis causam, nec propagatæ modò, verum etiam progressu temporum inueteratæ, & sic quidem radicatæ & armatæ, vt non solum disputantium rationes, sed Principum etiam gladios colliferit. Inter quos si nihilominus vsque ad Ludouicum duodecimū aliquas sui reliquias transmiserit, pari hæ tamen odio dignæ atque execratione fuere: nec eis potuit Ludouicus laudabiliter indulgere, quas eius maiores summa cum laude funditus extirpare conati sunt. Quoniam ergo modo verisimile sit, quod nec apud clarissimos historicos scriptum reperio, non modò non indulgisse Ludouicum Principem haud dubiè Catholicum, verum etiam laudauisse? nec laudasse simpliciter,

ter, sed impuros etiam homines, Catholicis omnibus Gallia: populis, iuxta ventosum illud Molinæ mendacium, addito iureiurando antepofuisse? Nam, temeraria quidem iuramenta vsque adeo Ludouicus non ferebat, vt temere iurantes, varijs edictis coercuerit: vsus ea in re, consilio Guilhelmi Parui, qui ei erat à factis confessionibus.

CAPVT XX.

Dissoluitur argumentum petitum, cum ab exemplo Ioannis Pontificis, eius nominis primi, tum etiam Principum Romanorum.

EST abste quoque Ioannis Pontificis eius nominis primi productum exemplum, Platinæ verbis eiusmodi: Theodoricus Rex Italia: Ioannem Pontificem Romanum eius nominis primum, Theodorum, duosque Agapitos oratores, ad Iustinū Imperatorem, qui Arianos expulerat, eorumque Ecclesias Catholicis assignauerat, misit: qui eum hortarentur, vt Arianos restitueret: sin secus animatus esset, sciret se omnes Italia: Ecclesias Catholicas demoliturum. Magnificè & perbenignè primò quidem Legati excepti sunt, qui vbi Constantinopoli rationem legationis exposuere, eum flectere Iustinum non possent, ad lachrymas versis, ac suppliciter petentes, vt peritura Italia: vnà cum Catholicis omnibus subueniret, eo tandem pium hominem perpulere, vt Arianos restitueret, atque eos vivere suis institutis & legibus sineret. hinc tu concludens, Itaque, inquis, fidei causa hic postposita necessitati est. Quæ quidem conclusio ex tuo sensu profecta, non ex commemorato Ioannis exemplo, vera ratiocinatione deducta est. Ex quo enim Euangelio didicisti, causam fidei vlli esse necessitati postponendam? Causa enim fidei, Christi & Dei causa est: quæ apud homi-

homines Christianos tanti esse debet, ut omnino illi debeat humana cedere necessitas. Id quod facere serpētū etiā docemur exēplo, qui, quo suū caput seruent incolume, ceteras omnes sui partes, cædentiū ictibus exponere non dubitant. Neque ergo id efficere studuit apud Imperatorem sanctissimus Pontifex, ut causa fidei necessitati postponeretur, sed omnino fidei ipsius religionisque causam egit: quæ ne opprimeretur in Italia, consultū esse censuit, Arianos in Græcia ad tempus adhuc tolerari. Non enim fidei causa postponitur necessitati, aut quicquam agitur in præiudicium religionis, quoties vel hæresis, vel aliud quodpiam toleratur infidelitatis genus, ne grauiora detrimenta pietas accipiat. Imo verò hoc est fidei causam putare primā, eiusque rationem piè omnino prudenterque suscipere. Quomodo nec in pudicitie præiudicium, prostibula certis duntaxat locis, nec in Reipublicæ aut æquitatis iniuriam vsuræ tolerantur. Quamuis enim ipsa prostibulorum impuritas, pudicitie; & vsurarum iniquitas, iustitiæ proculdubio contraria sit: non tamen eiusmodi vitiorum prudens & moderata toleratio, virtuti aduersa est, sed pro ea potiùs conseruanda facit. Ad eundem ergo modum, contraria veræ quidem religioni sunt impiarum exercitia factionum: sed eorum ad aliquantum tempus prudens permissio; quoniam intuitu sit alibi conseruandæ fidei, non causam religionis necessitati postponit, sed virgente necessitate religioni consultit. Nec verò toleratio seu permissio hæc, tali orta ex necessitate, causæ tuæ patrocinator. Tu enim libertatem istiusmodi non tolerari, sed probari vis: nec vno duntaxat loco permitti, sed toto profus orbe terrarum, ne videlicet zizania euellantur; neque ad tempus tantummodo, sed omnino vsq; ad extremum iudicium, messisque diem. Quid tibi ergo profuerit, si Ariana hæresis ab Imperatore Iustino, propter impendentem

alioqui

alioqui Ecclesijs Italicis ruinam, ad tempus tolerata sit, & aliquantum libertatis acceperit, cum postea remoto eiusmodi periculo, Iustinianus, Iustini in imperio successor, legem promulgauerit; ne qui essent hæretici sub eius imperio, datis ad conuersionem trium mensium inducijs? Quod autem nonnulli, dum refistunt Libertinis, illam esse non putant de Ioanne Pontifice veram historiam; sed Ioannem Pontificem auxilijs causa in Græciam ad Imperatorem profectum esse contendunt, quoniam Theodoricus Arianus Italiam diuexaret, eamque Romanæ esse historię fidem; in eo hi multa falluntur simplicitate, quod cogitare nesciunt hoc ipsum auxilio Italiæ fuisse futurum, si Arianis in Græcia parceretur. Nam cum constet Ioannem Pontificem ab ipso Theodorico missum ad Imperatorem, eiusque legatione esse functum; quonam modo hæc Ioannis fuisset eò directa legatio, ut aduersus Theodoricum auxilia peteretur? Breuiarium ergo illi suum, quod Romanæ historię nomine significant, non satis intelligunt. Neque enim Romanum Breuiarium Pontificali Romano contrariū est, è quo Platina suā illam narrationem elicit. Nec verò solus aut Platina, aut Sabellicus, aut Massæus Cameracenas, ita rem gestam referunt: sed vetus quoque & celebris Pauli Diaconi eadem de re historia, quæ his expressa est verbis: At verò, inquit, in Orientis partibus, cum adhuc eo tempore per singula loca hæresis Ariana vigeret, Iustinus sexto imperij sui anno orthodoxæ fidei studio omnipotens satagere cepit, ut hæreticorum nomen extingueret, statuitque ut vbique eorum Ecclesias Catholica religione consecraret. Quod dum in Italia Rex Theodoricus, Ariana lue pollutus, audisset, Ioannē Papam, simulque cum eo Theodorum Hipatium, atque Agapitum, consulares viros, atque Agapitum patricium, Constantinopolim ad Iustinum Principē misit. Mandat

dat

dat quoque per eos interminans, quòd nisi quātocyis hæreticis suas Ecclesias redderet, eos que in pace dege-
re sineret, vniuersos Italiæ populos ipse gladio extin-
gueret. Qui peruenientes ad Augustum, cum ab eo, vt
dignum erat, suscepti essent, magnis eum, de sua suo-
rumque salute solliciti, fletibus postulabant, vt suæ le-
gationis seriem, quamquam esset iniusta, libenter exci-
peret, Italiæque perituræ consulere. Quorum fletibus
Iustinus permotus, eis quod petebant, concessit, Ari-
nosque sui iuris reliquit. Hæc Paulus Diaconus. Quæ
siquis roget quonam modo cum epistola Ioannis quæ
ad Episcopos Italiæ scripta est, consonent; quæ declarat
Pontifex, se Arianorum Ecclesias quascunque reperire
potuerit, cum in Græcia adhuc esset, Catholicas conse-
crasse: responderi poterit, Arianis sic esse paritum, sic
que permissam erroris sui libertatem, vt tamen Eccle-
siæ eorum, quæ iam per consecrationem ad Catholicæ
fidei & pietatis exercitium Deo dedicatæ erant, non eis
redderentur: relinquerentur aliquæ tamen, quæ non-
dum consecrationem acceperant. Tamen si enim ante
Ioannis aduentum in Græciam, eiectioni iam essent Ari-
ni, & eorum Ecclesiæ fuisse significantur ad ritus Ca-
tholicos consecratæ: tamen si omnes consecratæ fuis-
sent, non potuisset Ioannes, quas ipse consecraret, re-
perire. Cõsecrauit autem quascunque potuit ab Ari-
nis inuenire vacuas: quibuscum et si indulgentius ac-
mitiùs ageret Imperator, propter Pontificis preces: ta-
men non incredibile est, ob priorem Imperatoris se-
ueritatem, multos Arianos ad Catholicæ communiõ-
nem sese recepisse, aut certè ab Ecclesiarum suarum
frequentatione abstinuissè: vt eæ iam potuerint Ca-
tholica religione consecrari. hæc igitur, aut alia melior,
si cui occurrat, afferenda erit conciliandi ratio: non
autè aut hystoria, quæ à tam multis traditur historicis,
& in ipso est Pontificali Romano, propter Ioanis episto-
lam

In Pontif.

lam arguenda falsitatis, aut propter hystoriæ fidè Ioanis
epistola repudianda. Ad cætera exempla quod attinet,
quæ de Romanis Principibus proferuntur (vt taceam
quàm referantur interdum deprauatè) satis fuerit ge-
neratim annotasse, nullum ex omnibus satis idoneũ
esse ad perpetuam religionis libertatem stabiliendam,
quam isti postulabant, nisi fortè Iuliani apostatæ, cuius
etiam iste patrociniõ nititur. Nam illum, diuus quidè
Augustinus testis est, hæreticorum & schismaticorum
libertati fauissè, propterea quòd ei pax & vnitas Chri-
stiana nimium displiceret, quando quidem ipsa ei, vn-
de impiè ceciderat, religio displicebat. Aliorum autem
Imperatorum, inquit, iustitiam, legesque, quæ vehe-
mentes aduersus eos late sunt, quis ignorat? In quibus
vna generalis, inquit, aduersus omnes qui Christianos
se dici volunt, & Ecclesiæ Catholicæ non communi-
cant, sed in suis separatim conuenticulis cõgregantur,
id continet; vt, vel ordinator clerici, vel ipse ordinatus,
denis auri libris mulctetur; locus verò ipse, quo impia
separatio congregatur, redigatur in fiscum. Sunt &
aliæ iussiones generales, quibus eis vel faciendi testa-
menta, vel per donationes alicui conferendi, facultas
adimitur, vel ex donationibus aut testamentis ali-
quid capiendi. Sic Augustinus. Vnde, si aduertere li-
ber, intelligis nõ probatam fuisse sectarum quam vul-
tis libertatem, quæ impunita non relinquebatur. Sed
qui boni & Catholici fuere Principes, cum, vt è me-
dio tollerentur, vel fieri non posse, vel propter com-
mendandam Gentilibus Ecclesiæ mansuetudinem,
non expedire iudicarent, tolerarunt dumtaxat, pro sui
temporis necessitate, quos tolerandos esse iudicauere
præ aliis, vt Theodosius Magnus, quem iure laudas,
vt prudentissimum & optimum Principem. de quo
videri vis Socratem, Tripartitæ hystoriæ libri noni, ca-
pite trigesimo sexto. Sed ego de eodem videre te velim
quid scribat Prudentius. Laudat enim cum hoc no-
mine,

784 DE CHRIST. LIBERT. LIBER XIII.
 mine, quod non solum gentilium more Principum, id
 ei curæ fuerit, vt bene se haberet terrenarum cursus
 rerum; verum etiam id, quod ad Principum curam
 pertinere non vis, vt vna vera religione, sublatis, quo-
 ad fieri posset, noxiis erroribus, ad æternam felicitate-
 tem adipiscendam, vni vero Deo seruiretur.

*Incipit lib. prio-
 ris contra Sym-
 machum.*

*Vir solus (ait) cui cura fuit, ne publica morum
 Plaga cicatricem summa leuiter cute clausam
 Duceret, & latebram tabentis vulneris altè
 Impressam, penitusq; putri de pure peresam
 Iuncta superficies medico fallente foueret:
 Sed studuit quo pars hominis generosior intus
 Viueret, atque animam letali peste piatam
 Nosset ab interno tutam seruare veneno.
 Illa Tyrannorum fuerat medicina, videre
 Qui status ante oculos presentibus ac perituris
 Competeret rebus, nec curam adhibere futuris.
 Hec malè de populo meriti, malè patribus ipsis
 Blanditi, quos precipites in tartara mergi
 Cum Ioue siuerant, multa & cum plebe deorum!
 Ast hic imperium protendit latius, auro
 Posteriore sui cupiens sancire salutem.
 Nimirum pulchrè quidam doctissimus, esset
 Publica res (inquit) tunc fortunata satis, si
 Vel Reges saperent, vel regnarent sapientes.*

Hæc de Theodosio Prudentius. Nemo autem omnino
 hoc aut rationem aut Euangelij doctrinam postulare
 putauit (quod vos putatis) vt quæque hæresis, omni-
 bus & locis & temporibus, etiam cum extirpari sine
 periculo grauiore posset, in sui professione, suisq; exer-
 citijs libera esse sineretur.

DE

DE
 CHRISTIANA
 LIBERTATE
 LIBER DECIMVS
 QVARTVS.
 PROOEMIUM.



ISVM fuit & alterius cuiusdam li-
 belli breuem confutationem adiun-
 gere, non propter argumenti modò
 similitudinem, verum etiam vt poste-
 ritati testatum esset, quanto studio,
 quantaque copia argumentorum ef-
 flagitata hæc fuerit in religione libertas, sub speciosis-
 simo blandissimoque titulo Christianæ libertatis. Et
 hoc quidem quicquid est libelli euulgatum aliquan-
 do fuit, typisque commissum, sed cum ita esset distra-
 ctum, vt eius non facillè recens, hisce in locis reperire-
 tur exemplar, valdeque ad hanc accessiunculam fa-
 ciendam inuitaret plenior quædam argumenti susce-
 pti tractatio: paucis mutatis, nonnullisque detractis,
 quæ illi propriè temporì seruibant, rursus hinc infe-
 rendum esse putauimus. In quo proposita Libertini
 cuiusdam clari inter suos argumenta, quamquam eo-
 dem ferè quò superiora reuoluantur, habent tamen
 proprii quiddam, quod alio dictionis filo, magisque
 populari ratione tractetur atque diluatur.

dd

CAPVT

CAPVT I.

Ad religionis in Republica conseruationem, & diuina & humana seueritatis metum valde conducere.

PRINCIPIO igitur probat id agi sine ratione, imò absurdè etiam, vt armis ac seueritate pij Principis, religio Catholica conseruetur; propterea quòd religio qua Deus colitur, Dei sit donum, neque vi possit hominũ animis inferi: quia nimirum credere, aut religiosus esse, nemo queat inuitus. Hæc si ratio gladium excutit è manibus Catholici Principis, ne possit eius vsus ad religionis conseruationem conuertere; non sinet profectò eadem illum exseri, ad vllius in Republica vitij grassantis extirpationem. Quis enim vel mediocriter institutus, ignoret, non modò religionem seu pietatè Dei donum esse, verum etiam iustitiam, castitatem, ceterasque virtutes? Quin & à sceleribus sibi temperare, nisi Dei munus esset, non diceret beatus Gétium Apostolus, orare se pro suis, vt nihil mali facerent. Nũ placet igitur, quoniam hæc Dei dona sunt, vt neque inter ciues iustitia, neque inter coniuges pudicitia fides, neque in familiis modestia, temperantia, obedientia, neque omnino in castris disciplina, præfectorum aliqua seueritate conseruetur? Quod si sic erit, abolendæ leges erunt contra homicidia & adulteria latæ; nõ pater virga filij peccatum castigabit; non dominus seruum, non magister discipulum, non Tribunus militem pœna ob delictum afficiet. Cur enim illum punis, qui vt abstineret à scelere, Dei donum nõ habuit? Nam profectò si habuisset, abstinuisset. Quod si rectè necessarioq. reipublicæ disciplina scelera puniuntur, rectè quoque virtutes, quamuis Dei munera sunt, seueritate conseruantur. Etenim in tanta ad delinquendum pronitate, quantam esse conspiciamus, hæc ratio est

1. Cor. 13.

est virtutum bona publicè & priuatim conseruandi, si contraria vitiorum mala pœnis inflictis arceantur. An vitiosum erit fortasse, feminam non seruasse fidem viro; & non erit vitiosum, fidem Deo ipsi datam violasse? aut grauis erit iniuria, verbo factòve Regiam lassisse maiestatem; & nulla, vel leuis erit, in Deum blasphemasse? aut bonos ciues insectari conuitiis, crimè existimabitur; sanctos verò eius in cælo regnantes, nihil erit petulantibus linguis irrisisse? Hæc, atque huius generis alia complura, quæ contra religionem Christianam Catholicam admittuntur, si crimina sunt maxima, & omnibus dignissima pœnis, neque arceri à republica in ista exulceratissima corruptione morum, nisi Principum seueritate possunt: effectum est, summa cum ratione coniunctum id esse, vt in ea, Catholici Principis gladio, cum facultas aduerit, vindicetur. qui non sine causa gladium portat, vt beatus Apostolus inquit, minister enim Dei est, vindex in iram ei qui malum agit. Qui autè ea punierit, quæ siue factis, siue verbis sacrilegis verè aduersantur religioni, eaque puniendo vel minuerit, vel sustulerit è Republica Christiana; nonne is præclare tibi videtur religionem Catholicam in eadem Republica vel omnino, vel magna saltem ex parte conseruasse? Ac sicut modò religio Dei donum est, sic certè & antea omni tempore fuit: nec ea solùm ex parte Dei munus est, qua hæreticorum damnantur errores, verum etiam ex ea, qua gentium simulacra, falsique dij fugiuntur. Atqui in Iudaicum populum, ne ad idola deflueret, graues minas, eiusdemque postea quàm ad ea deflexisset, acerbissimas plagas diuinitus irrogatas, ignorat nemo, qui sacras literas attigerit. Et quamquam subinde populus ille fœdè lapsus sit, tamen nõne per tot annorũ centurias, istiusmodi seueritate, vera inter eos religio stetit, vnusque Dei cultus in illa est Republica conseruatus?

Rom. 13.

788 DE CHRISTIANA LIBERTATE
uatus? Neque verò hîc audiendum est, populum illum
istiusmodi fuisse ratione cohibendum, quòd duræ ni-
mium ceruicis esset. Nam neque modò duræ nobis
ceruices desunt, quas neque mollit pietas, neque obe-
dientia flectit: & si quisquam illud fortasse produxe-
rit, nihil omnino causam adiuuerit suam, cum interim
teneamus, etiam tum vnus veri Dei cultum, munus
diuinum exstitisse. Quod donum si conseruandù non
fuit in hominum animis, incusso seueritatis pœna-
rumque metu; non debuit idolatriæ lapsus tâta pœ-
narum & calamitatum acerbitate puniri. Si autè con-
seruatum sic est, & multos quidem per annos; quî
fiat, vt non & modò ratione consimili Catholicæ reli-
gionis munus in republica Christiana conseruetur?
Neque enim aded tardo quemquam esse ingenio pu-
to, qui non videat quàm Iudæis quoque iustæ fuerit
causa querelæ, cum propter cultum idolorum graui-
bus ruinis feriebantur; si hoc iam dicere quisquâ cum
ratione potest: cur tenere fidem hanc supplicijs cogor,
quam, nisi dederit Deus, habere non possum? Quid?
quòd nec integrù iam erit Deo, quemquâ supplicijs
æternis addicere, propterea quòd eum non præ omni-
bus rebus dilexerit? Paratum enim & hoc erit conti-
nuò: Iniustè mecum agis, qui me sic punias, quia non
habuerim quod nisi te largiente habere non potui.
Porro, vt alia non pauca huc pertinentia, quæ illorum
fuère temporum, omittamus, ad nouumque Testa-
mentum conuertamus oculos: cur flagello vsus est
Christus ad exturbandos è templo negotiatores pro-
fanos, nisi vt religiosam in eo Dei venerationem,
quæ eius proculdubio donum est, conseruaret? Cur
Ananiæ Sapphiræque repentina morte incussus est
multitudini credentiù metus, nisi vt sic punita fraude
inimica pietati, constantior deinceps in promissis im-
plendis pietas seruarietur? Factus enim est per hæc ti-
mor,

Ioan. 2.

LIBER DECIMVS QVARTVS. 789
mor, sicuti scriptum est in Actis, in vniuersa Ecclesia, ^{Act. 5.}
& in omnes qui audierunt. Tantumque abest vt hac
inuitata vindicta religio, quæ Dei donum est, detri-
mentum acceperit, vt mox adiungat historia, magis
magisque auctam esse credentium in Domino multi-
tudinem virorum atque mulierum. Cum igitur metu
fuerit aucta religio, non eadè metu poterit in hominù
animis conseruari? præsertim cum ad pietatis indubiè
conseruationem beatus Gétium Apostolus Timotheo ^{1. Tim. 5.}
præcipiat, vt eos qui peccant, arguat coram omnibus,
quo ceteri timorem habeant, ac timore percussis, ab ijs
quæ Christianis officium institutis, abstineant. At ille
fuit (inquis) Dei metus; hic autè, quæ ad religionis cõ-
seruationè nihil cõferre volumus, metus est humanæ
potestatis. Quasi verò non eos qui rebus humanis le-
gitimè præfunt, timeri vt Dei ministros oporteat. Si
enim diuinitus est ordinata potestas sublimior, & si
is qui potestati resistit, Dei resistit ordinationi, iuxta
doctrinæ Apostolicæ certissimâ veritatè, quisquis ^{Rom. 13.}
potestatem illâ rectè reueretur ac timet, is Deû ipsum in
suo Vicario metuat ac reueretur necesse est. Eam ob
rè sapiens Deo ipsi subiunxit Regè tanquam Dei mini-
strum, cum vtrumque metuendum esse præscriberet.
Time, inquit, fili mi, Dñm & Regè, & cū obtrectatori-
bus, siue Dei, siue Regù ne cõmiscaris, quoniã repè-
tè ab ijs confluit perditio; & ruinâ, quâ vterque afferat,
quis nouit? Hinc & beatus Petrus iubet, Christianos ^{1. Pet. 2.}
subiectos esse siue Regi, quasi præcellèti; siue Ducibus
tanquã ab eo missis, ad vindictâ malorù, laudem verò
bonorù. Quos igitur oporteat despicere tanquã à Deo
missos, eodè quoque ab ijs qui deliquerint, tanquã Dei
ministros metui constat oportere. Quare si ad religio-
nis conseruationem & propagationem diuinitus in-
cussus conducit terror, cur timor impediatur legitimæ,
diuinaque ordinatione constabilitæ potestatis?

dd 3

CAPVT

CAPVT II.

*Ad voluntatis correctionem, eiusq; in melius demutationem
prodesse posse vim compulsionis, accedente tamen
secretiore operatione gratiæ Dei.*

NEc sanè dubium est, quin liberæ sit voluntatis credere; omninoque perspicuum est, credere neminem inuitum posse: neque id quisquam incussis terroribus agit, nisi planè desipiat, vt credat aliquis vel inuitus. verùm ad hoc ipsum confert disciplina seuerior, vt multi ex nolentibus & inuitis fiant aliquando volentes. Quippe ad illius magni Regis conuiuium, de quo scriptum est in Euangelio, compelluntur quidem inuiti; sed in eo tamen postea reperiunt, quamobrem se latentur intrasse. Foris ergo inuenitur necessitas, sed nascitur inde voluntas. Et felix illa prorsus necessitas, quæ ad meliora compellit. Quid Saulo, cùm minas cædesque spiraret in Christi discipulos, à religione Christiana fingi potest alienius? sed diuinitus adhibita compulsio fecit eum ex nolente volentem, ex persecutore propugnatorem, ex lupo rapacissimo mansuetissimam ouem. Quæ nisi compulsio ac terroris esset vtilitas, non prædictum esse per Prophetam legemur, fore, vt priùs quidem piscatores, postea verò venatores mitterentur: Mittam piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos: & post hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum. Per varios sanè montes errabundi vagantur hæretici, dum fide reiecta, superborum hominum diuersos sequuntur errores. Nec iam ad eos capiendos mittendi piscatores: venatoribus hæreticorum feritas indiget. Venator enim syluas cingit, sentes excutit, terroribus vndique multiplicatis cogit in retia: piscator verò in mare retia mittit; quod incurrit, trahit. neque hîc terror adhi-

Luca 14.

Mat. 9.

Hier. 16.

adhibendus est ad capiendum, sed esca ad alliciendum. Itaq. piscatores Apostoli fuerunt, qui Principes Christianos, per quos cogere, non habebant, sed omnibus salute veraque felicitate proposita, in Ecclesiæ retia pertraxêre. At posteaquam fidelium crescête multitudine, hominibus carnalibus abûdare Ecclesia cœpit, multique ex his vnitatem violata, in montes, aut in colles profugerunt, aut in petrarum cauernas sese abdidêre; tû venatoribus opus fuit, hoc est, terrenis Principibus, qui terroribus percussos caperent, ac reuerti compellerent. Non est (opinor) fides vltronæ magis voluntatis, quàm virtutis amor atque iustitiæ. Et tamen ad introducendam liberam charitatem, spiritus seruitutis in timore præcessit: omninoque ad id contulit veteris legis pædagogus, suarum seueritate minarum, vt accepto spiritu adoptionis filiorû, alacres curerent diuinorum matorum viam, qui priùs coacti, seruatorum more suum officium faciebant. Quid est autem, quòd ait, extirpari vi adhibita nō posse, quod abditum sit in intimis cordis; aut hoc ipsum cor inflæcti aut molliri, nisi Dei virtute, non posse? An exciderat quod scriptum est à Sapiente: Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam? Inhæret medullitus hominum cordibus, & ab ipsis quidem teneris, stultitia: neque extirpari vllo pacto potest, nisi sapientiam Deus infuderit, & tamen virga disciplinæ fugat stultitiam. Quin & hoc non dubitauit idem ille dicere: Virga atque correptio tribuit sapientiam: puer autem qui dimittitur voluntati suæ, cōfundet matrem suam. Quòd si virgæ fortassis officium, educationis vitio, primæ ætas effugerit; quid verat quo minùs aliquando gladij fuget metus, quod non adhibita virga reliquit? Ideoque sicuti puerilium verberum vtilitas illis sententijs demonstrata est, ita & gladij seueritati: que fructus cōsimilis commendatur ab eodem Sapiente,

Prou. 22.

Prou. 29.

CAPVT III.

*Perperam allegari experientiam ad probandum
compulsionis inutilitatem.*

NAM de experientia quod adiungit, plerumque compertum esse, nihil hac ratione profici in fide ac religione conseruanda, nunquid propterea verum est, quod exemplis fortasse pauculis interdum nihil effectum esse demonstrari posse videatur? Profert enim exemplum Germaniæ, in qua religiosissimi Imperatoris Caroli Quinti irritos asserit fuisse conatus. Quod etiam si ita omnino haberet, num circa alios propterea populos dormiret debet seueritas disciplinæ? Num alterû pater filium, flagris remotis, pro sua libidine viuere patietur, propterea quod alterum nullo correctionis fructu castigarit? Videamus si Apostoli propterea quoslibet alios & instruere doctrinis, & terrere diuinorum iudiciorum minis desierint, quia frustra ad alios lucrificandos hisipsis rationibus laborarant. Qui nullos iactis in sinistram retibus ceperant pisces, vbi se ad dexteram conuerterunt, copiosa sunt piscatione lætati. Quoniam igitur incertum est, propter diuinę prædestinationis arcanum, vbi, & apud quos vel nostræ correptionis officium, vel prædicationis labor, vel orandi sedula deuotio, vel ipsa postremò seueritatis disciplina fructum habitura sit: idcirco nulli sunt omnino à cura nostra remouendi, sicut nullus est omnino, de cuius hîc salute sit desperandum. Varijs est curatio tentanda remedijs, & cum nihil doctrinæ institutione, nihil monitis, nihil pollicitis, neque blandimentis promouetur, ad seueriora quoque postea veniendum est. Forsitan & vexatio intellectum dabit auditui. Cur enim censemus scriptum esse, Seruus verbis non potest erudiri: nisi vt intelligeretur inefficacibus aliquando verbis dura iungēda esse verbera? Male

*Esaiæ 28.
Prou. 29.*

dd 5 autem

Prou. 20.

piente, cum ait: Rex qui sedet in folio iudicij, dissipat omne malum intuitu suo; per hoc indubiè, quòd sedulo quid quisque gerat, quid colat, quidve profiteatur, obseruet: atque in facinorosos quidem, & corruptores humanæ societatis animaduertat seuerè; eos verò collaudet atq. remuneret, qui suis benefactis Rempublicam ornauerint. Cor enim solus quidem inflectit Deus, sed ad eam rem plerumque externum quoddam ministerium adhibet, per quod secretiùs in cordibus operetur. Quemadmodum solus ipse incredulis fidem, & impœnitentibus durisque cordibus pœnitentiæ munus infundit. Et tamē scriptum est, fidem ex auditu esse, auditum autem per verbum Dei. Sermo quoque bonus, & ad fidei ædificationem pertinens, dare dicitur gratiam audientibus. Vt igitur per increpationis instructionisque verbum, sic & per disciplinę flagellum, quos vult, ad se conuertit, occulta operatione gratiæ suæ. Quæ nisi secretior operatio diuinæ virtutis accesserit, frustra terrores admouerit, quidquid extrinsecus, siue per Angelos, siue per homines adhibetur. Quam rem vel vnus exemplo Pharaonis liceat agnoscere; qui tot portentis, vt quasi de somno graui infidelitatis euigilaret, excitatus, tot beneficijs prouocatus, tot denique plagis attritus, nihilo melior aut mollior his omnibus effectus est. Et quamquam in illo (quod ad propriam quidem eius salutem attinet) opera perdita est, occulto, sed iusto iudicio Dei; tamen hæc alijs terrorum ministeria etiam per homines procurata, & sæpe Deo miserente profuerunt, & aliquibus quotidie profunt.

*Rom. 10.
Ephes. 4.*

CAPVT

autem viuendi vltrix disciplina præpostera est, nisi cum præcedens bene viuendi doctrina contemnitur. Quòd si hac contempta, illa quoque circa nonnullos frustra sequuta sit, adeoq. sint inflexibilia corda quorundam, vt & ad ipsa verbera magis obdurescant; tamen ijs flagellatis, vel alij sanabuntur, qui paulo fuerint molliores, vel alij præseruabuntur, qui fuerant pestilentissimo hærefeos contagio corrupendi. Neque enim de nihilo scriptum reperitur: Multato pestilente, sapientior erit paruulus. Quid autem & Galliarum nobis exemplum obijcitur? cum obscurum non sit (vt anteriorem ab Ariana hæresi purgationem, præteream) grassantē in ea quondā Albigenisium luem Catholicorum Principū gladijs annorū aliquot bello repressam, tandemque & extinctā esse? Cōstat certè multis olim ad Ecclesiæ Catholicæ caltra repetenda, Christianorum Principum seueritatem profuisse. Quorum apud diuum Augustinum leguntur gratiarū actiones, quòd terroris flagello Deus vel malæ consuetudinis vincula dirupisset, vel dilationum moras amputasset, vel experiri coëgisset in Ecclesia falsa esse, quæ de Catholicis mendax apud schismaticos fama iactasset; vel quòd ignaros veritatis, & in schismate atque hæresi veram se Ecclesiam, fidem que tenere arbitantes, metus ad eam cognoscendam audiendamque fecisset intentos; dum vererentur ne sine vllis rerum æternarum lucris, damno rerum temporalium ferirentur. Ac reuera cum homo durum quippiam molestumque patitur, admonetur vt cogitet quare patiat: vt, si pro iustitia se paterspexerit, id ipsum tanquam bonum eligat, pro iustitia etiam acerba supplicia sustinere; sin viderit iniquitatem esse pro qua patiat, se infructuosissime laborare atque cruciari considerans, mutet in melius voluntatem, quo simul & sterili molestia careat, & iniquitate, qua sibi illā accerserat. Vnde & illa sunt apud

Pro-

Prophetam: Indulxisti genti Domine, indulxisti genti: nunquid glorificatus es? elogasti omnes terminos terræ. Domine in angustia requisierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua eis. Sapiēs quoque in Proverbijs: Liuor, ait, vulneris absterget mala, & plagæ in secretioribus ventris. Idcirco gratiæ Christianæ (vt diui Prosperi verbis vtar) effectibus etiam ipsa, quibus mūdus atteritur, arma famulatur. Quam multos enim qui in tràquillitate pacis sacramētū baptismatis suscipere differebant, ad aquam regenerationis confugere instantis periculi metus impulit! & lentis repidiſque animis, quod diu cohortatio quieta non suavit, minax subito terror extorsit! Cumque lex esset capitalis aliquando ab Imperatore contra idololatrias constituta, testis est Augustinus, non paucis terrorem hunc ad resipiscendum profuisse. Si autem & aduersus Gentiles quædam aliquando legum fuit cogitata seueritas, quid erit aduersus hæreticos & schismaticos faciendum, in quibus, tanquam seruis fugitiuis, dominicus adhuc character agnoscitur? Quorum in numero etsi quidam sint, quos tanta malæ consuetudinis vorago submerferit, vt omnibus rationibus auctoritatibusque resistere malint, quam cedere; tamen & circa illos perseuerare debet diligentia charitatis. Resistant autē duobus ferè modis, aut sæuiendo, aut pigrescendo. Quid igitur hic faciat Ecclesiæ medicina, salutem omnium materna charitate conquirens, tanquam inter phreneticos & lethargicos æstuans? Nunquid contemnere, nunquid desistere vel debet vel potest? vtrisque sit necesse est molesta, quia neutris est inimica. Nā & phrenetici nolunt ligari, & lethargici nolunt excitari: nec tamen sedula charitas desinit & castigare phreneticū, & lethargicum stimulare. Ambo hac affecti molestia, dum ægri sunt, indignantur: sed ambo sanati, de restituta sibi hoc modo sanitate gratulantur. Quòd si quidam,

Prom. 21.

Vide epist. 48
et lib. 2. contra
litteras pestilentis,
cap. 84.

Esaie 2. 6.

Prou. 20.

Lib. 2. De vocat. gent. c. 33.

Epist. 48.

Vide August. epist. 50.

Epist. 168.

dam, cum ad nos transeant, ficti sunt; non est iam hoc nostrum, sed Dei iudicium. Et tamen quidam (inquit Augustinus) cum ficti putarentur, quoniam iustionis ad nos terrore transierat, tales postremo in nonnullis tentationibus inuenti sunt, ut quibusdam veteribus praeferrentur. Num ergo nihil agitur, cum instanter agitur? Neque enim solis humanis terroribus murus duræ consuetudinis expugnatur per Ecclesiæ Principes, sed etiam diuinis auctoritatibus & rationibus, fides atque intelligentia mentis, per eiusdem Ecclesiæ pastores atque doctores instruitur.

CAPVT IIII.

Vetus esse Catholicorum Principum studium ad hæresis & schismatis extirpationem, aliquot exemplis ostenditur.

NON igitur nos ad idem semper (ut iste ait) saxum impingimus, cum nitimur extirpare vi atque terroribus, id quod est in cordis penetralibus altè reconditum. Non enim arma sola sunt ad terrorè in Ecclesia Dei (quæ parua & imbellis initio ad hoc creuit, ut & terræ Principes haberet pro eius honore & integritate suis armis decerrantes) sed doctrina quoque cælestis parata est, qua instruantur atque sanentur, quicunque instrui se & sanari patiuntur. Quin potius & vetus illi saxum hæreticorum impingunt, qui hoc censent fieri non licere, quod in Ecclesia Dei contra hæreticos & schismaticos fieri cœpit, posteaquã Ecclesiam Catholicam & Romanã, Imperatorũ scepra venerata sunt. Constantinum enim clariss. Imperatorè constat contra partem Donati seuerissimam legem tulisse; quem imitati filij eius, similia ipsi quoque decreuerunt, Christianique regnum aduersus hæreticorum insolentissimos impetus, legitimo suæ potestatis vsu defenderunt. Valenti-

lentinianus & Theodosius Manichæos è ciuitate expellendos, vltimoque tradendos supplicio iudicauerunt: A Valentiniano & Martiano in Apollinaristas, exilij pœna, cum omnium facultatum amissione, lege decreta est: in qua & illud adiungitur, vltimo etiam supplicio eos coërcendos esse, qui illicita docere tentauerint. Sed & Constantini epistola est, in qua præcipit, ut si quisquam Arij libros celasse comperiat, & non repente prolatos igne cõsumpsisse, mortis supplicio subiaceat. Multo quoque post, cum variæ per Græciam hæreses grassarentur, Iustinianus Christiana prudentia Reipublicæ consulens, legem promulgauit, ne qui essent vsquam intra sui fines Imperij pagani aut hæretici, concessis tamen illis ad conuersionem trium mensium inducijs. Posterius quoque Romani Imperatoris Michaelis pius in hæreticos zelus apparuit, hoc est, in Manichæos, qui tum Pauliciani vocabantur; & Antigiarios, qui eodem tempore Phrygiam & Lycaoniam impleuerant; & Iconoclastas, quorum ea tempestate, non virulètas modò noxij dogmatis disseminationes, verum etiam arma & insultus violentos ad orthodoxæ fidei subuersionem Catholici formidabant. Quid arma Pipini memorem? quid Caroli Magni, aduersus Longobardos Arianos in Italia commorantes, sedique Apostolicæ & Ecclesiasticæ dignitati vehementer infestos? Sic enim Ecclesiæ matri suæ pij iam olim Imperatores seruire consueuerunt. Hoc ut ei præstaret obsequium aduersus Eutychianorum ravidam insolentiam, Leonem Imperatorem Leo Pontifex literis suis vehementer est adhortatus: Debes enim, ait, Imperator incunctanter aduertere, regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam; ut ausus nefarios comprimendo, & quæ bene sunt statuta defendas, & veram pacem his quæ sunt turbata restituas. Cumque Martiani Augusti

Vide Codicem de S. Trinit. & fide Cathol.

Tripart. hist. lib. 2. cap. 5.

Apud Paulum Diacorum lib. 16.

In Miscell. sive apud Paulum Diac. lib. 24.

Epist. 75.

gusti iussu Eutyches exularet pro impietatis suæ meritis, & tamen in ipsis damnationis suæ locis multa aduersus Catholicam integritatem blasphemiarum desperatiùs venena profunderet; scripsit idem Pontifex Imperatori, plenum esse rationis, vt eum ad longinquiora iuberet ac secretiora transferri. Denique nisi hoc Regum esset officium, cum sceleratos alios, tum maximè impios, quorum in religione crimen est grauissimum, è medio dissipare, eaque ratione efficere, quod alij precibus atque obsecrationibus à Domino impetrare contendunt, vt tranquillam & quietam vitam agamus in omni pietate & castitate: non diceret in Prouerbij Salomon: Dissipat impios Rex sapiens, & incuruat super eos fornicem; triumphum videlicet de ijs feliciter reportans. Et scriptum quidem est ab illo ipso Salomone, regium thronum clementia roborari. Sed scriptum etiam illud est ab eodem: Abominabiles Regi, qui agunt impiè, quoniam iustitia firmatur solium. An igitur nos ad verus saxum impingimus, qui hoc fieri ex Dei verbo licere, & cum res postulat, debere putamus, quod & pientissimi sæpè fecerunt Reges, & vt facerent, sanctissimi Pontifices rogauerunt, si fecissent, Episcopi doctissimi probauerunt?

1. Tim. 2.

Prou. 10.

Prou. 16.

CAPVT V.

Antiquam esse hæreticorum & schismaticorum querimoniam de legum seueritate, cum aliquot eorum argumentis

AN non ipsi potiùs ad veterum hæreticorum verus (vt antea quoque diximus) saxum impingunt? Illi enim, cum premi se ab seculari potestate sentirent, omnis generis argumenta cõquirere soliti erant, quibus id nefas esse demonstrarent. Exstant apud diuum Augustinum Donatistarum argumenta cõplura,

Lib. 2. contra
Iulian. cap. 84.

& in his illud Petiliani, quo hunc etiam cernimus usum esse. Dicit Christus Dñs, inquit, Nemo venit ad me, nisi quem Pater attraxerit: & cur vos non liberum arbitrium vnicique sequi permittitis? Hic, opinor, quiuis animaduertit facillimè, quod ille dicit ex Euangelio, neminem ad Christum venire, nisi quem Pater attraxerit; hoc esse omnino quod iste dicit, Fidem ac religionem donum esse Dei. Donando enim fidem atque pietatem, attrahit ad Filium Pater. Sed si eius attractus, quo gratia commendata est, nullam adhiberi compulsionem propter liberum arbitrium, patet; non eius iussu in Euangelio legeremus quosdã intrare compulsos: neque ad huius, qua de agimus, rei significationem scriptum reperiremus, quemadmodum ancillã suam Agar Sara percusserit: quæ cum propterea profugisset, iussa est ab Angelo reuerti ad dominam suam. vt nimirum intelligeremus, hæreticos & schismaticos (quorum in Agar ancilla, quædam adumbratio præcesserat) contra Ecclesiam dominam ac matrem suam superbè sese erigentes, propterea ab eadem verberari & affligi, vt iam correcti, salubriter edomita superbia, reuertantur. Proferebat & Iulianus hoc miserimum, vt Augustinus ait, argumētum, quo vniuersi, inquit, vtuntur hæretici, quos à perniciofa licentia leges Imperatorum Catholicorum premunt: illam partem laborare rationis inopia, quæ in differendo, cum terrorem surrogat, nullum à prudẽtibus impetrat; sed cæcum à meticulosis extorquet assensum. Imò verò, sicuti dictum est, aperit multis oculos afflictio, dumque eos in propriæ salutis negotium esse cogit intentos, quod discuti & quæri seriò compellit, etiã inueniri, Deo illustrãte, facit, constanterque & magna deinceps cum ratione teneri. Ideoque de Pelagianis quibusdam verba faciens Augustinus, quorum quidem seueritatis metus linguam represserat, sed non dum

Genes. 16.
Vide August.
epist. 48.

Lib. 1. contra
Iulian. cap. 1.

Epist. 104.

dum tamē animos sanauerat. Quantum existimo, inquit, doceri facilius possunt, dum in eis timor seueritatis doctorem adiuuat veritatis; vt opitulante Deo, gratia eius intellecta atque dilecta, etiam loquendo expugnent, quod iam loqui non audent. Eam ob rem Olympium Comitem litteris adhortatur suis, vt leges Cæsaris aduersus Gentiles & Donatistas euulgaret. in quibus & hoc scriptum reliquit, quorundam se neque paucorum fide firma & stabili gratulari, qui ex occasione legum ipsarum ad Christianā religionem, vel Catholicam pacem conuersi essent. Denique & ante Augustinum Optatus Mileuitanus auctor est, quantopere aduersus Catholicam pacem Donatistarū oblatrarit inuidia, quod à Macario præfecto Marcus & Donatus, schismatici homines, interfecti dicerentur. Quasi, inquit ille, in vindictā Dei nullus mereatur occidi. Et illi quidem, quod isti quoque faciunt, cum nonnullis argumentis vrgerentur, tempora separabant; vt alia fuisse dicerent ante Euangelium, alia post Euangelium; illa seueritatis atque iustitiæ fuisse, hæc benignitatis & clementiæ: scilicet, quia iussus est Petrus gladium suum in vaginam recondere, quo ferui Sacerdotis auriculam amputarat. Sed Christus (vt rectè est ab Optato responsum) pati venerat, non defendi, & si cogitatum suum Petrus impleret in passione Christi, videretur in seruum vindicari, non populus liberari. Ex his omnibus satis perspicitur, non nos tanquam ad saxum hoc vetus impingere, sed hæreticos solere, eosque omnes, qui dum licere sibi quod libet, volunt, disciplinæ seueritatem qua coercerantur, ferre non possunt. Quorum, si quis eos attigerit, vetus est asyllum, ceu antiqua iactatio, vt beatos vel ob hoc se esse prædicent, quia scriptum sit: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Nec attendunt quod dictum est, Propter iustitiam, nisi quia suæ hæ-

refi

refi qua iustitiæ fundamenta subuertunt, quæque per blandiloquentiam & assentationem corda seducunt innocentum, iustitiæ & pietatis nomen imponunt. Nos ergo persecutores corporum vocant, se verò grauios multò persecutores animarum, & trucidatores esse non agnoscunt.

CAPVT VI.

Sauire ipsos sectarios maxime solere cum prauauerint.

ET ijdem tamen sunt, quos vbi seculari potentia valere contigerit, acerrimos etiam corporum bonorumque omnium persecutores, & oppressores violentissimos patimur. Quid enim non eorum passim, vbi superiores euaserunt, Ecclesiasticarum opum inexplibilis auaritia rapuit? Quæ non sacra, violenta inuasit impietas, atque cœdauit? Quæ non humanitatis iura violauit, fera nimis & inaudita crudelitas? Nulla denique fuit Circumcellionū vis atque sæuitia, quam non isti quibusdam in locis propemodū persequendo superauerint, aut certè æquauerint. Memorabile nobis theatrum crudelitatis ante pauculos annos vicina exhibuit Gallia: vbi aut terræ viuus infodere Catholicos, aut eorum paruulas adhuc proles discerperunt, aut euiscerarūt Sacerdotes, aut abstractam capitis pellem refixere clauis, aut (quod nequit sine ingenti animi horrore cogitari) resecta impudenti crudelitate genitalia, deuorari à miseris coegerunt. Nam reliqua erant vulgaria, strangulationes, confossiones, submersiones, carceres, contumeliæ, & verbera. Apertè vt in istiusmodi hominibus (si homines tamen sunt, & non fera crudelissimæ) locustas illas agnoscere liceat, de quibus scriptum sic est in Apocalypsi: Et similitudines locustarum similes equis paratis in prælium, &

Apoc. 9.

cc

super

Lib. 3. aduersus Parmenianum.

super capita earum tanquam coronæ similes auro; & facies earum tanquam facies hominum: & habebant capillos sicut capillos mulierum; & dētes eorum sicut leonum erant: & habebāt loricas sicut loricas ferreas; & vox alarum earum sicut vox currum equorum multorum currentium in bellum: & habebant caudas similes scorpionum, & aculei erant in caudis earum. Quibus in verbis quis non protinus, si paululum attendit, hæreticos significatos intelligat; quorum & quasi humanæ facies sunt, propter primam simulationem humanitatis; & leonini tamen dentes, propter inclusam, quæ se post exerit, feritatem; & auro coronæ similes, propter fallacem imitationem Ecclesiæ; & lorice ferreæ, quod eorum obstinatissimæ mentes nullis sese sinant veritatis iaculis penetrari; & capilli mulierum, propter carnis curam, proiestasque in voluptatē cogitationes? Eisdem & postea Ioannes per equos significat, quibus sunt leonina capita ad sæuiendum, vimque faciendam in persecutione. Quorum, ait, de ore procedit ignis, fumus & sulphur, propter blasphemias, ignitaque tela perniciosi sermonis. Nam potestas equorum in ore ipsorum est, & in caudis eorum. Etenim caudæ eorum similes serpentibus habentes capita, & his nocent. Caudas porro, hæreticorum ministros intelligit. Propheta enim docens mendacium, hic est cauda. Capita verò caudarum (interprete Augustino) mundi sunt principes. In his igitur & caudis, & capitibus vis inest ad nocendum maxima: siue cum falsi prophetæ docendo seducunt; siue cum ab ijs corrupti & incitati principes, etiam terrendo & torquendo ad mala facienda compellunt.

CAPVT

CAPVT VII.

Frustrà obtendi à sectariis quasi iustam sæuendi causam, quòd se Catholici accommodare nolle dicantur.

AT propterea, inquit, erumpitur in sæuitiam aliquando, quòd Ecclesiastici attemperare se ad instituta nostra & mores nolunt. Hoc & Gentiles pallio suum in Christianos odium tegere, suamque sequitiam iram esse iustam persuadere conabantur. Hoc tamen & iste pallium vsurpare non dubitat: asseritque non aliam ob causam pulsos Hollandia & Zelandia homines Ecclesiasticos, quàm quia se accommodare noluerint. Sed si visa est ea fatis iusta causa pellendi, num etiam strangulandi? num & cruciatibus varijs excarnificandi? num aut demergendi, aut afficiendi modestissimos etiam homines omni genere contumeliarum? Errant enim si, passiones & ludibria sanctorum terra marique suscepta putent ignorari, tamen si plenius eadem aliquando patefieri posse speremus. At magis etiã (inquit) sæuiendum fuit in nonnullos, quòd Hispanicorum consiliorum participes, occultis conatibus patrię pernicię molirentur. Hoc enim (ne quid fingere ipse videar) & isto in libro ad accusationem trahitur sacerdotum, & cleri Hollandici. O quàm facile est vt canem cædas, baculum reperire! nam & olim eiusmodi causæ prætextu ab Theodora Augusta, Eutythiana peste corrupta, pulsus in exilium est beatus Papa Siluerius; quia nimirum deprehensæ fingerentur eius literæ, quibus Romam Gotthos, quos & ipse, clerusque totus infestus patiebatur aduocasset. In Africa verò sæuientibus Vandalis, quid non perpeffi crebro sunt Catholici homines ab Arianis propter odium Romanorum, quibus fauere, & quibuscumque agere subinde literarum occulto commercio dicebantur? In istiusmodi comminiscendis concinnandisque calumnijs,

vsque aded semper hæretici valuerunt, atque etiamnum valent; vt & hîc vulpes non iniuria metuat, ne caudam non habere probetur, quo possit cum simia, leonina lege profigari. Nam & huius apologi lepidam commemorationem interfecit, nec aduertit quàm is iure possit in similibus farinæ homines retorqueri. Cùm enim Ecclesiasticum ordinẽ canes & angue peius oderint, hunc maximè cupiunt ex omnibus terrarum angulis esse dissipatum. In hoc ordine perspiciunt Dominicis ouilis esse pastores, qui nisi sublatis sint, liberam sibi non esse sentiunt mactandi perdendique facultatem. Molesti in eo sunt latratus canum, quibus contra luporum rabie ouina simplicitas defersatur: ideoque, hos vt saltem abigant, in id omnibus consiliorum suorum curis incumbunt. Quod si quorundam huius ordinis hominum lætari societate & coniunctione videantur, id callidè & temporariæ dissimulationis quedam facit industria, quo minùs vlli ab eorum familiari consuetudine abhorreant, quam nõ refugisse quosdam etiam pastores aduertant. Ergo vel odium suum fictæ amicitia laruis diligenter operiunt, quo suas partes reddant cõiunctione firmiores; vel, quod dissimulare non possunt, hoc, quolibet æquitatis quæsito colore, iustum conantur efficere. Quis enim non protinus hominem seditiosum oderit? quis Reipublicæ ferendum putet esse proditorem? Sub his ergo criminationibus quasi plausibiliter aut exploduntur, aut in vincula conijciuntur, aut etiam trucidantur, quos intempestium adhuc fuisse sacerdotij nomine disturbare. Sic olim Iulianus apostata cùm ritû paganorum modis omnibus constituere conaretur, atque id tamen effici vi adhibita non posse videret, Ecclesiarum præsules & clericos, seditionum, aliorumque scelerum prætextu submouit è ciuitatibus; id agens reuera, quamcunque speciem obtenderet, vt illorum absentia pau-

latim

latim Ecclesia solueretur: & nec sacrorum ministri, nec qui docerent vlli existerent, istoque modo temporum lapsu propriæ religionis obliuionem Christiani paterentur. Nec verò sum ignarus, interesse plurimum quid publicis vel ciuitatum, vel eorum qui præsunt, decretis fiat, quid ve priuata rabie vel dolo nonnullorum. Sed neque illud etiam nescio, haud multum interesse, siue fieri quid iubeas, siue committi sinas, cùm possis & debeas impedire. Si autem impediri vis & rabies multorum non potuit, etiam si sæpe quid fieret non lateret; infeliciores profectò omni miseria dominatus, talium vel subditorum, vel seruatorum, aut sociorû operam necessariam arbitrari. Sed quid si etiam illi fidelissimi putentur, qui maximè Ecclesiam oderunt? qui vel ad struendas calumnias ingeniosissimi, vel ad torquenda in bonos conuictorum iacula promptissimi reperiuntur? Num inter hos Ecclesiastici constituti, propterea videbuntur accusandi, quod sese accommodare, aut condescendere, aut coniuere nequibûnt? & quam obsecro requirunt ad sua vel dogmata, vel mores attemperacionem? Si enim hoc exigunt, vt ipsis in quibusdam articulis tradita nobis doctrinæ cedamus, & vel detrahamus quippiã, quo se offendi querantur, vel adhibito quasi temperamento ad eorum arbitrium molliamus, vel non eis saltem errorem coguardando repugnemus: rem possunt & à natura veritatis abhorrentem, quæ nihil inimico sibi errori concedi patitur, & maiorum exemplis vehementer improbatam. Non enim obscurum est, quàm sibi nec vnicã illam consubstantialitatis vocẽ eripi sustinerint, vt Patri Filius non cõsubstantialis, sed similis dũtaxat esse diceretur: & qui id spe pacis atque concordia permiserint, velut in Ariminensi factum Synodo legitur, non incertum est quantum improvida simplicitate sua, hæreticorum auxerint animos, vt se vi-

cisse iure quodam suo gloriarentur. Ea enim est hæreticorum crebris experimentis cognita versutię im-
 bitas, vt ijs si vel ad latum vnguem cesseris in veri as-
 sertione, insolescant amplius, iactent que perfidia de-
 xiras; & eo ipso premant infestius, quo pacatores fu-
 turi credebantur. Magnus proinde ille Basilius cum à
 præfecto monitus esset vt pareret tempori, neque tot
 Christiani orbis Ecclesias propter dogmatum subtili-
 tatem diutius exagitari pateretur; respondit, eos qui
 diuinis sint eloquijs innutriti, corrumpi de diuinis do-
 gmatibus ne vnam quidem syllabam sinere, sed qual-
 uis citius mortis species amplecti. Denique viderint
 qui sic obsecudari sibi volūt, quęadmodū parere tum
 queat Episcopus Apostolo præcipienti: Prædica ver-
 bū, in sta oportunē, importunē; argue, obsecra, incre-
 pa, in omni patientia & doctrina. Et rursus: Oportet
 Episcopum amplecti eum qui secundum doctrinam
 est, fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in do-
 ctina sana, & eos qui cōtradidunt, arguere. Alibi quo-
 que admonet, vt cum modestia corripiantur ij qui re-
 sistunt veritati. Quod verò ad facta pertinet, moresq̄
 hæreticorum proprios, num id postulant, vt si res sa-
 cras plenis buccis irrideant, nos corrideamus? Si tem-
 pla, si sacra prophanent, si diuorum imagines detra-
 hant, abijciant, conculcent, nos ea facta, cōprobemus?
 Si Ecclesiastica ieiunia auido carniū esu, si festa ser-
 uilibus operibus violent, nos hęc pro nihilo putatis,
 criminis societate maculemur? Si postremò corrup-
 pere adnitātur hæreseos veneno simpliciores, nos fra-
 trum nostrorum animas perdi missitantes patiamur?
 Cur requirūt accommodationem, quam nō nesciunt
 liberis Apostolicis prohiberi? Nolite (inquit Paulus)
 communicare infructuosis operibus tenebrarum, ma-
 gis autem redarguite. Et: Nolite iugum ducere cū in-
 fidelibus. Quę enim participatio iustitię cum iniqui-
 tate!

Tripartita
lib. 7.
cap. 36.

2. Timoth. 4.

Tit. 1.

Rom. vit.

2. Cor. 6.

tate? aut quę societas luci cum tenebris? quę autem
 concordia Christo cū Belial? aut quę pars fideli cum
 infideli? Et alio in loco: Denunciamus (inquit) vobis, 1. Theff. 3.
 fratres, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante
 inordinatē, & non secundum traditionem quam ac-
 cepunt à nobis. Et rursus: Rogo vos, fratres, dili-
 genter obseruetis eos qui dissensiones & offencicula,
 præter doctrinam quam didicistis, faciunt, & decli-
 nat ab illis. Tota ergo quæstio hæc est, rectēne, an ve-
 rò inordinatē ambulent ij, qui sua placita, nō Ecclesię
 Catholicę instituta, sequuntur: qui non quod traditū
 est tenent, sed quod quisque fuerit pro sua libidine vel
 opinione commentus. Quod si prauē ambulant, nos
 dedinare iubemur: si verò nos ambulamus inordina-
 tē, p̄si nos vitare tenentur: sin neque ipsi nos, neque
 no: illos vitare tenemur; aut igitur Apostolica præce-
 ptadelenda sunt; aut, quod fieri non potest, vtrique
 ambulamus iuxta Euangelij, veręque fidei normam;
 qui tamen pugnant ad eò fidei doctrinęque vias
 viuendo sequimur.

CAPVT VIII.

*Al libertatem religionis male prætendi problematicam
 opinandi licentiam.*

AT T A M E N non desunt qui has res, propter
 quas dissidiis istis collidimur, opinionum esse,
 non fidei res arbitrentur, neque admodum interesse,
 siue hoc, siue illud teneatur, de quo, tanquam de quo-
 dam problemate, vtrāque in partem differatur. Ideoq̄
 certis quibusdam, atque illis primis, quę Symbolo
 Apostolorum expressa sunt, religionis capitibus, ex
 vtraque parte conseruatis, de reliquis, salua familiari,
 quotidianaque & Christiana amicitia, vltro citroque
 disputari oportere contendunt. Sicut olim Apelles
 Lib. 5. Eccles.
 dist. cap. 13.

(quiddam enim esse videtur, tametsi non per omnia simile) asserbat non oportere omnino fidei discussionem; sed vnumquemque debere in eo quod credidit permanere. Salutem namque his esse qui in Crucifixum sperent, tantum si in bonis operibus inueniantur. Themistius quoque Philosophus, cum Valerius Imperatoris Ariani ad delendos Catholicos coneretur improbum zelum; hac eum ratione mitiorem redcere conatus est, si scriberet, gratius esse Deo, quod non facile cognosci videatur; diuersisque de illo diuersa profitentibus, non vno modo glorificetur. Ad similem modum & hodie quidam dissipatas atque distractas ob religionum professionumque diuersitatem amicitias adglutinant, ut, quamcunque libuerit de Catholico dogmate vel fingere vel sequi sententiam, non idcirco quisquam sit ab amicitia repudiandus, Christiana modo professione tegatur. At hoc nouum hac quidem aetate commentum, ab reliquis etiam sectariorum scholis explosum est: qui tam multa ipsi propter testimonia Scripturarum credenda proponerent, quae nullo expressa veteri symbolo continentur: tam multa etiam olim quae diuinis ex litteris haurirentur certissime, sic credita non ignorarent, ut qui aduersa sensissent, haereticorum catalogo reperirentur adscripti. Viderunt & hoc fortassis astu callidi serpentis agi, ut dum ea quae fidei sunt, ad liberam opinionem reuocantur, sensim & ea fides quae de primis est suscepta capitibus, ex hominum animis euanescat. Ut enim vestibus aliquando milites infima turrium saxa, quibus fundamenta sustententur, tecti aperti que conuellunt, ut nec opinantibus hostibus, cum adhuc illae firmae viderentur, repentina ruina concidant: ita prorsus versutissimus diabolus, specie quadam pietatis obtectus, sensim per suos milites fidei structuram demolitur: id quidem prius omni cura cauens, ne summa aperte petere videatur.

Sed

Sed reuera vno atque altero ex subiectis articulis ad hanc opinandi libertatem reuocato, quasi subductis lapidibus, ipsa quoque principia subruit, tandemque vnam illam Catholicam & Apostolicam fidem, quae etiamnum successoris Petri ministerio conseruatur, apud non paucos evertit funditus. Cum autem omnes huius compage corporis debeamus adstringi, atque vnius corporis vnitatem spiritus vnus contineat, neque spiritus esse vnus possit tam diuersa atque aduersa loquentium; nonne id potius efficitur, fidem, fideique, & dogmatum de religione professionem vnam omnium esse debere, qui huius sint corporis membra? Dissipari quoque necesse est, breuique diffidiis & contentationibus collidi societatem hominum illorum, qui non inter se mutui amoris glutino cohaerent. Pacem enim concordiamque gignit amor; qui si refrixerit, continuè bella sequuntur. Si autem ortae controuersiae de rebus ijs quae ad salutis negotium nihil omnino pertinent, saepenumero amicitiarum serenitatem obnubilant; quoniam modo non eas promptissime scissura videantur ea diffidia quibus inter se homines, pugnantibus de religione sententiis, magnaverborum digladiatione confligant? Atqui cohaerere semper voluit Christus corporis sui membra vinculo pacis. Quis enim, suo praesertim corpori, non omnibus modis de perpetua coniunctione & vnitatem prouideat? Quo fit, ut vnam in familia sua omnium fidem, fideique & dogmatum professionem, tanquam amicitiae Christianae fundamentum atque firmamentum esse voluerit ille, qui habitare facit vnanimes in domo: qui & orauit sollicitè pro suis, ut omnes vnum essent, sicut Ioan. 17. ipse & Pater vnum sunt: & propterea mortem non dubitauit oppetere, ut eos qui dispersi vel erant tum, vel Ioan. 11. futuri erant postea per errores varios, congregaret in vnum, non locum, sed corpus: quod ijs vinculis coere-

Ephes. 4. ceretur, quæ in Epistola ad Ephesios beatus Apostolus commemorat: Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma, vna spes vocationis nostræ: qui ad hæc sui corporis conseruandam vnitatem, vnum omnibus præfecit Pastorem, vbi dixit: Pasce oues meas: quo sic capite constituto, schismatis tolleretur occasio. Qui deniq. vpanimitatem Christianam (quemadmodum ait diuus Cyprianus) firma sibi atque inseparabili charitate connexam, etiam instituto Sacrificio declarauit; imò & confirmauit atque perfecit, vt baptizati prius in vnum corpus, multo postea magis vnum essemus omnes, qui de vno pane & de vno calice participamus. Ideoque beatus Apostolus, cum probè teneret nisi vna fide cõsensioneque animorum, in ijs præsertim quæ religionis sunt, Ecclesiastici corporis vnitatem non posse contineri; obsecrat Corinthios, vt id ipsum dicant omnes, & non sint in ijs schismata; nec dicat alius: Ego quidem sum Pauli; alius, ego autem Apollo; alius, ego verò Cephæ aut Christi: sed simul omnes non sumus nisi Christi. quia nec diuisus est Christus.

CAPVT IX.

In coniungendis inter homines amicitiiis, magnam in primis veræ religionis habendam esse rationem.

QUAE cum ita se habeant, vehementer admiror, quibus scripturarum locis repererit iste, quod ait, vnam esse hanc conseruandæ Catholicæ religionis rationem, si inter omnes firma constet animorum coniunctio, & mutua societas, non habita magnopere ratione, quæ quisque de religione dogmata confectetur. Ain verò? Istane potest amicitia Christiana videri, quæ non constet iacto prius vnus fidei religionisque fundamento? Et multum intererit in amicitiiis, iustus ne sit quispiam, an fraudulentus, sobrius ac temperas,

an

an verò ebriosus: & non intererit quàm quisque sit erga Deum pius ac religiosus? Retulerit perfæpe multum, sitne Italus, Hispanus, aut Germanus: & nihil retulerit, sitne hæreticus, aut Catholicus? quid præposterum magis quàm ab amicitia respuere quod fecit Deus, in amicitia verò sine discrimine recipere quod diabolus seminauit? Etenim verissimè dixit Augustinus, neminem posse veraciter amicum esse hominis, nisi fuerit ipsius primitus veritatis. Præclare quoque inuictissimus ille Basilius: Amicitiam, inquit, Imperatoris magnā, cum pietate iudico; sine qua perniciem potiùs hanc appello. Cumque varij sint amicitiarum gradus, suis quasi fundamentis vinculisque discreti; viderint sanè huius amicitia suæ que fundamenta constituant: satis perspicuum est mundi huius eam esse, non Christi. In qua amicitia, siue eam carnis propinquitas, siue cõmercia negotiationum, siue quid aliud connectat, non religio fouetur, sed tanquam posteriore habenda loco negligitur. Et quoniam vtrinque religionis studium friget, minùs ipsa quidem contradi-centiũ verbis impetitur, sed rebus tamen ipsis, ac quotidiana communicatione, magis magisque languescit. Concedit sæpe suo de iure plurimum, ne fortè amicitia trãquillitatem obturbet. Ac primum quidem displicet quod agitur; post, vbi consuetudinem frequẽtia peperit, facillè & contemptum consuetudo parit. Ex quibus veluti fontibus alta tandem veræ & Catholicæ religionis manat obliuio. Quid ergo est quod hac ratione languentis, imò propemodum emortuæ in religione Germaniæ profert exemplum? Num magis intelligi potuit quid per huius os diabolus loqueretur, quàm si religionis nostræ statum vellet ad normam pereuntis Germaniæ reuocari? Hanc enim mirum nõ est si tranquillam diabolus quietamque relinquat, quam, multa post prælia, suam tandem magna expar-

te vi-

Epist. 25.

Theod. in Trip. lib. 7. cap. 36.

Vide Leonem ser. 6. De Natiuitate Domini.

Lib. 1. epistol. 1. epist. 8.

1. Cor. 1.

CAPVT X.

Quale sit quod aiunt, optimè Reipublica Christiana ad religionis conseruationem consulti, si gladio recondito, sua quisque conscientia relinquatur.

AT optimè, aiunt, prudentissimeque statum Ecclesiarum curauerit, si gladio recondito, vnumquemque pro suæ conscientia testimonio viuere in religione patiatur. Hoc enim & iste postulat haud obscuris verbis. Quo quidem in loco diceretur aliquid, quod audiri posset æquius, si omnium conscientias vera fides ac Dei timor instrueret. Nunc verò tanta conscientiarum in multis absurditas est, adeoque illæ ad omnia pro libidine cuiusque laxantur; nihil vt sit ad eò sacrilegum aut impium, quod non ab aliquibus ex conscientia testimonio peragatur. An obscurum est, non paucos ex conscientia testimonio, imo verò ex impulsu, vt aiebant, Spiritus sancti hunc zelum suscepisse, vt Dei ministros sacerdotes, quos possent, obruncarēt? Vt sacra Deo templa propter eā quam sibi fingebant idololatricam, sacrilegis manibus ac pedibus profanarent? Quid si & hoc habeat conscientia testimonium, quod etiam literis quidam mandauerunt: Omnes in Republica debere esse pares, non alios alijs quicquam in vlla re præscribere: neminem vt superiorem audiendum esse, cum suus cuique spiritus ad omnia rectè sapienterque gerenda sufficiat? Hoc igitur si quisquam erit qui sequatur, vt erunt certè plurimi, nonne breui ex testimonio conscientia Rempubicam euerfam, & sacra profanaque omnia perturbata & confusa cernemus? Scimus etiam quibus testimonium conscientia dictauerit, vt de alienis vxoribus cogitarēt. Quæ conscientia sic à spiritu informata significabatur, vt dicerent: Spiritus meus concupiscit carnem tuam. Hæc igitur, aliaque per multa, quæ longum esset persequi, si quis-

te victor effecit. Vt enim verissime scribit Cyprianus: Quos vicerit diabolus, hos, tanquam iam suos factos, contemnit ac præterit: illos verò pergit lacessere, in quibus Christum cernit habitare. Quamquam non vanis rumoribus, sed certissimis significationibus cognoscitur, multos in diuersis Germaniæ prouinciis hæreseos iugo quasi delassatos, longoque erroris carcere clausos, Catholica religionis iam reddita luce ac libertate lætari. Sed si illic tamen plerisque adhuc in locis partim libera est (terrente nemine) errandi facultas, partim sublata potestas veritatem profitendi: illum profectò nos debemus statum votis omnibus deprecari; ac ne in eum incidamus, quoad possumus, euitandum est omni ope ac viribus. Ne denique tam fœdè omnes hæ prouinciæ maculentur, interest omnium quidem, sed præcipuè Catholici Principis: qui sui regni hoc esse primum deputat ornamentum, si in ea Catholica religio maximè florere conspiciatur: qui iure optimo regnum se suum tenere non putat, nisi in eodem Ecclesiam Christi habeat. Hæc enim est charitas expetenda (inquit Ambrosius) hæc est charitas maior Imperio, si fides certa sit, quæ seruat Imperiū. Quæ vt illi tantopere curæ sit, exempla habet maximorum Imperatorum. Vt enim inuidiosissimum Imperatorem Carolum Quintum, eius patrè, præteream, à quo susceptus est incredibilis pro Ecclesia labor; Theodosij certè pientissimi clarissimique Imperatoris hæc ad extremum vsque spiritum cura fuit. Quem cum multis nominibus, tum ob id præcipuè sibi mirè charum fuisse testatur Ambrosius, quod & cum iam corpore solueretur, magis de statu Ecclesiarum, quam de suis periculis angeretur.

CAPVT

Lib. I. epist. epistola 1.

Epist. 31.

In oratione de vita Theod. 1.

quisquam ex conscientia suae testimonio facere sine-
 retur, & si nulla in rebus humanis diuinitus ordinata
 superior potestas timeretur; non modò breui nullam
 Ecclesiam, sed nec Rempubicam vllam haberemus.
 An est igitur hæc Christiana libertas, quam & hoc sub
 nomine quidam postulant, vt pro suo quisque arbitrio
 & facere que velit, & de religione sentire permittatur?
 Non, inquis, quæ velit quisque facere, sed, prout libue-
 rit, de religione sentire. Quasi verò minor sit religionis
 causa, quam morum: quasi regula certa sit iuxta quam
 viuatur, & non sit aliqua certa ad quam fidei & pieta-
 tis ratio reuocetur: quasi denique liberum de religione
 iudicium, libertas quoque, ceu potiùs licentia, qua de-
 teriores omnes reddimur, rebus in agendis non multo
 pòst consequatur. Et que mors animarum peior atque
 nocentior esse possit quam libertas erroris? Hoc qui-
 dem Augustinus præclare dixit, cum tale quippiam in
 Donatistis reprehenderet; qui propterea Iulianum
 apostatam habere Imperatorem & iudicem, quam
 Constantinum Catholicum maluerunt. Nam prior
 Constantinus, inquit, contra partem Donati seuerissi-
 mam legem dedit. Hunc imitati filij eius, talia quoque
 præceperunt. Quibus succedens Iulianus, desertor
 Christi & inimicus, supplicantibus Rogatiano & Pó-
 tio, perditioni partis Donati libertatem permisit. De-
 niq; tunc reddidit Basilicas hæreticis, quando tem-
 pla dæmonijs; eo modo posse putans Christianum no-
 men perire de terris, si vnitati Ecclesiae, de qua lapsus
 fuerat, inuideret, ac sacrilegas dissensiones liberas esse
 permetteret. Attendis, opinor, quodnam dicat Iuliani
 studium fuisse, cum schismaticis Donatistis liberta-
 tem permetteret, quam Imperatores Catholici nega-
 uerant. Hoc idem prorsus & nunc diaboli studium
 est: vt videlicet sacrilegis dissensionibus, libertate per-
 missa, paulatim & Christi nomen è terra viuentium

cra-

eradatur. Sed hoc vt peragatur felicius, exitio samque
 fraudem quo pauciores deprehendant, interea Christi
 nomen in ore est omnibus; huius se Spiritum, huius
 verbum per omnia sequi profitentur. Atque vt Regis
 sub nomine cudunt quæ volût Regi rebelles, sic ijdem
 studiosissimè de Christi protestantur iniurijs, qui ma-
 ximè Christo aduersantur. Scit enim hoc nomen dia-
 bolus displicere nondum posse: quantoque magis ab
 eo conatur sensim auertere, tanto hoc & commendat
 blandiùs, & inculcat frequentius: agni que sibi quasi
 duo cornua facit, quo minùs in eo vox draconis suspe-
 cta habeatur. His ergo conatibus eius qui & discipu-
 los Christi expetiuerat vt cribraret sicut triticum, non
 sese omnes pijs precibus, Reges autem peculiariter
 gladijs suis opponerent? Et quibus dictum est, Seruite
 Domino in timore, & exultate ei cum tremore, nequã-
 do irascatur Dominus, & pereatis de via iusta? nonne
 Regibus? At quonam modo seruiunt Domino Reges
 in timore, nisi ea quæ contra Domini iussa fiunt, reli-
 giosa seueritate prohibendo? Aliter enim eorum quis-
 que seruit quia homo, aliter quia Rex est. Nã quia ho-
 mo, seruit viuendo fideliter: quia verò Rex est, seruit
 leges iusta præcipientes, & cõtraria prohibentes, con-
 uenienti vigore fanciendo. Sicut seruiuit Ezechias, lu-
 cos & templa idolorum, & ea excelsa que fuerant con-
 tra Domini præceptum constructa, destruendo. Sicut
 seruiuit Iosias, cum talia & ipse pius imitator faceret.
 Sicut seruiuit Rex Niniuitarum, ciuitatem vniuer-
 sam ad Dominum pœnitentiæ placandum operibus
 religioso Dei timore compellens. Sicut seruiuit Da-
 rius, cum idolum confringendum Danieli traderet,
 eiusque inimicos leonibus obijceret. Sicut seruiuit
 Nabuchodonosor, quando omnes in suo regno posi-
 tos, à Deo vero blasphemãdo, lege terribili prohibuit.
 Postremò (vt propinquius aliquod iungamus exem-
 plum)

Apoc. 13.

Epist. 166.

*Diuus Am-
brusius in ora-
tione sanctis
de obitu Va-
lentiniani.*

plum) sicut seruiuit Valentinianus iunior, ad quem cum propter recuperanda templorum iura, & sacerdotiorum profana priuilegia, cultusque sacrorum, suos misisset Roma legatos, simulque (quod grauius est) Senatus nomine niteretur: vniuersis qui in consistorio aderat, Christianis pariter atq. Gētilibus, reddēda esse censentibus, solus ille, velut Daniel excitato in se fidei spiritu, Christianos quidem perfidiæ arguebat, Gentilibus verò referebat, quod pius frater eripuisset, hoc à se reddi non posse, quòd in eo & religio læderetur & frater. Deniq. postulet, inquit, parens Roma alia quæcunque voluerit, debeo affectum parenti, sed magis obsequium Deo, parentis auctori. Veterem suam repe- rebat Roma in religione libertatem, id est, antiquam teterrimamque in impietate seruitutem. Num reddidit Valētinianus? minimè verò. Et hoc, Ne religio, inquit, læderetur & frater. Mirum si profanis idolorum cultibus religio lædebat, & non lædatur hæresibus: imò verò tanto grauius officiunt, quāto latentiùs fallunt sub blandissimo nomine redēptoris. Si religionē nō lædūt hæreses, quæ sunt ergo vulpes paruulæ, quæ demoliuntur Dominicas vineas, proptereaque non liberè vagari sinuntur, sed capi iubētur? Capite, inquit, nobis vulpes paruulas, quas & satius esse dicit Bernardus gladio illius coërceri, qui non sine causa gladium portat, quā permitti imbecillos multorum animos in errores traducere: præsertim quia & vulpes, quod mirandum est, in aprum sensim proficit, aut certè si & priùs apererat, vulpinisque & utebatur fraudibus, & tegebatur exuijs, tandem illum detegit atque exhibet aprum de quo scriptum est: Exterminauit eam aper de silua, & singularis feras depastus est eam. Si nihil officeret hæresis pietati, cur ab Apostolo diceretur sub- uertere fidem, multumque ad impietatem proficere? Cur Alexandrum & Hymenæum, nisi ob hæresis suæ

blasphemæ

blasphemiam, quæ procul dubio pietati contraria est, satanæ, quo tortor nequit esse crudelior, tradidisset? Cum igitur vehementer illa pestis officeret, atrocissimo supplicio coërcendum esse beatus Apostolus iudicauit. Illud enim ipsum tradi satanæ, siue quod Dominus ait, Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus, grauius est (vt beatus Augustinus ait) quā si quis gladio feriretur, quā si flammis absumeretur, si feris subigeretur: alligaturque homo infeliciùs & amariùs Ecclesiæ clauibus, quā quibuslibet grauissimis & durissimis ferreis vel adamantinis nexibus: vt frustra hic noster Catholicis Principibus conflare conetur inuidiam, commemoratione præteriti temporis, quo publica de hereticis supplicia diuersis in locis sumpta esse noscuntur. Quæcunque enim uelint proferant, & omnia quantumcunque libeat exaggerent, nullum grauius reperiet eo supplicio, quo quis eiectus de Ecclesia, rabido (vt ait diuus Hieronymus) dæmonum ore discerpitur. Ergo beatus Apostolus, qui tantum supplicium inferebat ob heresim, tribuendamne cuique censebat suæ professionis libertatem? Cuius exemplum intuens diuus Hieronymus, mirari se dicit, sanctum Episcopum, cuius in parochia Vigilantius presbyter esse dicebatur, acquiescere furoribus, & non virga Apostolica, virgaque ferrea confringere vas inutile, & tradere in interitum carnis, vt spiritus saluus fiat. Meminerit, inquit, illius dicti: Videbas furem, & currebas cum eo, & cum adulteris portionē tuā ponebas. Et alio in loco: In matutino interficiebā omnes peccatores terræ, vt disperderē de ciuitate Dei omnes operantes iniquitatē. Et iterū: Nōne odiētes te Dñe oderā, & super inimicos tuos tabescebā? Eiusdem Apostoli beatus quoq. Pōtifex Innocentius ex-

*Matth. 18.
Lib. 1. contra
aduersarium
Legis & Pro-
phet. cap. 17.*

*In epistola ad
Helsodorum.*

*Lib. contra
Vigilantium.*

*Circa princ-
pia tom. 1. a.
opusculorum
D. Am. 177.*

ff

cul

*Cantic. 2.
Serm. 66. in
Canticis.*

Psal. 79.

2. Tim. 1.

cul remouendi visceribus; ne diutius multa occupās, insanabilis pōst error increſcat. Neque hīc plures necesse est commemorem Apostolici imitatores exēpli, cū eam constet semper in Ecclesia Dei viguisse disciplinam; vt qui nouellæ doctrinæ fermēto, Christiani dogmatis puritate vitiantur, monitūque sapiūs, in suscepto nihilominus inſtituto, superbæ animoſtatis obſtinatione perſisterent, excommunicationis gladio præciderentur à Christi corpore, atque in diaboli potestatem traderentur. Num igitur maiores noſtri, nū tam multi diuerſiſſimis ætatibus Eccleſiarum moderatores prudentiſſimi, optabilem iſtam hoc tempore multis probauiffent libertatem? Quæ ſi eſſe deberet, nunquam Apocalypſis angelum Pergami Eccleſiæ reprehenderet, propterea quòd haberet aliquos tenētes doctrinam Nicolaitarum: nunquam angelo Thiatyræ Eccleſiæ ſcriberet Dominus, habere ſe hoc aduerſus eum, quia permetteret mulierem Iezabel, quæ ſe dicit prophetiſſam, docere & ſeducere ſeruos ſuos: nunquā ipſe Gētiū Apoſtolus aded vehementer abſcindi eos optauiffet; qui Galatas erroris ſui prædicatione conturbarant: non increpari durè Cretenſes voluiſſet, vt eſſent ſani in fide: non venturi tēporis (in quod profectò nos incidimus) lugendum in religione ſtaū, periculaque deplorans, diceret: Erit tempus, cū ſanam doctrinam non ſuſtinebunt: ſed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi magiſtros prurientes auribus; & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Futurum hoc magis magiſque beatus Apoſtolus præuidebat: ac ne bonorum opinione celerius dira contagia per incautum vulgus ſerperent, uilantiæ atque diſciplinæ, quo maturè propulſarentur, in vno Timotheo quem libet epiſcopum admonēbat. ſcilicet in his omnibus patronum agens expetitæ huius impudentiſſimis & votis & vocibus pernicioſiſſi-

mæ

LIBER DECIMVS QVARTVS. 319
mæ libertatis. Quam libertatem qui permitti in Ecclesia docent oportere; nihil aliud tanè mihi quàm Babylonem ædificare velle videntur.

CAPVT XI.

Quid fuerit diſcriminis antiquis temporibus, inter diaboli ciuitatem & Dei, quantum pertinet ad hanc in religione libertatem.

SI enim aliquando ſe habuit impia ciuitas, in qua de Deo & mundo, de bonorum malorumque ſt- nibus, quod quiſque delirarat, impurè tradebat, & ſibi diſcipulos facere, ſcholasq. ſtudebat. Cū enim eſſent innumera propemodum Philoſophorum diſſenſiones, quis vnquam populus, quis ſenatus, quæ poteſtas vel dignitas publica, ciuitatis impiæ dijudicandas illas, & alias quidem probandas ac recipiendas, alias improbandas repudiandasque curauit: ac non paſſim ſine vllò iudicio confulere que habuit in gremio ſuo tot controuerſias hominum diſſentientium, non de agris ac domibus, vel quacunque peculiari ratione, ſed de his rebus quibus aut miſerè uiuitur, aut beatè? Vbi etſi aliqua dicebantur vera, eadem licentia prorfus & falſa ingerebantur: vt non fruſtra talis ciuitas myſticum vocabulum Babylonis acceperit. Quippe Babylon idem valet, quòd, ſi Latine confulionem dixeris. Nec verò intererat diaboli, qui eius eſt princeps, quàm contrariis inter ſe corraxerentur erroribus; quos meritò multæ variæq. impietates omnes, pariter poſſidebat. Iam velim Dei ciuitatem, quam ſibi temporibus iſſdem in Iudaico populo conſtruxerat; mihi patulisper contempleris (ijs tamen diebus ſepoſitis, quibus non erat Rex in Iſraël, ſed vnusquiſque quod bonum ſibi videbatur, hoc faciebat: quos dies hodie multi nobis, ſi poſſent, reuocarent) ijs igitur diebus exceptis,

ff 2

num-

numquid illa diuinitus instituta ciuitas pseudopphetas cum veris Prophetis pari licentia aliquando confudit? Nonne soli in ea concordēs inter se, atque in nullo dissentientes, sacrarum literarum agnoscebantur & tenebantur auctores? Et animaduerte, quæso, quæ fuerit pseudopphetis tum concessa libertas,

Dant. 18.

Propheta, inquit, qui arrogantia deprauatus, voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi ei vt diceret, aut ex nomine alienorum deorum; interficietur. Et rursum; Qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo; ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de medio Israël. Quis verò, quantusque fuerit populi feruor aduersus eos qui moliri aliquid contra Dei Legem viderentur, declarat illud, quòd cum tribus Ruben, Gad, dimidiaque tribus Manassæ ædificassent ad Iordanis tumulos altare inusitatae magnitudinis, non quo sacrificium ibi vllum offerrent, quod non nisi vno in loco, quem elegisset Dominus, facere fas esse non ignorabant; sed quo se hoc velut manifesto indicio ad eiusdem populi societatem pertinere declararent, nec communione idcirco separatos, quia locorum interuallis interiectis discreti viderentur: Hoc tamen eorum non satis primùm perspecto consilio, cæteræ tribus euestigio tanquam in sacrilegij violationem armantur: easque bello tribus funditus excidissent, nisi accepta satisfactione missi legati ardentem indignatione populum placauissent. Ac Sadducæos quidem, quos resurrectionem infitari futuram, nullus ignorabat, postremis temporibus Iudæi ferebant. Nec in eos quicquam legitur (quod equidem etiam) grauius ab illis constitutum esse. Sed quis eos ob id neglectum, mereri prudentiæ pietatisve laudem existimet? cur non hos iustius fugissent ac fugassent hæreticos, quam Samaritanos schismaticos, quorum se-

dulò

dulò commercia societatesque vitabant? non enim contuebantur Iudæi Samaritanis: vsque adeò, vt cum potum Christus à Samaritana petisset, admirans illa, dixerit: Quomodo tu, Iudæus cum sis; bibere à me possis, quæ sum mulier Samaritana? Cùm autem blasphemos è medio tollere Lex diuina iuberet; nec Sadducæis parci oportuit, qui eousque blasphemi erant, vt ipsam diuinitatem tollerent, cùm & angelum & spiritum vllum esse negarent. Quorum non mox oppressis iniuriis, procedente tempore cæca sic hæresis inualuit, vt sensim collabente veteri sacerdotio, quod Dominus prædixerat auferendum, etiam huius sedem occuparint. Sic enim scriptum in Actis est: Exsurgens princeps Sacerdotum, & omnes qui cum illo erant, quæ est hæresis Sadducæorum, repleti sunt zelo, & iniecerunt manus in Apostolos, & posuerunt eos in custodia publica.

Ioan. 4.

Act. 23.

Ibid. 5.

Galat. 5.

CAPVT XII.

Multo minus in Ecclesia ferendam esse hanc libertatem, quam olim in Iudæico populo perferenda fuerit.

CVM igitur in aperto sit, non sic tum institutum fuisse Dei ciuitatem; vt libera cuique potestas esset, quæ vellet, de religione statuendi; nos sic instituendam esse nunc Christi Ecclesiam arbitrabimur, vt impune quamlibet religionem in ea quisque profiteatur? & cùm pseudopphetas illi in sui temporis Ecclesia minimè tulerint; nos, cùm veritas & illuxit apertius, & corroborata est firmitus; in Christiana domo atque familia quoslibet, quæ somniauerint, profiteri patiemur? Atqui meminisse nos oportet, Ecclesiam Catholicam, Christi videlicet sponsam & amicam, sic diuinis in literis commendari, vt esse dicatur terribilis sicut castrorum acies ordinata. Non est autem ordinata

Cantic. 6.

ff 3

castro-

castrorum acies, ubi miles quisque, contempto ducis imperio, se profertur quod libuerit aggressurum. Memisse oportet Ecclesiam, Christi esse in terris regnū; ut certis, sicut in regno bene constituto solet, viuendū esse legibus cogitetur: esse Dei domum, cui patrum familias vnum præferat, ad quem debeant familiæ negotia cuncta referri: esse vnum ouile, in quo pastori vni sit obtemperandum, cui peculiariter dictum est: *Pasce oves meas.* Hic iam deplorandum est sic elanguisse feruorem, qui aduersus familiæ huius, regni que perturbatores magnus esse solebat. In defensa multis locis templa, in defensi Dei ministri, in hostium potestate relictū sunt: hoc cum animaduertunt, locum sibi inter nos liberum, imò & dominatum facile pollicentur. Nihil mouent infinita prope quæ ab illis proficiscuntur scandala, quamquam sine offendiculo se viuere velle profitentur: nihil commiserationis inueniunt strages, omnibus ferme locis circumuentarum dolis animarum, sed potius, si de illorum corpore sanguis exierit, clamor exoritur, ut cor non in corde, sed in oculis esse probetur. Balaam filium Beor gladio Israëlitæ peremerunt propter scandalum populo obiectum. Cum enim debilitare Dei populum maledicendo fuisset prohibitum, cōsiliū Moabitarum regi suggestit, ut productis in conspectum ornatu meretricio mulieribus, in nefandas libidines pronum ad eas populum prolliceret: quod eo pacto & ad cultum deorū pertrahere impuris amoribus atque illecebris irretitos, & vincere iam Deo propter impietatem exosos facile posset. Quin & Moyses indignissime tulit parcitum esse mulieribus, quæ ipsos, venereis vincōs catehis, in idololatriam, & iram Dei protraxissent. Obsecro, minime isti perniciosi tibi videbuntur, qui blandissimis vocibus, velut sirenum cantibus, de Christiana libertate restituta, de iugo multiplicium obseruationum excusso,

excusso,

excusso, de fugiendo simulacrorum cultu, de vnus mediatoris plenissima satisfactione, gratia, misericordia, atrociter in animas sæuiūt? & à Deo Patre, Ecclesia Matre, Christo Redemptore & Capite, integras prouincias abstractas, ac mortis è faucibus, sæuissimæque tenebrarum principis tyrannide semel ereptas, sub eandem iterum clade grauiore conijciunt? nonne & ira Dei per impietatem pronocata, & populi viribus per dissidia fractis, & variis erroribus ad abiectiōnem Christianismi sensim viam aperientibus Christiani nominis hostibus ferendi delendique magis exponimur? Si libera non sunt corpora inter gladios & spinas, & alia quæ lædere ac cruentare possunt, constituta; liberi erunt animi tot errorum spinis circūsepti? tot laqueis blandientium illecebrarum capiendi? tot gladijs venenatarum linguarum confodiendi?

CAPVT XIII.

Quæ sit libertas piis hominibus optabilis.

SI CVT igitur vera beatitudo non est viuere, vt velis, nisi ita sis affectus, nihil vt prauè velis: ita vera libertas non est, sed perniciofa licentia, grauique seruitus, & vitiorum omnium & errorum, cum impune quique licet quod libeat, profiteri & facere. Ea demū vera libertas est, cum nemo prohibet bene facere, nemo Dei cultum inturbat, nemo studium impedit procurandæ salutis vel alienæ vel propriæ. Vera libertas est, & digna quæ Christianæ libertatis nomine censeatur, qua fit, vt excusso seruitutis peccati iugo, de quo scriptum est, *Qui facit peccatum, seruus est peccati; vni subijciamur Deo, iustitiæque seruiamur.* Quam qui colunt, ij disciplinæ vinculis adstringi se gaudent, vt quo minus liceat omnia pro libidine gerere, eo maior suppetat in bono proficiendi facultas. Hanc qui

colunt, diuinas Leges spiritu dilectionis implent, quia plenitudo Legis, dilectio est. Ciuilibus quoque legibus ijdem oblequuntur, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. In his enim Reipublicæ vinculum; & (vt gentilis etiam orator confessus est) fundamentum libertatis est cõstitutum. Denique, ait, omnes legum serui sumus, vt liberi esse possimus. Hoc si gentilis agnouit, non erubescet dicere Christianus: In libertatem vocatus sum, faciam quod volo? Noli, inquam, noli hoc dicere Christiane, in quo iure queas etiam ab homine gentili reprehendi. Si enim ista tua voluntate, cuius de libertate gloriaris, peccatū facis, si in errores varios præceps demergeris, si Ecclesiæ Christi præsidia & castra relinquis; seruus es peccati & diaboli miserrimus. Erit voluntas tua verè libera, si fuerit pia: tumque fruëris optabili iucundaque libertate, si iustitię, cuius obedientia pars est, seruiaris. Sed quemadmodum scriptum est: Vir vanus in superbiam erigitur; & sicut pullus onagri, liberum se natum putat. Hoc vanissimæ superbię spiritu, cui hæresis fomenta subministrat, superiorum instituta violantur, rescinduntur scita patrum, conuelluntur definita maiorum, vt illud appareat: Quod volumus, sanctum est. Nec se intra sacratę atq; incorruptę veritatis castissimos limites, profanę ac nouellę curiositatis libido valet villo pacto continere. Hoc autem cum per se turpissimum sit, ne quem forsitan offendar, splendidissimo blandissimoque nomine Christianę libertatis ornatur. Ergone hæc tãdem videri cuique vera & Christiana libertas poterit, si contradicente atque improbante nemine, tanquam pastorum omnium atq; doctorum linguis obligatis (quos tamen posuit Deus vt non essemus sicut paruuli fluctuantes, & circumferremur omni vëto doctrinæ) quoslibet de religione quisque vel cõminiscatur vel sequatur errores? Imò verò

tum

tum maximè libertas esse vera credenda est, cum profligatis erroribus; liberum habet locum sola Catholicę veritatis assertio. Quæ tanta libertas si quando propter prementes errantium turbas obtineri non poterit, erunt hæ saltem aliqua reliquię veræ libertatis, si inter huius seculi tenebras non omnino oppressa veritas iaceat; sed eius in verbis, eius in factis, aliqua sinatur passim collucere professio. Tantillam saltem à Constantio Augusto libertatem diuus Hilarius postulabat, cum scriberet: Non solum verbis, sed lachrymis deprecamur, ne diutius Catholicę Ecclesię grauissimis iniurijs afficiantur, & intolerabiles sustineat persecutiones & contumelias, & quod nefarium est, à fratribus nostris: prouideat & decernat clementia tua, vt omnes se vbique iudices, quibus prouinciarum administrationes creditę sunt, ad quos sola cura & sollicitudo publicorum negotiorum pertinere debet, à religiosa obseruantia abstineant; neque posthac præsumant atque vsurpent, & putent se causas cognoscere clericorum, & innocentes homines varijs afflictationibus, minis, violentia, terroribus frangere atque vexare. Intelligit singularis & admirabilis sapientia tua, non decere, non oportere cogi & compelli inuitos & repugnantes, vt se ijs subijciant & addicant vi oppressi, qui non cessant adulterinæ doctrinæ corrupta semina adspargere. Idcirco laboratis, & salutaribus consilijs Rempublicam regitis, excubatis etiam & vigilatis; vt omnes quibus imperatis, dulcissima libertate potiantur. Hęc aliaque multa Diuus Hilarius, veram indubie Catholicis petens libertatem: quoniam dominante Ariana hæresi, ac veluti Bellona quadam, propter Imperatorem captum, in omnes vbique pios crudelissimè satiente; grauem orthodoxi & acerbam seruitutē ferre cogebantur. Atque huc ferè à paruis & blandis iniurijs, postquam idoneos nacta fuerit duces, erunt

ff 5

pere

Rom 13.
Cicero in Oratione pro Aulo Cluentio.

Job 11.

Ephes. 4.

pere hæresis solet: petunt sibi libertatem, id est, nocendi perdendique liberam facultatem. Quam ubi fuerint affecti, atque sic viribus creuerint, ut nullo potentia valentioris metu reprimantur; tum iugum illud imponunt Catholicis intoleranda seruitutis, quod beatus Ioannes in Apocalypsi sua non tacuit, ut liceat nemini vendere quicquam, vel emere, nisi qui habuerit characterem bestia in fronte sua, & in manu sua. Legat qui volat apud Victorem Vticensem Africanæ per Vandalos Arianos persecutionis historiam, & plura hac ipsa de re, quam hic à me dici possint, reperiet. Hoc vnum profecto reperiet, hæretica tyrannide non aliam grauiorem ac funestioem existere: quæ & cum blanditur, crudelissimè sæuit: non enim proferbit ad vitam, sed dicit in mortem: non carcere includit ad libertatem, sed intra palatia honorat ad seruitutem: non latera vexat, sed cor occupat: non ignes publicè minatur, sed gehennam priuatim accendit: non contendit ut vincat, sed adulatur ut dominetur: Christum confitetur, ut neget: vnitatem procurat, ne pax esse vera possit: promittit libertatem, ut omnes in corruptelæ seruitutem introducat. Cum autem piorum fidei constantia accessit, blandimenta deponit, paruum deputat nocuum quod intulerit corporibus, nisi hac ratione & animas iugularit. Extorquet minis negationem veritatis, quæ nec impietatis causam adiungat, cum sit extorta; & negantis tamen poluit conscientiam, quod sit voluntaria. Templâ Deo sacra tradi sibi postulat, domosque orationum in suorum latrociniorum speluncas, fallaci verbi Dei prædicatione conuertit. Sacrorum ministeriorum vasa pretiosa vendicat sibi; ut vnde pio Sacrificio placabatur in Ecclesia Deus, inde iam profanis & iniquis, & sacrilegis vsibus ad iracundiam prouocetur. Fallit promissis, dementat mendacijs, inuoluit fraudibus, occultis

LIBER DECIMVS QVARTVS. 327
cultis vulneribus necat: nec antè se multi sentiunt lætos, quam propè mortis ictu conciderint.

CAPVT XIII.

Aliud esse, hæreses & schismata tolerare, cum extinguari non possunt; aliud, tantorum malorum ex professo tueri libertatem.

ET quia hæretici uti in sua paucitate metuunt, ita sæpenumero sunt in sua multitudine metuendi: existit sæpe tolerandi necessitas quædam, qua minora perferuntur incommoda; ne si hæc tollere mediteris, grauiora consequantur. Sic enim & humanæ leges, quibus populi reguntur, minoribus malefactis, ne maiora committerentur, dedere licentiam: & ea tamen quæ impunita relinquuntur, iustissimè diuina prouidentia puniuntur. Lex ipsa diuina per Moysen Israelitico populo data, nõne duorum propter Iudaici cordis duritiam tolerauit? Huc & illud diu Augustini pertinet: Aufer meretricies de rebus humanis, & omnia turbaueris libidinibus. Obluit Loth Sodomitis filias, ut tolerabilius in feminas committeretur, quod in viros perpetrari horrebat. Leuita similiter Ephratæus, cum in filios Belial peregrinus incidisset, tradere suam concubinam maluit illud edam, quam illum contra naturam libidinis furorem perpetrari. Cum enim duo fuerint iniustitiæ vel impietatis mala proposita, quorum vtrumque propulsare & effugere nequeamus, tolerare quod minus est ac permittere licet, ne grauius atque nocentius alterum perferre cogamur. Et quemadmodum beatus Apostolus insinuat, facièda quidem nunquam mala sunt, ut eueniant bona. Sed non eadem sunt, malum facere; & quod ab alio fiat, quando id impedire non possis, cum gemitu tolerare. Cum itaque Iustinus Imperator Arianis suas basilicas adimere decreuisset, atque

Lib. 2. De ordine, cap. 4.

Iudic. 19.

Minima de malis. Cicero lib. 3. Offic.

Rom. 3.

In Pörisioli.

atque id Theodoricus Arianus, qui tū graui iugo presam tenebat Italiam, resciuisset, ob eamque rem, aduocato Ioanne Pontifice, declarasset, vniuersam Italiam se ferro flammaque vastaturum, si suum Iustinus decretum impleisset: profectus Constantinopolim Pontifex, & Ariani vt adhuc suis in basilicis tolerarentur, impetrauit, & Italiæ hac ratione vt parceretur, effecit. Quid autem mirum, si & beatus Athanasius Ariani basilicam in Alexandrina Ecclesia permisit, cum & hoc Imperator peteret, & Arianorum tanta esset vis, vt compluribus in locis Catholicos suis è templis exturbaret? Quid mirum, si similem ob causam & Iouinianus fortasse nemini se quoquo modo credentium molestum fore dixerit, & Valentinianus Ariani negauerit se fore importunum? Theodosius quoque sectas aliquot extra Constantinopolim oratoria fabricare; Nouatianos verò, quòd & quieti essent, & magis inter se concordēs, intra vrbeni etiam Ecclesias habere permisit. Sed idem tamen Eunomium, qui Constantinopoli collectas domi faciebat, & conscriptos à se libros recitabat, ita vt eius doctrinā multi corrumpētur, multauit exilio, acriterque est persecutus: declaras etiam hoc exemplo suo, in eos maximè seueritatis neruos intendi oportere, qui doctrinæ suæ virus fundere spargereque non desistunt? Sed nec illa eius incognita lex est, quam à Thessalonica populo Constantinopolitano proposuit, seruarique magna seueritate, adiuncta vindictæ comminatione, præcepit. Fuerant & Donatistæ Imperatoris decreto suis pulsati basilicis, sed eas Marcellinus quidam, cognitòr ab Imperatore darus, in ea causa quæ inter Catholicos & Donatistas versabatur, reddidit, vt eos hoc modò beneficijs ad conferendum inuitaret: id quod eum notat Augustinus sine imperiali iussione fecisse. Vt cunq̄ autem eius sese consilium iudiciumque in ea causa habuerit, constat hæc

duo

*Lib. 4. Tripar. cap. 30.**Lib. 9. Tripar. cap. 7.**Institio collat. primæ dici in breuicula cōtra Donatistas.*

duo differre plurimum, tolerare quod alioqui nolis, quo vel magnum quodpiam bonum consequare, vel ingens malum excludas; & sic Ecclesiam instituendam esse putare; vt nisi cuique quod velit credendi profitendique sit concessa libertas, cōtra rationem aut Scripturam diuinam quicquam agi videatur. Posterius hoc sequuntur hæretici, dum pro veteri sua consuetudine, prioribusque seculis noto more flagitant libertatem: dum fures, homicidas, incendiarios è medio tolli iustitiæ seueritate patiuntur; fidei verò corruptoribus, & per religionum profanas nouitates, pugnasque verborum, grauissimis Reipublicæ perturbatoribus, impunitatem concedi volunt; scilicet ne contra Dominicam iussione ante tempus eradicerentur zizania: *Matth. 13.* quasi non scelerati omnes ad zizaniorum numerum pertinerent; & quasi non aliud esset Ecclesiasticam aream hoc tempore velut sumpto ventilabro ab omni malorum palea velle repurgatam (quod quoniam Domini proprium est, extremique iudicij, verbis Euangelicis prohibetur) aliud in nocentiores quosdam ac nefarios Reipublicæ dissipatores, edere exempla iustitiæ, quibus ceteri terreantur.

Matth. 3. Consulatur Cyrillus lib. 3. e. istolarum, epistola 3.

CAPVT XV.

Quæ causa sit, quomobrem Iudeorum ritus præ hæresibus atque schismaticis tolerentur inter Christianos.

POSTREMO tandem loco & Iudæi cum suis ritibus in patrocinium libertatis aduocantur. Etenim reddenda ratio est aliqua probabilis, quomobrem illi tolerentur inter Christianos, hæretici verò & schismatici neutiquam putentur esse perferendi. Iudæis igitur, suis in synagogis atque ædibus, libera permittitur aucte religionis obseruatio, neque sibi in eos Ecclesia ius exercendæ potestatis vsurpat, qui sese illi neque voluntate

vntquam,

vnquam, neque eiusdem religionis professione sub-
miserunt. Quid enim mihi, ait Paulus, de his qui foris
sunt, iudicare? Sed etsi illos cogere Ecclesia iure posset
ad Christianæ religionis amplexum, neque vllam per-
mittere in sua religione libertatem, iustis tamen graui-
bus que rationibus, quamobrem eos præ hæreticis atq;
schismaticis toleraret, moueretur. Primum quòd vti-
litate[m] habet singularem antiquæ gentis, ac religionis
quondam diuinitus institutæ, sed modò, figuris vm-
braticorum sacramentorum impletis, superstitiosæ,
quotidiana quædam & oculis ipsis mota consideratio.
Quippe eorum quæ Christiani credimus ac tenemus,
testes habemus eos, qui hostes cum sint nostri, sem-
perq; fuerint, ac suâ de Christianorû initijs ac progres-
su testificatione à suis maioribus, nõ ab Ecclesia, sicut
hæretici, acceperint, venire nõ possunt in suspicionem
callidæ fictionis, tanquã illas res à Christo, eiusque di-
scipulis gestas, aut illos Legis veteris Prophetarumq;
libros, ita o[mn]i ante Christianæ religionis exortu conscri-
ptos, in gratiã nostri confinxerint. Ipsæ quoque illorû
cerimonia, quæ à Deo iam olim institutæ fuerunt, nõ
que ob aliud vitiosæ modò sunt, quàm quòd rebus,
quæ per illas prænunciabantur, exhibitis, non sine sa-
critego mendacio retinentur, testimonium etiam nõ
perhibent luceti in orbe terrarum Euangelicæ veritati.
At ritus Gentiliû, non bonus vnquã, sed abominadus
semper fuit: ideòque hunc Apostoli in Christianis nul-
lo modo tolerarunt, cum ab ijs, si Iudæi essent, ad tem-
pus Iudaicos ritus obseruari permitterent, donec mor-
tuæ Legis funus ad sepulcrum quodam modo merito
cum honore deferretur. Doctrinam quoque hæreti-
cam non Deus tradidit aliquando, sed diabolus semi-
nauit; & si qua eius occasione in Ecclesia Christi na-
scatur utilitas, non id errori per sese pernicioso, sed di-
uinæ gratiæ & miserationi tribuendum est, qua diligẽ-
tibus

tibus Deum omnia conuertuntur in bonum his qui
secundum propositum vocati sunt sancti. Nam quòd
subinde hæretici, dum muris inter se dissidijs confli-
ctantur, Catholicorum causam adiuvant, firmisque se-
pè rationibus atque idoneis testimonijs corroborant,
non id qua parte hæretici sunt, faciunt, sed qua parte à
Catholica doctrina non discedunt, & secum aliquid
de Ecclesiæ bonis, cum ex nobis exirent, detulerunt.
Velut cum Lutherus Dominici corporis in Eucharis-
tiæ sacramento profiteretur esse veritatem, atque idip-
sum omnis generis argumento confirmat contra Cal-
uinum. Velut cum Brentium cæteræ sectæ vehemen-
ter oppugnant, falsoque asserti, Christi corpus omni-
bus simul in locis esse, perspicuis conuincunt argumẽ-
tis. Quibus in concertationibus non hoc illos hæreti-
cos facit, quod vtiliter pro nobis adstruunt, sed id quo
doctrinæ Catholicæ pertinaci animositate resistunt.
Quòd si ex Christianis hæretici fierent, qui ea quæ à
Iudæis fiunt, obseruari à Christianis quoque oportere
profiterentur (quod nonnullis ab schismatibus factû
memoriæ proditum est) & hos Ecclesia, iure suo, pro-
pter Dominicum characterem reuerti compelleret, &
perniciosæ doctrinæ seminationem meritò cohiberet.
Qui autem suis ex progenitoribus Iudæi sunt, etiam
hoc nomine præ alijs tolerantur, quòd traditas sibi ce-
rimonias simpliciter obseruant, neque quod faciunt,
populis Christianis sic esse faciendum, aliqua doctrine
professione persuadere nituntur. Itaque diuus Augu-
stinus quod scriptum est in Psalmò, Deus ostendit mi-
hi super inimicos meos, ne occideris eos, nequando
obliuiscantur populi mei; seu, vt ipse legit, nequando
obliuiscantur Legis meæ: posse dicit de Iudæis intelli-
gi, tanquam diceretur apertius: Istos ipsos qui me oc-
ciderunt inimicos meos, tu noli è medio tollere. Itaque
Iudæi, inquit, manent cum signo; neque sic victi sunt,
vt à

vt à victoribus absorberentur. Non sine causa Cain ille est, qui cum fratrem occidisset, posuit in eo Deus signum ne quis eum occideret. Hoc est signum quod habent Iudæi. Tenent omnino reliquias legis suæ, circumciduntur, sabbatha obseruant, pascha immolant, azyma comedunt. Occisi non sunt, propterea quod Gentibus credentibus necessarij forent. Nimirum vt in ramis superbiæ præcisus, inserto Deus misericordiã suam demonstraret oleastro. Et paulo post aliam vilitatem adiungens, Si fortè, inquit, quando paganus aliquis dubitauerit, cum ei dixerimus prophetias de Christo, ad quarum euidentiã obstupescit, & admirans putauerit à nobis esse conscriptas, de codicibus Iudæorum probamus, quia hoc totum antè prædictum est. Et epistola 59. ad Paulinum, ad quæst. 9. Ipsa, inquit, Prophetia, quid aliud nisi à nostris putaretur esse conficta, si non de inimicorum codicibus probaretur? Ideo ne occideris eos, ne ipsius gentis nomen exstiteris, nequando obliuiscantur Legis meæ. Has igitur ob causas Iudaicos ritus Ecclesia tolerauit, Iudæi que, cum quieti essent, nulloque perfidiæ suæ scelere Republicam perturbarent, suam in Iudaica superstitione concessit libertatem. Quin nec illos inuitos cogi ad professionem Christianam, vt probaret, adduci potuit: cum non defuissent in Ecclesia Principes, qui id imprudenti zelo faciendum esse putauissent. Quid enim ad salutem prodesse queat, si quem reclamantem, inuitumque baptizes? Imò verò nec citra iniuriam id fiebat diuini Sacramenti, cuius ad susceptionem admittendus est nemo, nisi qui se cordis sincera conuersione præbuerit dignum. Hinc igitur illa sunt in Concilio Toletano quarto: De Iudæis præcepit sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre. Cui enim vult Deus, miseretur; & quem vult, indurat. Non enim tales inuiti saluandi sunt, sed volentes; vt integra

Canon. 55.

integra sit forma iustitiæ. Sicut enim homo propria arbitrij voluntate serpenti obediens perijt: sic (vocate se gratia Dei) propriæ mentis conuersione quilibet credendo saluatur. At verò de his qui iam fuerat initiati, si fortè à Christiana professione resiliissent, multo aliter loquitur. Hos enim & reuocari vult, & redire compelli, vt teneant quod semel susceperunt, & vitam agant suæ professioni congruentem, Qui, inquit, iam pridè ad Christianitatem venire coacti sunt, (sicut factum est temporibus religiosissimi Principis Sisebuti) quia iam constat eos Sacramentis diuinis associatos, & Baptismi gratiam suscepisse, & Christum vnctos esse, & corporis Domini & sanguinis exstitisse participes, oportet vt fidem etiam, quam vi vel necessitate susceperunt, tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemetur, & fides quam susceperunt, contemptibilis habeatur. Et Canone sequenti: Iudæi, qui ad fidem Christianam promoti, abominandas circumcisiones, & alios Iudaicos vsus exercuerint, Põtificali auctoritate corrigantur, & ad cultum Christiani dogmatis reuocentur. Nihil hæc igitur eorum patrocinantur votis, qui sub professione Christiana fidem deserunt, & sibi tamen libertatem, quæ Iudæis negata non sit, concedi postulant. Quin potius, vt in eos Iudæos qui baptismum susceperant, ius suæ potestatis Ecclesia mater exercuit: ita & in hos omnino potest, magis que debet exercere; quòd & insolentiã morum, multis infirmioribus ruinam afferant, & docendo corrumpant. Reuocandi sunt prorsus ad Ecclesiæ leges, quibus se, cum baptizarentur, submiserunt; atque ordine constituto, iniicienda sunt euaganti frena licentiæ.

gg

DE

D E
C H R I S T I A N A
L I B E R T A T E
L I B E R D E C I M V S
Q V I N T V S.
P R O O E M I V M.



AR G V M E N T I huius, cui de Libertate Christiana titulum fecimus, quanta sit amplitudo, & quàm iucunda varietas, ex ijs quæ hæctenus per aliquot digessimus libros, in promptu est cognoscere. An autem ipsam amplitudinem rerum tractatarum hoc librorum capitum quæ numero conuenienter expleuerimus, aliorum esto iudicium. Equidem video nonnullos esse dicturos, ex ijs quæ à Domino Ioanne Driedone tribus de Christiana libertate comprehensa sunt libris, fuscæque tractata, quædam à nobis, aliquanta breuitatè perstricta, multa prætermissa omnino. Quibus consilij huius nostri rationem scire volentibus, respondebimus, nonnulla quæ ab illo viro explicantur eruditè, visa esse eiusmodi, quæ duriusculè sub huius titulum argumenti reuocentur, alibi que tractentur commodiùs: alia rursus non pauca, quæ magis spectabant ad Ecclesiasticæ libertatis tû explicationem, tum defensionem. Quam quidem Ecclesiasticam libertatem à Christiana differre libertate ex eo perspicitur, quòd hæc clero laicisque communis est; illa verò propria clericorum seu Ecclesiasticarum personarum. Est enim Ecclesiastica libertas aliud nihil quàm immunitas, per quam Ecclesiæ, tum personarum, tum res ipsæ iure diuino vel humano, aut priuile-

gio,

DE CHRIST. LIBERT. LIBER XV. 835
go, à secularium Principum vel iudicum potestati-
bu, iurisdictionibus, tribunalibus, ve & regalibus ac tri-
butis impositis aut imponendis exemptæ sunt ac liber-
ræ. Christiana verò libertas ab huiusmodi legibus ne-
minem eximit seu liberum reddit. Itaque ex illis rebus
quæ minùs instituto nostro seruire videbantur, quas-
dam modò perstrinximus, alias ne attigimus quidem.
Quas res interim explicatiùs cognoscere si quis desi-
deret, integrum illi erit ex ipso auctore repetere; &
quod nobis deesse putauerit, inde supplere. Nos ad id
quòd reliquum est, quòdque adhuc deesse ipsi cen-
semus, properabimus.

C A P V T I.

*Libertatem à seruitute corruptionis, propriam esse
vita futura.*

SV P E R E S T autem tractanda libertas à seruitute
corruptionis & mortis: seu, vt breuiùs loquitur
Bernardus, Libertas à miseria. quam hîc nondum ha-
bere nos cum abudè rebus ipsis comprobetur, super-
uacaneum est, id verbis velle demonstrare. In hoc sanè
ingemiscimus, habitationem nostram quæ de cælo est,
superindui cupientes (ait sanctus Apostolus) si tamen
vestiti & non nudi inueniamur. Nam & qui sumus in
hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati: eo quòd no-
limus expoliari, sed superuestiri: vt absorbeat quod
mortale est à vita, insitque, resuscitatis corporibus nulli
vanitati subiecta libertas. Atque ob id quidem spiri-
tus pignus accepimus, vt hanc quoque per Christum
libertatem secururam esse in illa nostri perfecta rege-
neratione minimè dubitemus. Si enim Spiritus eius
qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in nobis: qui
suscitauit Iesum Christum, viuificabit & mortalia
corporum nostra, propter inhabitantem Spiritum eius in

g g 2 nobis:

Philip. 3.
Vide Gregor.
lib. 4. Moralium
cap. 41.

nobis: & reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis eius. Tunc igitur creatura illa nobilis, quæ hîc nolens mutabilitatis suæ corruptioni seruit, eripietur è corruptionis seruitute, cum ad filiorum Dei gloriam incorrupta resurgendo subuehatur. Hîc enim tantisper electi Dei, molestia vinciti sunt, quòd adhuc corruptionis suæ pœna deprimantur: at cum exuentur corruptibili carne, quasi ab his quibus nunc adstringuntur molestiæ vinculis relaxabuntur. Præsentari namque iam Deo cupiunt, sed adhuc mortalis corporis obligatione præpediuntur. Iure ergo vinciti, quòd adhuc incessum desiderij sui ad Deum, liberum non habent. Ideoq. Paulus ipse æterna desiderans, sed tamen adhuc corruptionis suæ sarcinam portans, vincitus clamat: Cupio dissolui, & esse cum Christo. Vbi verò mortale hoc induerit immortalitatem, fiet sermo qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria. Vbi est mors victoria tua, qua videlicet hîc omnes sic viceris, vt etiam Dei Filius tecum configaret? Vbi mors stimulus tuus? stimulus autem mortis, peccatum est, virtusq. peccati Lex. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum: qui & homo fuit, vt gustare mortem; & simul Deus verus, vt eam vincere posset. Huius proinde confisa præsidij, audet credentium societas dicere: Ne lateris inimica mea super me, quia cecidi, consurgam cum sedero in tenebris. Dominus lux mea est. Iram Domini portabo, quia peccaui ei: donec causam meam iudicet, & faciat iudicium meum. Educet me in lucem. Videbo iustitiam eius. Et aspiciet inimica mea, & operietur confusione, quæ dicit ad me: Vbi est Dominus Deus tuus? Oculi mei videbunt in eam: nunc erit in conculcationem vt lutum platearum.

Philip. 1.

1. Cor. 15.

Michea 7.

CAPVT

CAPVT II.

Cur hîc mortem Christus, vitæq. huius ærumnas credentibus reliquerit.

POTVIT quidem Christus Dominus vt auerfas nostras voluntates hîc ad se conuertere, ita omni nos miseria moriendique necessitate liberare: sed noluit, aliquot, vt videtur, de causis. Prima est, vt intelligetur, peccati admissi magnitudo, quo omnium infecta & deprauata natura est. Hanc enim vitam, ait diuus Augustinus, de qua scriptum est, Nūquid nō tentatio est vita humana super terram? in qua quotidie clamamus ad Dominum, Libera nos à malo: cogitur homo tolerare etiam remissis peccatis, quamuis vt in eam veniret miseriam, primùm fuerit causa peccatum. productior enim est pœna quàm culpa; ne parua taretur culpa, si cum ea finiretur & pœna. Sic ille. Itaque & peccatis plenè in Baptismo remissis, ex conditione mortalitatis huius, quam prima inuexit inobedientia, ærumnæ nos premunt temporales: vt non dubitandum sit, quòd salutaribus agitur sacramentis, totum id magis ad spem futurorum bonorum, quàm ad retentionem vel adeptionem præsentium pertinere. Quanquam enim nonnullorum, per diuina sacramenta, curationes factæ leguntur, vt etiam dicat Augustinus Bonifacio scribens, quosdam parentes offerre filios suos baptizandos, vt corporis sanitatem recuperent: tamen & hoc est inter ea quæ mirabiliter, & non ordinariè fiunt, numerandum; & nemo illorum qui beneficia hoc modo senserunt redditæ sanitatis, cuiusquam susceptione sacramenti, ab ærumnosæ & mortalis vitæ fuit conditione liberatus. Vnde & multi renati (inquit Augustinus) nec sanantur omnino, sed cum iisdem vitij, siue in qualibet ætate, siue in ipsa moriuntur infantia: nonnullis etiam paruulis permanent, cum qui-

1. Causa.

Tract. vlt. in
Ioannem.

Prosper lib. 3.
de vita contemp.
cap. 29.

Epist. 23.

Lib. 3. contra
Iul. cap. 6.

bus nati sunt, vel accidunt huiusmodi mala. absit vt dicamus indignè: sed hinc intelligamus potiùs, ad alterum eis seculum prodesse, quòd renascantur: huius autem seculi dispositionem propter initium superbiæ hominis, per quod apostatauit à Deo, diuersis hominũ malis peragi in iugo graui super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ, in matrem omnium. Verissimè verò hæc diuus Augustinus, omninòque ex diuinæ Scripturæ sententiã scriptã reliquit. Domini quippe sententiã in ipsa statim origine mundi fuit: Quia audisti vocem vxoris tuæ, maledicta terra in omnibus operibus tuis. in tristitia & gemitu edes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ: in sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es. Terra enim es, & in terram reuertes. Huius sententiæ vinculo colligati omnes & constricti sumus, donec morte expũcta, de hoc seculo recedamus. Ex hac sententiã sic omnes nascimur, vt pressuris hinc varijs & conflictationibus laboremus, idque totum vt illius transgressionis & culpæ magnitudo, quæ in loco tantę felicitatis admissa est, ipsius miserię continuatione monstraretur. Secunda verò relictæ huius causa est, quòd voluerit Dominus fidem exerceri, ac propter futurum seculum nos fieri Christianos: cum multi non ob aliud esse Christiani velint, quàm vt huius vitæ felicitate perfruantur. Atqui tam insigne in capite nostro Christo præcessit exemplum, vnde disceremus præ cælestibus terrena contemnere. huc enim pertinet illa eius in Psalmis oratio: Deus meus, clamabo per diem, & non exaudies; & nocte, & non ad insipientiam mihi, id est, non ad insipientiam nobis, qui eius membra sumus, sed vt sapiamus; non propter istam vitam, in qua nos Deus aliquando vsq. ad morrem in persequentium potestate esse permittit, sed propter illam sempiternam debere nos esse Christianos.

rianos. hoc enim in illo præcessisse intuemur, ex cuius nomine sic vocamur. poterat igitur hoc quidem donare credentibus, vt nec istius corporis experirentur mortem: sed, si hoc faceret, carni quẽdam felicitas adderetur, minueretur autem fidei fortitudo. Sic enim homines mortem istam timent, vt non ob aliud felices esse dicerent Christianos, nisi quòd mori omnino non possent. ideoque nemo propter illam vitam, quæ post istam mortem beata futura est, per virtutẽ etiam contemnendæ mortis, ad Christi gratiam festinaret, sed propter remouendam mortis molestiam, delicatius in Christum crederetur. Plus ergo, inquit Augustinus, gratiæ præstitit, plus fidelibus suis sine dubitatione donauit. Quid enim magnum erat, vidẽdo non mori eos qui crederent, credere se non moriturum? quanto est inaius, quanto fortius, quanto laudabilius ita credere, vt se speret moriturum sine fine videtur? Illa autem fides eneruis & debilis, nec fides omnino dicenda est, quæ visibilia sequitur: quandoquidem fides ita definita est: Fides est sperandarum substantia, conuictio rerum quæ non videntur. vnde etiam in eadem, vbi hoc scriptum est, epistola ad Hebræos, cum cõsequenter enumerasset quosdam qui Deo fide placuerunt; secundum fidem, inquit, mortui sunt hi omnes, cum non accepissent repromissiones; sed à longè eas videntes, & salutates, & confitentes quia hospites & peregrini sunt super terram. Et paulo post, eandem fidei laudem ita conclusit: Et omnes, inquit, testimonium consecuti per fidem, non tulerunt promissiones Dei, Deo nobis meliora prouidete, ne sine nobis perficeretur. hæc laus fidei non esset, nec omnino (vt iam dixi) fides esset, si homines in credendo præmia visibilia sequerentur: hoc est, si fidelibus merces immortalitatis in hoc seculo redderetur. Quamuis itaque Dominus multa visibilia miracula fecerit, vnde ipsa

Vide August
lib 2. de pec-
cas. merito, &
remiss. cap. 33.
& 34.

2. causa.

fides velut quibusdam primordijs lactescentibus germinaret, & in suum robur ex illa teneritudine coalesceret (tanto enim est fortior, quanto magis iam ista non quærit) tamen illud quod promissum speramus, inuisibiliter voluit expectari, vt iustus ex fide viueret, vsque adeo vt nec ipse, qui die tertio resurrexit, inter homines esse voluerit; sed eis demonstrato in sua carne resurrectionis exemplo, quos huius rei testes habere dignatus est, in cælum ascenderit, illorum quoque se oculis auferens, nihilque tale cuiusquam eorum carniam tribuens, quale in carne propria demonstraerat: vt ipsi ex fide viuerent, eiusque iustitiæ, in qua ex fide viuunt, præmium, quod postea erit visibile, nunc interim per patientiam inuisibiliter expectarent. Ad hunc intellectum credo etiam illud (inquit Augustinus) referendum, quod ait de Spiritu sancto: Non potest venire, nisi ego abiero. hoc enim erat dicere: Non poteritis iuste viuere ex fide, quod de meo dono, id est, de Spiritu sancto habetis, nisi à vestris oculis hoc quod intuemini, abstulero: vt spiritualiter cor vestrum, inuisibiliter credendo, proficiat. & ad hunc quidem modum, secundam relictæ miseræ causam diuus Augustinus explicatam reliquit. Huic affinis & tertia causa iungatur: propterea & moriendi necessitatem, & duros atque asperos vitæ labores etiam remisso peccato relictos esse, vt exerceretur probareturque sanctorum iustitia & patientia; quæ probata atque exercitata coronaretur illustrius. Nequaquam enim in morte pro iustitia subeunda vel contemnenda, præcipua patientia laudaretur, si mortis non esset magna multumque dura molestia. Cuius timorem qui vincit ex fide, magnam ipsius fidei comparat gloriam, iustamque mercedem, vnde mirandum non est, & mortem corporis non fuisse euenturam homini, nisi præcessisset peccatum, & post remissionem peccatorum, eam fidelibus

eue-

euenire, vt in eius timore vincendo, exerceretur fortitudo iustitiæ. Caro enim quæ primò facta est, non erat caro peccati: in qua noluit inter delicias Paradisi seruare iustitiam. Ideoque statuit Deus, vt post eius peccatum propagata caro peccati, ad recipiendam iustitiam laboribus & molestiis niteretur. Propter hoc etiã de Paradiso eiectus Adam, contra Eden habitauit, id est, contra sedem deliciarum: vt significaret, quod in laboribus, qui sunt delicijs contrarij, erudienda esset caro peccati. Itaque nunc maiore & mirabiliore gratia Saluatoris, in vltus Iustitiæ, peccati pœna conuersa est. Tunc enim dictum est homini; Morieris, si peccaueris: nunc dicitur martyri; Morere, ne pecces. Tunc dictum est; Si mandatū transgressi fueritis, morte moriemini: nunc dicitur; Si mortem recusaueritis, mandatū transgrediemini. Quod tunc timendum fuerat vt non peccaretur, nunc suscipiendum est ne peccetur. sic per ineffabilem Dei misericordiam & ipsa pœna vitiorum transit in arma virtutum, & fit iusti meritum etiam supplicium peccatoris. Mortui sunt ergo illi, quia peccauerunt; non peccant isti, quia moriuntur: factum est per illorum culpam, vt veniretur in pœnam; fit per istorum pœnam, ne veniatur in culpam: non quia mors bonum aliquando facta est, quæ antea malum fuit: sed tantam Deus fidei præstitit gratiam, vt mors, quam vitæ scimus esse contrariam, instrumentum fieret, per quod transfireretur in vitam. Mirificè igitur, quemadmodum idem Augustinus alibi dicit, cum diuinæ benignitatis gratia iustitiæ pulchritudo concordat, vt, quoniam bonorum inferiorum dulcedine decepti sumus, amaritudine pœnarum erudiamur. Ad has porrò superiores causas & quarta ac-

Lib. De vera relig. c. 15.

4. Causa.

venisset vita. In cælo siquidem regnum, & vitam nobis meliorem iucundioemq. præparauit. Sed in eam quis animum intenderet, qui exploratum haberet, se in hoc mundo sine vlla conflictatione passionis esse victurum? quando præsertim & timor mortis, & caro nostra tot plena miseris, mundus quoque penè suis contritionibus deletus, vix nos mittat ad Deum. Voluit igitur hanc vitam nobis amarefcere, vt dulcescere amplius illa posset: auidiusque à nobis peteretur, & benefaciendo vigilantius quæreretur. Vt enim ad loca munitiora maiore festinatione commigrant, qui ruinâ domus vident contritis parietibus imminere: sic corda Christiana, quanto magis sentiunt mundi huius ruinam crebrescētibus tribulationibus propinquare, tanto magis debent bona, quæ in terra recondere statuerant, impigra celeritate in thesaurum transferre cælestem. Molestiæ (inquit Augustinus) cum in huius vitæ fragilitate crebrescunt, æternam requiem nos desiderare compellunt. Mundus quippe iste periculosior est blandus, quàm molestus; & magis cauendus, cum sese illicit diligi, quam cum admonet cogitque contemni. Et rursus, Per amaritudinem inferiorum, inquit, docetur homo diligere meliora: ne viator tendēs ad patriam, stabulum pro domo eligat. Hoc & diuus Prosper in sententias retulit, estque sententia octuagesima sexta. Quoniam igitur in procliui est, vt cum prosperitas affluerit, mundo hoc delectati, tanquam in patria hîc manere velimus: idcirco spargit benignissimus Deus aduersitatum amaritudines super delectationes nostras, vt nos adhuc in itinere esse inemerimus, neque hîc ciuitatem habere manentem, in qua sit consistendum. nam cum in hac vita, non vt in patria versandum sit, sed per eam quasi iter quoddam transeundum: prouidendum est ne hoc filiis Dei contingat in via morum, quod quibusdam in via pedum:

qui

qui amœnitatibus itinerum, atque ipsa vehiculorum gestatione delectati, conuertuntur ad fruendum his quibus vti debuissent: noluntque citò viam finire, sed eius delectatione implicati, alienantur à patria. Sed & quinta addenda ratio est, quam Augustinus quoque *Causa.* tractatu vltimo in Ioannem attingit: Emendatio videlicet labilis vitæ. nam vel ad demonstracionem, inquit, debet miseris, vel ad emendationem labilis vitæ, vel ad exercitacionem necessariæ patientiæ, temporaliter hominem detinet pœna, quem iam ad damnationem sempiternam reum non detinet culpa. Atqui iustos esse constat eos quos hic dicit Augustinus nulla culpa reos ad damnationem sempiternam detineri: vt intelligamus, iustas non deesse causas, cur & ij qui boni ac verè liberi sunt, flagellis interdum excipiatur temporaneis, cum sic vel expientur delicta vitæ prioris, vel nœui intercurrentium ex infirmitate vitiorum corrigantur. Non ergo virtutis exercitatio, aut cautio futuri lapsus, vt hodie quibusdã videtur, sola ratio est, quâ obrem temporariis afflictionibus subijciantur sæpe numero homines iusti. Quid enim hæc ratio loci in paruulis habet modo renatis? num aut exerceri possunt in ipsa infantia, aut tum metus est ne labantur? quid præterea nobis Scriptura loquitur de viris quibusdam magna laude virtutis excellentibus, vt Davide, vt Ezechia, vt Moyse, vt aliis nonnullis? nonne propterea temporaliter afflictos & punitos, quia peccauerant? Davidem, quia blasphemari fecerat nomen Domini? Moysen, quia non sanctificauerat Dei nomen ad aquas contradictionis? Ezechiam, quia thesauros omnes cū fastu & iactantia barbaris ostēderat? Alios præterea constat multa & magna perpeffos, vt quæ quantaque in eis lateret virtus, tanquam in conspectu omnium ac lucem proferretur, ad exemplum patientiæ; vt Iob, vt Tobiam: alios item, vt palâ fieret in

vt in August.
in T. fil. 40.

in illis, quanti facienda esset gloria Christi, iustitiæ nobilitas, & æterna salus animarum: vt Apostolos, virosque Apostolicos complures. Ego, inquit, ostendam illi, quanta oporteat pro nomine meo pati. Et idcirco discedentes illi à conspectu concilij, gaudebant vel hoc nomine, quòd digni habitii essent, qui pro Christi nomine paterentur. Propterea quoque dictum est, beatos esse qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Beatus etiam Gentium Apostolus, Omnia, inquit, sustineo propter electos. & rursum: Adimpleo ea quæ defunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius, quod est Ecclesia. Denique aliquos legimus vitæ huius quibusdam incommodis laborasse, vt ijs solvendis atque liberandis, diuinæ commonstrandæ virtutis oblata esset occasio: vt Lazarum, vt cæcum natū. Nam neque illius infirmitas erat ad mortem, sed vt eo suscitando, illustris omnibus Christi virtus redderetur. hic verò cæcus natus est, non quia peccauerat ipse, vel parentes eius (in quam suspicionem procliuus ferebatur præceptis Iudæorum cogitatio) sed vt eius restitutione & illuminatione mirabili, manifestaretur gloria Dei. Sed hæctenus propter quas causas variæ & multiplices huius vitæ miseræ relictæ sint, etiam hominibus à peccato liberatis, sufficienter opinor pro instituti ratione docuimus.

*Legatur etiam
Chrysof. serm.
10. in epistola
ad Rom.*

CAPVT III.

*Non omnia huius miseræ vitæ mala propter peccatum
vltiscendum inferri: vbi primum sententia veterum
recensentur in speciem aduersa. Primum
ex Augustino.*

VERVM TAMEN quia significatū est, varias esse afflictionum subeundarum causas, excepta consideratione peccati, non abs re fuerit, si hoc loco illam quæ-

quæstionem attigerimus, quæ aliquando haud paruas turbas dedit: omniāne huius miseræ vitæ quæ accidit mala, ad vltionem & vindictam peccati eius cui eueniunt, pertinere dicenda sint. Nam veterum quidem ea de re sententiæ diuersæ admodum ac propè inter se pugnantes videri cuipiam possint. Quæ propterea ante omnia in medium nobis proferendæ sunt, vt de illis postea iudicari commodius possit. Diuus igitur Augustinus, Sint licet homines, inquit, tanta excellentes iustitia, vt ad eos de columna nubis loquatur Deus, qualis Moyse & Aaron in Sacerdotibus eius, & Samuel in his qui inuocant nomen eius, cuius magnæ laudes pietatis & innocentie Scriptura veridica prædicantur ab ineunte pueritia, ex quo eum mater, votum soluens, in templo Dei constituit, & seruum Domino dedicauit: etiam de talibus tamen scriptum est, Tu propitius eras illis, & vindicans in omnes affectiones eorum. In filios quippe damnationis vindicat iratus; in filios autem gratiæ vindicat propitius; dum quem diligit, corripit, & flagellat omnem filium quæ recipit. Nulla autem vindicta, nulla correptio, nullum Dei flagellum debetur nisi peccato, excepto illo qui in flagella paratus est, vt experiretur omnia secundum similitudinem sine peccato, vt esset sanctus sanctorum sacerdos, interpellans etiam pro sanctis; qui non mendaciter etiam quique de se dicant, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Hæc eo loco. At capite duodecimo eiusdem libri, Nouimus, inquit, Iob non propter peccata, sed propter eius demonstrandam iustitiam, illa omnia fuisse perpeffum. Sed si, vt prius ex eodem Augustino commemoratum est, nullum flagellum debetur, nisi peccato: quomodo Iob flagellatus fuerit non propter sua peccata? quamuis maiorem etiam habeat speciem aduersitatis, quod in ijs Annotationibus, quas in librum

*Libro 1. De
Peccat. meritis
& remissione,
cap. 16.
Psal. 92.*

Cap. 12.

Iob scriptas reliquit, locis aliquot interpretetur beatum virum dicere se propter sua peccata pati: velut in illa capitis 9. Verè (cio quia ita est: Id est, inquit Augustinus, quia secundùm iniquitates meas hoc mihi restituit; sed non sicut arbitramini, sed quia nemo est in conspectu eius iustus, non respondebunt ei vnum pro mille. Rursum ad illa capitis vigesimi tertij, Et quidem scio quia de manu mea est increpatio: Id est, inquit, de peccatis meis. Et cùm in Eliu verba commentatur, quem dicit à Scriptura commendatũ, quia in prophetia locutus sit: Ea ipsa, inquit, quæ patiebatur Iob, verba Dei dicit esse in veritate, & non iniusta: sed ab isto iniustè intelligi existimat, quem putat conqueri se immeritò pati: cùm etiam de iustorum tribulatione dictum sit, Tempus est vt iudicium incipiat à domo Domini. Huius porò ratione Scripturæ, cui similis illa est secundæ ad Thessalonicenses capite primo, Quas tribulationes sustinetis, in exemplũ iusti iudicij Dei: scribit idem Augustinus in inchoata expositione epistolæ ad Romanos, tantam esse diuinæ iustitiæ constantiam, vt cùm pœna spiritalis & sempiterna pœnitenti fuerit relaxata, pressuræ tamen cruciatuque corporales, quibus etiam martyres exercitatos nouimus, postremò mors, quam peccando meruit nostra natura, nulli relaxetur. Ipsa est, inquit, quæ in sacris Scripturis etiam disciplina nominatur, quam nemo iustorum effugere potest. Neminem quippe excepit, cùm diceret: Quem enim diligit Deus, corripit, flagellat autem omnem filium quem recipit. Vnde etiam ipse Iob, qui propterea multa passus est, vt hominibus, quis esset vir, & quãtus Dei seruus, eluceret; pœnas tamè pro peccatis suis se exsoluere, sæpe testatur. Et rursum in Psalmũ 78. Satis ostenditur, inquit, propter peccata hominibus, licet fidelibus, has fieri tribulationes: quamuis hinc florescat martyrũ gloria, merito

merito patientiæ, & piè sustetato, in flagello Domini, moderamine disciplinæ. hoc Machabæi inter sũuissima tormenta, hoc tres viri inter noxias flammas, hoc Prophetæ sancti in captiuitate testantur. Sunt & alia apud Augustinum eiusmodi, quæ studio breuitatis omittimus, vt aliorum quoque Sanctorum sententias citiùs adiungamus.

CAPVT IIII.

Ex Ambrosio.

D I V S igitur Ambrosius de sancto viro Iob verba faciens libro secundo de interpellatione, Increpabant, inquit, vehementer sanctum Iob, Eliphaz Themaneorum Rex, & Baldach Suitheorum Tyrannus, & Sophar Naamatenorum Rex: eo quòd propter peccata sua tantum supplicij sustineret. Infirmo etenim ingenio, non aduertebant quòd Dominus eum tentandum dedisset, vt athleta Christi tentationibus eruditus, ad maioris gloriæ coronam perueniret. Non videntes igitur tantum sapientiæ sacramentum, angusti cordis timore, ne viderentur iniustitiæ Deum arguere, qui pœnis affici innoxium pateretur, in sanctum Iob pœnarum merita retorquebant, dicentes: quia omnis vita impij in solitudine, & diuitiæ iniustè cõgregate euomentur, omnia quæ patitur homo grauiã in terra, propter peccata sua eum perpeti. Rursum libri primi capite quarto, Vnum, inquit, solatij genus est in ærumna & in amaritudine constitutis, à culpa vacare: vt ea quæ perpetiuntur aduersa, non pro delicti pretio sustinere videantur. hoc quoque sancto viro adimere gestiebãt, vt videretur ipse suæ auctor ærumnæ, qui peccatis grauibus contraxisset offensam, & pro impietatibus suis illa toleraret: describentes impiorum supplicia, qui vitia fererent, & meterent sibi dolores. hęc au-

tem

tem cū sic dicat Ambrosius, tamen idē libro quarto eiusdem operis de interpellatione capite secundo: Iustus, inquit, etiā si in equuleo sit, semper iustus est; quia iustificat Deum, & minora se peccatis suis dicit sustinere. hoc ergo si iustus agnoscit, quonam modo quisquam alienum à se iudicabit esse, propter peccata sua se perpeti? quonam modo hoc iustus erit solatio in afflictione & ærumna constitutis, si se cogitent culpa vacare, qui cogitare debeant minora se suis peccatis sustinere? Iam diuus Chrysostomus homilia in Matthæum quadragesima secunda, talem eorum qui affliguntur partitionem descriptam reliquit: Vniuersorum hominum alij & hīc, & in futuro seculo supplicia dabunt: alij in præsentī tantummodo vita: alij dumtaxat in futura: alij nec in præsentī nec in futura. Ibi solummodo, vt diues ille qui nec guttæ vnius aquæ dominus est. hīc autem tantum, vt qui apud Corinthios fornicabatur. Neque hic verò, neque ibi, sicut Apostoli & Prophetæ: sicut beatus ille Iob, inquit, ceteriq. eiusmodi: non enim ad punitionem aliquas passiones hīc susceperunt, sed vt clariùs in luctamine vicisse cognoscerentur. Ad eumq. modum & de sancto Abele locutus est libro secundo de prouidentia, tomo secundo. Et hæc quidem illis in locis. Alibi verò generatim affligi ac puniri docet iustos, quia nemo ita possit esse bonus, vt nulla habeat omnino peccata. propterea ergo iustum pœnas luere, vt peccatis omnibus depositis, probatus emigrēt. Ac de Lazaro subiungens exemplum, annotat propterea scriptum quòd receperit mala, quia sit ea passus ex debito, vt à peccatis purior euaderet. denique cū rebus aduersis premimur, gaudere nos oportere, quòd ea sit peccatorū expiatio.

Ex Chrysostomo.

Homo. 167. ad
populum An-
tiochenum.

CAPVT

CAPVT V.

Ex Cypriano.

DI VVS Cyprianus in libro de exhortatione martyrij, sic ad martyrium Christiani hominis animum confirmat, vt dicat nullam esse excusationem ei pro se non patienti, cū sit Christus pro nobis passus. Et rursum, quia sit ille passus pro peccatis alienis, multo magis pro suis vnumquemque pati oportere: quid aliud insinuans, quàm martyres Christianos hoc differre à martyrum principe Christo, quòd hic pro peccatis alienis passus sit, illi verò pro suis peccatis torqueantur? In sexto quoque Machabæorum martyre non solum virtutem, sed etiam humilitatem prædicandam esse ostendit: quòd nihil sibi vindicari, nec confessioni suæ honorem superbis vocibus ventilarit; sed peccatis suis potiùs adscripserit, quòd perfectionem à Rege pateretur. Quid verò idem paulo pòt? nempe id quod in cōtrariam possit cogitationem abducere. illic enim filios martyres propter sua peccata punitos significare videtur. At subiungit tamē, omnium matrem, quæ nobis Christi Ecclesiam adumbravit, non ita iudicasse. Admirabilis, inquit, mater, quæ nec sexus infirmitate fracta, nec multiplici orbitate commota, morientes liberos spectauit libenter, nec pœnas illas pignorum, sed & glorias computauit.

Idem libro 4.
epistolarum,
epistola 6. ad
plebem Thi-
bari consist.

Lib. 2. Mach.
cap. 7.

CAPVT VI.

Ex Hieronymo.

DI VVS Hieronymus in epistola ad Rusticum, cuius exordium, Quòd ignotus ad ignotum, & cetera: cū docere vellet, necessariam omnibus esse pœnitentiam; quia nemo vitam ageret sine peccato; de beato quoque Iob exemplum attexuit eiusmodi ver-
h h bis:

bis: Et Iob, inquit, qui iustus & immaculatus, ac sine querela, in principio voluminis sui describitur, postea & Dei sermone, & confessione sui, peccator arguitur.

- Cap. 38. sicille. Ac Dei quidem sermone peccator arguitur, cum ei dicitur: *Quis est iste inuoluens sententias sermonibus imperitis? & rursus: Nunquid irritum facies iudicium meum, & condemnabis me, ut tu iustificeris? Sui verò confessione; quia respondens Iob Domino, dixit: Qui leuiter locutus sum, respondere quid possum? manū meam ponam super os meum. Vnum locutus sum, quod utinam non dixissem; & alterum, quibus ultra non addam. Ac iterum: Ideo, inquit, insipienter locutus sum, & quæ ultra modum excederent scientiam meam. Idcirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in fauilla & cinere. hæc beati viri humilis, & proculdubio vera confessio. Et quamuis quid illud vnum & alterum sit, definiri pro certo, ægrè possit, tamen cum hoc illi Dei sermone impingatur, quod eum condemnarit, ut seipsum iustificaret; ad ea videtur esse respiciendum, quòd se à Deo sine causa significarit attritum; & si peccata eius appenderentur in statera, præponderaturam esse afflictionem, quam patiebatur, & instar arenæ maris, grauiorem deprehendendam. Et rursus: Saltem, inquit, nunc intelligite; quia Deus non æquo iudicio afflixerit me. Et iterum: Hæc passus sum absq. iniquitate manus meæ, cum haberè mundas ad Deum preces. Quòd si hæc sunt, quæ & Dei sermone, & ipsius Iob confessione, sunt reprehensa, in hisque vir tantus peccator agnoscitur, iuxta beatum Hieronymum: non ergo passus est grauiora quàm suis peccatis merebatur; non sine causa ergo afflictus est; nec sine culpa, quia non absque iniquitate manus suæ. Atqui Hieronymus idem in vita Paulæ, siue ex ipsius, siue ex sua persona, de illo ipso Propheta sic scripsit Iob, inquit, nisi certasset & vicisset in prælio, non*

acce-

accepisset coronam iustitiæ, nec audisset à Domino: Putas me aliter locutum tibi, quàm ut appareret iustus? Et adiungit: Beati dicuntur in Euangelio qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Secura sit conscientia, quòd non propter peccata patiamur; & afflictio in seculo, materia præmiorum est. In ea quoque epistola quam ad Castrutium scribit, consolans ve oculorum cæcitatem ferret leuius, Obsecro, inquit, ne imbecillitatem corporis quam sustines, de peccato tibi existimes euenisse; quòd quidem & Apostoli suspicantes de eo qui natus erat cæcus ex utero, interrogantesq. Dominum Saluatorem, Iste peccauit, an parentes eius ut cæcus nasceretur? audiunt, Neque hic peccauit, neque parentes eius, sed ut manifestentur opera Dei. Hic tamen ipse Hieronymus ad Cyprianum presbyterum scribens, atque illum explanans Psalmi versiculum, Quoniam omnes dies nostri defecerunt, & in ira tua defecimus; breuitatem humanæ vitæ, quotidianumq. defectum, quo sensim ad interitum properamus, adscribit iræ Dei atque sententiæ illi: In quacunque die comederis, morte morieris. Quæ sententia, inquit, Dei adhuc perseverat & viuunt in nobis. Atque hoc ille ita dixit, secutus diuum Cyprianum ex Sermone De Patientia. Si ergo huius sententiæ vigore morimur, & ad mortem, ut malorum extremum, varia corporum imbecillitate deuoluimur; quomodo non de peccato & mors & cæcitas omnisque imbecillitas corporis humani descendit? In ea quoque epistola quæ est ad Paulam, de obitu Blefillæ, Consideremus, inquit, quid ethicus ille Psalmus sonet: Iustus es Domine, & redit iudicium tuum. hoc non potest dicere, nisi ille qui ad vniuersa quæ patitur, magnificat Dñm, & suo merito impetrat, in aduersis de eius clemètia gloriatur. Quod si ita est; quo pacto igitur Castrutio dicitur, ne de peccato sibi cæcitatè euenisse putet, si debuit id suo merito impurare?

h h 2

CAPVT

CAPVT VII.

Ex Prospero, Gaudentio Brixiano, & Leone.

PROSPER item Rhegiensis Episcopus, libro secundo De vocatione Gentium, affirmat, morbis, debilitatibus, vulneribus, non solum annos aut menses, vel dies ætatis humanæ; sed & omnes horas, omniaque momenta subiecta esse; nec vllum esse mortis genus, aut obeundi modum, cui non sit quisque ex ipsa conditione mortalitatis obnoxius: atque ex hac ipsa communi conditione omnes in omnia casuros mala, nisi esset in vno omnium debito, quod & misericors Deus remitteret, & iustus exigeret. quibus rebus quid efficitur aliud, quam omnia omnibus mala deberi? & si exigantur, per iustitiam id fieri; vt ad misericordiam pertineat, remisisse? Deberi autem cuique quonam modo possunt, nisi ob peccatum? neque enim obnoxius & subiectus esse miseriæ quisquam videtur posse, nisi peccati merito. Præsertim quia illud graue iugum, cui hoc Prosper adscribit, & ipsa mortalitatis conditio, omnibus omnino communis, de peccato procul dubio, sicut docet ipse, descenderit. Cur ergo propter peccatum hac cõsideratione non omnes omnia pati dici possunt? Quid? quod generalem esse hæc vult regulam, cum aduersus collatorem scribit, vt ibi patere culpam æstimemus, vbi pœna non lateat? Pater, inquit, culpa, vbi non latet pœna. At idem Prosper libro De vita contemplatiua tertio docet, cognitionem rerum, quæ de prudentiæ fonte confertur, cum ad alia multa percipienda salubriter, tum ad hoc quoque valere, vt homines ea imbuti, dolores varios, ac diuersas infirmitates, quæ mortaliter viuentes affligunt, non semper peccatis præcedentibus sequi; sed plerunque ex ipsa conditione mortalitatis accideret corruptibiliter natis, intelligant: vt scientes se nõ damnari aduersis

Lib. 3. c. 13.

sis præsentibus, sed probari, ex ipsa tolerantia passivum occasionem comparandæ sibi patientiæ, viriliter agentes, arripiant. Ex quibus colligitur id, quod præcedenti conclusioni repugnare videtur, non omnia quæ eueniunt quibuslibet hominibus aduersa, propter peccata euenire, idque vt intelligatur, ad prudentiam hominis Christiani pertinere. Cui consonat quod idem auctor habet in Epigrammate quinquagesimo tertio:

Oppressus quoties iustis dominantur iniqui,

Non est puniti supplicium meriti;

Sed virtus fidei sub tali examine crescit.

Scribit in eandem sententiam Gaudentius Brixianus, diui Ambrosij, vt apparet, contemporaneus. Quoniã, inquit, desiderio tuo negare non potui operam postulatam, breuiter tibi prius ostendam, non semper ægritudinum plagas pro peccatorum cumulo nostris corporibus irrogari. Humani corporis natura, ex quo sententiam mortalitatis exceperit, Tu terra es, & in terram ibis; infirmitatibus variis subiacet, sine discretione cuiusquam. & quamuis peccatores nos esse salubriter fateamur, non tamen vel ex vigore, vel ex debilitate carnis, meritorum ponderandæ sunt qualitates: cum frequenter idolorum cultores, sanitate corporis, & bonis huius seculi perfruantur: & è contrã diuino cultui inhærentes, ægritudinum ac tribulationum vexatione quassentur. Id quod multis è veteri & nouo Testamento productis exemplis declarat. Post quæ, Ad hæc inquit, seruatur pœnam prosperitas impiorum. Pietatis verò cultores quod varijs tribulationibus afflicentur, triplex esse ratio inuenitur. Prima, correctionis: secunda, purgationis: tertia, probationis. Has causas & rationes exemplis explicat: & in postrema causa & ratione ponit Iob. Denique post multa, Si peccator es, inquit, agnosce pro correctione tua esse quod cæderis, vel certe pro purgatione. Si autem iustus es, nomen

Tom. 6. Bibliotheca Patrum Sixti Senensis fol. 43 in præfatione sui tractatus.

quidem iusti præsumere non audebis; intelliges tamē ad gloriæ tuæ probationē, euenire quod pateris. Quid verò sanctissimus Pontifex Leo? Apertissimè quidem Serm. 7. de Epiphania Domini, Si quid, inquit, laboris incidimus, nunquam nisi nostro merito sustinemus, Quis enim gloriabitur castum se habere cor, aut mundum se esse à peccato? Et, dicente beato Ioanne, Si dixerimus quia peccatum non habemus, quis inuenitur ita immunis à culpa, vt in eo non habeat vel iustitia quod arguat, vel misericordia quod remittat?

CAPVT VIII.

Ex Gregorio Magno.

NON præteribimus sanctum Pontificem Gregorium, quem docere constat, atque etiam inculcare, beatum Prophetam Iob, non propter sua peccata & merita, omnia illa fuisse perpeffum. Cum enim genera percussionum recenseret, Alia, inquit, percussio est qua peccator percutitur, vt sine retractatione puniatur: alia qua peccator percutitur, vt corrigatur: alia qua nonnunquam quisque percutitur, non vt præterita corrigat, sed ne ventura committat: alia qua plerunque percutitur, per quam nec præterita culpa corrigitur, nec futura prohibetur; sed dum inopinato salus percussione sequitur, saluati virtus cognita ardentius ametur, cumque innoxius flagello atteritur, ei per patientiam meritorum summa cumuletur. Ac postea singula hæc genera percussionum declarans exemplis, ad postremum genus beatum Iob pertinere demonstrat; quem amici dum percussione genera, inquit, distinguere nesciunt, percussum pro culpa crediderunt. Et libro nono Moralium, ad illud, Multiplicabit vulnera mea sine causa; vt sæpè, inquit, iam diximus, nequaquam Iob percussus est, vt in eo percussio vitium

vitium tergeret, sed vt meritum augetet. Et libro decimo sexto, capite vigesimo, Flagella bonorum, inquit, aut vitia perpetrata purgant, aut ea quæ poterant perpetrari futura, deuitant: beatus autē Iob in flagello positus, nec à peccatis præcedentibus purgabatur, nec ab imminentibus tegebatur; sed eius tantummodo in flagello virtus augebatur. Hæc, aliaque similia diuus Gregorius, cum beati Iob meminit: quæ eò videlicet spectant omnia, ne propter sua peccata puniendi vel corrigenda, afflictus fuisse credatur. Sed idem ille nihilominus Pastoralis sui parte tertia, admonitione decima tertia, cum demonstrat quomodo afflictus & ægri admonendi sint, diuersum quiddam possit videri tradidisse. producta enim ex epistola ad Hebræos scriptura, Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris, cum ab eo argueris: quem enim diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit: mox subiugit: Hinc Psalmista ait, Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus. hinc quoque beatus Iob, in dolore exclamans ait, Si iustus fuero, non leuabo caput, saturatus afflictione & miseria. Quid his significat, nisi beatum Iob fuisse tanquam filium castigatum à Domino, qui non ita iustus esset, vt leuare caput posset? Et addit, admonendum ægrum esse, vt si cælestem patriam suam esse credat, necessariò in hac labores velut in aliena patiat. Idcirco enim in ædificatione templi Salomonis, lapides extra tonsos esse, vt in constructione templi Domini absque mallei sonitu pònerentur; Quia videlicet nunc foris, inquit, per flagella tūdijmur, vt intus in templum Domini postmodum sine disciplina percussione disponamur; quatenus quicquid est in nobis superfluum, modò percussio refecer, & tunc sola nos in ædificio concordia charitatis liget. Denique in fine eiusdem admonitionis, Cur, inquit,

Cap. 9. præfatione in Iob.

Cap. 16.

Cap. 12.

Iob 10.

asperum credatur, ut à Deo homo toleret flagella pro malis, si tanta Deus pertulit ab homine mala pro bonis? hoc insinuat, quod supra diuus Cyprianus, eo discrimine hominem à Christo seiungi; quòd quisque nostrum patiatu à Deo pro suis peccatis & malis, eum ille pro bonis quidem passus sit suis, pro peccatis verò & malis alienis.

CAPVT IX.

Quanam esse queat ratio conciliandi supra positas veterum sententias.

HANC tam apparentem sententiarum aduersitatem, quæ pluribus tamen demonstrari potuerat, idcirco subiendam oculis duxi, ut neque mirum videretur, si in pugnantem assertiones distraheretur eruditorum hominum studia, & ut aliqua, si inueniri posset, conciliandi ratio quaereretur. Ad eam verò inueniendam adiumento forsitan fuerit, si adhibita distinctione, aliam statuerimus generalem malorum huius vitæ causam, & communem originem, tanquam fontem atque principium, unde hæc cuncta manarunt: aliam unicuique peculiarem ac propriam: si deinde fructum quendam atque utilitatē afflictionis ab eius proprio & principali fine seiunxerimus: denique si animaduernerimus, non parum interesse, quid de seipso quisque humiliter agnoscat, & quid de alijs pronunciet. Fontem ergo mali totius, statusque huius ærumnosi principium ac meritum commune, constat esse primam illam duorum hominum offensam, ex qua omnium vitiata natura est; & sic vitiata, ut ex origine sua, quemadmodum Augustinus docet, omnibus esset dignissima pœnis. Per unum enim hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & sic in omnes homines pertransijt. Eam ob causam non dubi-

dubitauit Apostolus dicere, non de illorum dumtaxat duorum corporibus, sed omnium generatim: Corpus mortuum est propter peccatum. Nō propter fragilitatem terrenam, quia de terræ puluere factum est; sed, Propter peccatum, inquit: quod interpretatur Augustinus dictum, quia per peccatum etiam corporis mortem genus humanum meruerit. Si autem mortuum propter peccatum, cur non & aliis obnoxium incommodis quæ morte minora sunt? Iussit enim nos cædi Dominus noster, inquit Augustinus in Psalmum 122. & in hac vita vapulamur; & tota ista vita mortalis, plaga nostra est. Quis ergo ad hanc communem miseriam multiplicis causam respiciens, non & in seipso, & in aliis, iustam Dei seueritatem agnoscat? hoc nimirum agnoscebat ille qui dicit: A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus: propter iniquitatē corripuisti hominem. Itaque communis huius peccati vitiataque originis, quicquid accidit in rebus humanis aduersum & asperum, iusta, si eius intuitu inferatur, correptio est, iustaque damnatio. Nam si putatur Deus, nullo etiam præcedente peccato, hominem innocentissimum affligere iuste posse, propter aliquas sapientiæ eius probatas rationes, quòd præter ordinatas ab eo leges fieri posse non dubium est: quanto iustior videri debet omnis quæ naturæ iam vitiata contigerit afflictio, antecedentis culpæ contemplatione? Nec verò propterea nulla est vnquam afflictorum gloria, si ab iis, quicquid pati coguntur, exigi potuerit huius communis consideratione peccati. gloriosam enim afflictionem reddit iustitia, propter quam patiuntur: illustres sanctorum passiones efficit Christi nomen, propter quod fortiter suscipiuntur: vsque adeò, ut & tantillos infantes ea causa martyres fecerit gloriosos; reterquam si fuissent occisi, sicut multi in ipsa occiduntur infantia, tanta proculdubio gloria caruissent.

*Cap. 4 lib. 1.
De peccatorum
meritis & re-
miss.*

Psal. 38.

Nam debetur mors ipsa quidem ab vnoquoque nostrum ex illa communi & antiqua obligatione peccati; sed quod eo nomine debetur, potest alio titulo exigi; tanquam si martyri diceretur: Cùm moriendum semel tibi sit, vario: que possis cruciatus vel morborum, vel vulnerum sub meæ iustitiæ lege subire; nunc hoc, vt pro iustitia, meoque nomine suscipias, exigo. Quod itaque iustitiam habet, si ad primam illam & generale peccati causam referatur, id nunc habet gloriâ & gratiam quandam singularem, cùm vltro atque ex charitate propter Christi & Dei nomen impenditur; fitque hac ratione pretiosa mors sanctorum in conspectu Domini, quem sua morte clarificant. Cùm ergo dicitur à nonnullis, mortem eam que per iustitiam ob perpetratum scelus exigitur ab homine, velut si quis patiatur vt homicida vel seditiosus, non habere gloriam, quamuis possit patientiæ merito non carere: ergo ad similem modum, si iuste quisque possit, tanquam ex origine prima peccator, à Deo occidi, vel etiam torqueri, atque exquisitis affici suppliciis; nullam fore gloriam si ea pertulerit. id, inquam, quod sic dicitur, aliquanta probabilitate diceretur, si quod ponitur, fieri posse per Dei iustitiam, peccati communis intuitu, hoc etiam eo proprio respectu fieret, & non alia quæpiam, per Dei dignationem, melior moriendi causa vel concurreret, vel se pro illa subijceret. Nam & illi qui Reipublicæ præsumunt, si quos perniciosæ doctrinæ reos ignominia velint afficere; interdum vt seditiosos interimunt, ne possint titulo martyrij gloriari: & è diuerso, si quos comprehenderit homicidij pœna dignos, quorum velint honori consultum; eò destinant, vbi fortiter pro ciuitatis salute decertantes, honesta morte perfungantur. Tale quiddam agitur cum nonnullis, benignissima dispositione Dei; vt qui tanquam peccatores malè tractari potuerant, nunc ab eo tanquam

quam Christiani in persequentium manus tradantur, ab iisque trucidentur, vt sicut Christum percussit tanquam innocentissimum agnum, non odio innocentiæ; sed vt gloriosissime fructuosissimeque tam iustus pro iniustis moreretur: ita nunc ab eo Christiani tradantur morri, quia Christiani, non odio Christianismi, sed vt præclara morte honestentur, quos ita censuit honorandos. Sic planè quod Augustinus ait, peccati pœna in vsum iustitiæ conuertitur, fitque meritum martyris, quod alioqui futurum erat supplicium peccatoris.

CAPVT X.

Non esse dicendum, martyres in vindictam suorum peccatorum à Deo interfectos.

IAM si dprè dixerimus, sanctos martyres propter originale peccatum interfectos, quibus propria moriendi causa fuit ipsa iustitia; quanto minus dicendum est, quicquid passi sint, id omne propter sua peccata, omnes fuisse perpeffos? Etenim hic sermo proprias quoque culpas complectitur; quæ etsi graues ita præcessissent, sicuti nonnullis antea fornicarijs vel adulteris vel homicidis contigisse legitur, vt propterea possent cum cruciatu necari: non tamen eo propriè nomine cruciatus subire coguntur, sed patiuntur propter Christum: in quo inest martyrij excellēs quidam honos, de Domini, quemadmodum Cyprianus ait, dignatione proueniens; vt non magis dicere debere videamur, martyres quæ passi sint, propter sua peccata principaliter esse perpeffos, quam quemquam à Deo propter sua peccata eximio quodam honore condecoratum. Quia tamen dura & acerba inest afflictio, bene in ea quisque suum peccatum, prout sibi conscius est, agnoscit, eiusque consideratione diuinam prædicat iustitiâ, propterea quòd tam graui percussione dignum

Lib. De mortalit. & lib. 4. epist. 6.

se esse fateatur anteaetæ vitæ criminibus; velut si martyr Hippolytus iusta se pati humiliter & veraciter agnouerit, quia schismati Nouatiano quondam adhæsisset, quem tamen quis dicat mortem propter illius propriè schismatis meritum subiisse? aliud enim est tormentum pati culpa dignum; aliud torqueri propter culpam: & aliud afflictionem cum venerit, non iniustam esse, comparatione delicti, aliud eam sibi peccando conciliaffe atque aduocasse. Itaque & beatus Iob, licet quasdam agnouerit in vita sua maculas, quarum intuitu iuste se pati fateretur, sicut visum est quibusdã auditoribus; tamen neque eiusmodi fuerunt, vt tantam ei calamitatem conciliauerint, neque eius sibi conscius fuit, quòd iram Domini ad tantum supplicium prouocasset; quamquam hoc amicis falsò videretur, eaque ratione vir sanctus ab ijs vexaretur. Nec ipse postremò Deus aut propterea sic eum afflixit, aut sic vnquam afflixisset, nisi quanta in eo viro lateret iustitiæ & innocentia firmitas, ad exemplum patientiæ proferre voluisset. Ideoque idoneus fuit qui etiam pro alijs interueniret, qui nullo suo crimine premebatur. quis enim alioqui virum illum affirmet sine vllò vixisse peccato, quando & Apostolorum vox est: Si dixerimus quòd peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est? aut quis peccati venialis offensam sic habet certò pondere libraram atque examinatam, vt pronuntiare audeat secundum seuerum Dei iudicium, non posse tantò huius vitæ supplicio castigari, quæ futuri seculi grauioribus pœnis, sed temporarijs tamen subinde flagellentur? Eam quoque ob rem diuus Gregorius, qui sanctum virum excessisse aut peccasse negat locis compluribus, tamen grauiora intellexisse peccata per hoc indicatur, quòd, cum eius puritatem & innocentiam eo demòstrasset argumento, quòd pro amicis delinquentibus intercesserit, continuò

tinuò subiungit: In grauibz namque peccatis quis positus, dum luis premitur, aliena non diluit. Non ergo sanctum virum propria vlla peccata premebant, nò quia nulla omnino essent, sed quia tam grauia non essent, vt eum vnquam quasi pondere suo depressura fuissent in tantam calamitatem. Nò enim afflictus est vt peccator, sed probatus vt iustus, vt etiam in eo inuocèttissimi Christi quædam adumbratio præcederet, cuius proculdubio personam tantus Propheta sustinebat. Et quoniam Christum non in capite dumtaxat, verum etiam in corpore præsignabat, in quo membrorum magna est varietas, multique firmioribus infirmi iunguntur: quis asserat, & duriora illa eius verba quæ subinde occurrunt, & illã tantam pœnitentiã in fauilla & cinere, & tam grauem reprehensionem, non magis per altitudinem mysterij, ad alios qui futuri erant in Christi corpore, quàm ad ipsam personam Iob esse referenda? Et sanè inter ipsa peccata venialia (quæ sola in eo viro ponere fas est) permagnum sæpe discrimen inuenitur, cum sint alia fixa & permanentia, alia subititia quibusdam animi moribus, & tanquam volaticis cogitationibus celeriter abeuntia. multa item in his diluendis iustorum diuersitas, quibusdam sese illis, quòd minora putetur, securius obuoluentibus; alijs & summa cura cauentibus, & studiosissimè expiantibus, quorum sibi conscij sint, atque in reliquis vsurpantibus illud: Ab occultis mûda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo. In excellentioribus certè quibusdam animis haud dubium est locum habere quod diuus Ambrosius de Ioanne scripsit: Si quid in eo vitij fuit, charitas diuina decoxit. Nec dubium illud etiam, in hoc numero beatum Iob claruisse: qui omnia sua opera verebatur, sciens quia non parceret Deus delinquenti: qui expiandis etiam filijs tam sedulus operam dabat, ne fortè offendissent: vt non facilè existimandum sit,

Cap. 6. Præfa.
Vide Aug. lib.
2. De peccatorum moribus,
& remiss. cap.
10.

Vide August.
in Psal. 103.
concl. 4. qui
omnia que apud
Iob videntur
aspera & blasphemata,
dicit habere intellectus
sicut, vt nusquam
in eis ille sit
Lapsus.

In Psal. 112.

fit, in tanta iustitiæ excellentia remāsisse; quod ex proprijs personæ peccatis dignum esset tot tantisque tormentis. Et idcirco beatus Augustinus in eo libro qui est De perfectione iustitiæ, cū illud produxisset ex Iob capitis noni, Multas contritiones meas fecit sine causa; Non ait, inquit, nullas fecit cum causa; sed, multas sine causa. Non enim propter multa peccata eius factæ sunt ei multæ contritiones; sed propter probationem patientiæ. Nam propter peccata sine quibus, ut alibi confitetur, non fuit, pauciora se pati debuisset iudicat. Sic Augustinus. Veruntamen si spectetur coherens aliquis afflictioni fructus, quis dubitet, sanctū Iob tota hac percussione mirè purgatum, & auro puriorè effectum esse? Sed nec hoc quidem, ut purgaretur, tantæ afflictionis proprius & principalis finis fuit; verūm ut eius, sicut dictum est, iustitia illustrior appareret. Id enim insinuat Augustinus scribēs in Psal. 100. eiusmodi verbis: Accepit diabolus Iob tentandum, sed non opprimendum, purgandum, sed non euertendum; aut fortè nec purgandum, sed probandum. Quod si nec propter repurganda leuiora, quæ fortè inerāt, peccata, grauitè aded attritus sit, quamuis enim fructum ex percussione flagello ceperit; quanto minùs dicendum est, ad vindicanda vlciscendaque peccata, hæc illum vniuersa fuisse perpeffum? Ad grauiora quippe delicta referuntur hæc propriè verba vindicandi atque vlciscendi, in quibus delictis diuinæ maiestatis iniuria est, quam nolit ille impunitam relinquere: leuiora verò errata à præceptoribus in discipulis, à patribus in filijs, & in vxoribus à viris castigantur, flagellantur, corripuntur, non vltione vindicantur. quis enim leuem ferulæ verberationem, quæ ob puerilem lapsum fiat, vindictam aut vltionem appellet? Vsq̄ adeo verum est igitur, nullam nisi peccato vindictam & vltionem deberi, ut nec cuius culpæ, sed grauiori debeatur.

Quam-

Quamobrem qui diceret, in beatum Iob, aut martyres quoscuque vindicatum vltimū que esse in ijs quæ pertulere cruciatibus; is profectò, sermone ipso graues eorum in Deum iniurias significaret existitisse. Nec verò leues fuere culpæ, de quibus scriptum est: Tu propitius eras illis, & vindicās in omnes affectiones eorum. Siquidem & magnos quandoque viros grauitè labi contingit, & ea facere quæ ad Domini redundant iniuriam: quemadmodum & Aaroni in eo quòd insipienti populo permisit idolum facere; & Moyfi ad aquas contradictionis cōtigit; & Samuēli forsitan iam senī, quòd filios suos iudices constitutos, & post auaritiam declinantes peruertentesque iudicia, non amouerit priuaritque iudicandi potestatem; sed leniùs agens, sicut Heli, malè tolerarit. quamquam neque hoc refugiam, quin sermone interdum minùs accurato, omnē pœnam possimus appellare vindictam. Et omnis quidem propter peccatum punitio est; sed non omnis afflictio cuique irrogatur in peccati propriè pœnam: vltique aded ut nec illa cæcitas eius, qui sic natus erat, quamuis de peccati communis fonte manaret, immissa fuerit ad pœnam, sed ad Dei gloriā illustrandam. nec enim hoc semper Deo propositum est, cū ærumnas iniungit, ut eorum quos affligit, peccata persequatur. Atque hoc interdum ad consolandum pertinet eos qui afflicti sunt, ne sibi de peccato putent accidisse quæ sustinent: non quòd illa cōmunis mali negetur origo, vel etiam culpa communis, quam saltē culpam agnosci Prosper voluit, vbi pœna non lateret: sed quia sibi bene conscij, & de bona conscientia fidentes ac læti, nullis se proprijs delictis iram Dei pro-uocasse existiment, ut hæc merito suo præ alijs pateantur: possintque dicere quod beatus Ambrosius sanctum Iob amicis, grauiorum scelerum ipsū in simulantibus, respondentem facit: Si videor quasi homo

perpe-

Psalm. 98.
Vide August.
in Psal. 98.

Lib. 1. Regum
cap. 12.

Lib. 3. De
terpell. cap. 3.

perpeti, commune est istud: increpari non debeo: infirmitas conditionis est, non specialis improbitas. Denique quid de alijs pronunciemus, quidque de nobis sentiamus, interest plurimū. quod enim requirit beatus Apostolus, ut inuicem superiores arbitremur, id postulare videtur, ut alios quoque nobis æstimemus esse meliores, quod facimus, si defectus lapsusque nostros serio ponderantes, in alijs consideremus ea dumtaxat quæ pertinent ad prouocationem charitatis. Ita fit, ut de alijs optimè sentientes, quorum culpas non nouimus, dicamus, eis aduersa non euenisse de peccato, sed alio quopiam Dei consilio accidisse. Neque enim in alienam accusationem pronos esse nos decet, sed in partem meliorem, quantum res ipsæ ferunt, accipienda sunt vniuersa. Ad nos verò cum venimus, sequimur illud rectius, quod iustorum significatur esse propriū, ut nos ipsos statim accusemus, culpique nostris, quæ patimur adscribamus, non sanè mendaci confessione, sed planè humili & vera agnitione nostri. vbi interdū hoc singularis Dei timor facit, ut magna depretemur etiam quæ parua sunt. Itaque in tribulationibus suis, inquit Augustinus, quod eas non immeritò patiuntur, tribuere Deo veritatem, sanctorum est vtitata confessio. Ita regina Hester, ita sanctus Daniel, ita tres viri in camino, ita sanctitatis eorum alij socij confitentur. Est & huc tamen reuocandum quod idem Augustinus libro quarto contra Donatistas capite secundo, & libro sexto capite trigesimo primo scribit, diuinus Cyprianū in quadam epistola sua, quæ est libro quarto epistolarum quarta, trāsfigurasse in se, quomodo sanctus Daniel fecerat, peccata populi sui. Nam inter multa mala quæ commemorat, etiam hoc ait: Seculo verbis solis, & non factis renunciantes: quemadmodum & illi in fornace sanctissimi viri, quia in veritate, inquit, & iudicio induxisti omnia hæc, propter peccata nostra.

Pecca-

Prou. 18.

In Psal. 118.
concl. 29.

Dan. 3.

Peccauimus enim & iniquè egimus, recedentes à te, & deliquimus in omnibus. Eritigitur & hoc attendendum, cum positi in afflictione sancti, sua peccata agnoscunt, seque propter ea affligi confitentur; trāsfigurare interdum in se peccata sui populi, eaque ex persona communi, quam gestat, dicere. Neque verò reprehensus hic Commentarius esse putandus est ab Araucano Concilio, & diuo Hieronymo sub finem libri secundi contra Pelagianos. Non enim dicit Augustinus, ex persona tantum populi illos ea dixisse; sed & suam & populi personam iustinuisse, suaque & populi peccata confessos esse. Pelagiani verò dicebant quod David & Daniel, & omnes Prophetæ, non pro se, qui sancti erant, sed ex persona populi sint loquuti; quemadmodum ait diuus Hieronymus. Et hæc quidem ed pertineant, ut productas supra veterum sententias vtrūque conciliare possimus.

CAPVT XI.

Quonam modo intelligi queat, ex originali peccato superesse mortem, ceterasque vitæ huius ærumnas.

SE D quod antè significatum est Augustini & Prospero verbis, ex originali peccato superesse mortem, vitæque huius ærumnas; adeoque omnibus incommotis, malorumque quæ miseros faciunt, generibus, hanc nostram naturam esse obnoxiam: id nonnulli recipiendum esse non putant. tamen non parum interest, quonam modo ex originali peccato ista superesse intelligantur: cum fieri possit, ut quis intelligat, ex originali esse peccato, non uti causa meritoria, cui mors sub pœnæ & supplicij ratione reddatur; sed ut dispositiua quadam subiecti qualitate, quia videlicet remota per originale peccatū primæ illius integritatis gratia, non ita sit iam animo subiectum corpus, ut hoc, cum velit, quam diu velit, retineat; sed eius à se diuul-

ii

sionem

sionem vel inuitus pati cogatur: vel si quid aliud est, quod prauę dispositionis in modum, hominem morti & alijs quibusdam miserijs reddat obnoxium. atque tum erit tamen (vti ex eodem intellectu differitur) hæc massa nostri generis omnibus dignissima pœnis, ex origine sua; non propter remanentem aliquam originalis culpę obligationem, quæ soluta non sit, siue propter meritum illius peccati, sed quia, cum iam vitata, polluta & abiecta, vilisque facta sit, non alienum videri debeat, si quouis modo malè tractetur: quomodo vile vasculum, & pollutum, aut malè tornatum, dignū esse dicimus quod abijciatur, aut quouis loco habeatur: cum, alia sic pretiosa sint, vt accurata quadam assuetudine digna iudicentur. Nec verò quod à Paulo dicitur, Corpus mortuū esse propter peccatum, efficacissimè volunt isdem conuincere, meritum mortis esse originale cuiusque peccatum: sicuti nec causam meritoriam accipere coguntur, in eo quod adiungitur, Spiritus verò viuut propter iustificationem: cum sit ipsa iustitia animæ vita, ideoque propter eam viuut, quomodo, si corpus propter animā viuere diceremus. Veruntamen quoniam Augustini nō aspernanda sententia est, qui subinde & in peccato originali meritum, & in morte pœnam atque supplicium vrget, vidēdum est, quoniam hoc alij modo nitantur conuellere. Atque illud quidem hoc loco prætereo, quod de plena in baptismo remissione peccatorum adducitur, quoniam id alibi oportunitate maiore tractetur. Illud vidēdum potiùs hęc, quale sit quod quidam ait: Cum Scripturę loquuntur de supplicijs, quæ nobis à Domino pro delictis inferuntur, ea testantur inferri eo fine, vt nō ob sint nobis peccata post hanc vitam: vsque adeo vt si nos ipsos pro peccatis affligamus, ne hęc quidem pro illis afflicturus nos sit Dominus. Tradere videtur hoc beatus Apostolus, cum ait: Ideo inter vos multi infirmi, &

Contra Iulianū
lib 3, cap 3. &
12. & alibi.

Cap 12 lib. de
pædest.

1. Cor. 11.

mi, & dormiunt multi. Quòd si nos ipsos diiudicarem, non vtiq. iudicaremur. dum iudicamur autem, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Atqui omnium consensione certissimum est, sic per Baptismum peccata remitti, vt in nullo post hanc vitam ob sint. Igitur quæ paruuli & sancti mox post baptismum patiuntur, non merito alicuius peccati ea pati cogitari possunt. Nam quæ pro peccatis patimur, ea, ne postea à Domino iudicemur, nunc benigna Dei manu inferuntur. Ad quid enim homo & imago Dei pro peccato discerpitur, quando siue pro eo patitur, siue non, peccatum nihil sit ei vnquam obfuturum? Denique quantumuis nos ipsos iudicabimus, nūquam tamen Dei iudicia euademus in hoc mundo, cum omnia propter originale peccatum inferri possint. Nihil etiam ex præsentibus Dei iudicijs, de actualibus & grauib. potissimum peccatis colligi poterit, vnde homines ex præsentibus Dei manu, & flagello peccatorū suorum admoneantur, si omnia solius peccati originalis, vel etiam leuius peccatorum merito ascribi possent: atque ita tota Dei disciplina, quæ pro notabilibus & magnis criminibus solet inferri, euacuabitur. & ad hunc quidem ille modum suę opinionis firmiter construxit. Ad quæ respondeo, beatum Apostolum de his loqui Christianis, qui ea commiserant, propter quæ damnari cum mundo possent, de his quippe solis verè dicitur, quòd hęc iudicentur, ne darentur cum mundo. Tales erant qui ad sacram Domini mensam indigni veniebant, ideoque iudicium sibi manducabant & bibebant, non diiudicantes Domini corpus. Sed cum ob hoc damnationem æternam mererentur, benigna tamen Dei manu corripiebantur, hęc varijs morborum malis, vt correcti, damnationem quam incurrerant, euitarent. Sic qui adhuc in eo statu est, vt quamuis liber sit à reatu mortis æternæ, tamen

ei possit obesse quod fecit, ad futuri seculi pœnâ temporariâ hîc interdû iudicatur à Dño, ne futuri seculi pœnam luat. At qui eo statu iam est, vt quod fecit vel habuit peccatû, non ei possit ad æternâ damnationem officere, aut nee ad vllâ quid è futuri seculi pœnam; hic etsi adhuc ratione prioris peccati puniatur in hac vita, non est tamen, consequens, vt hîc iudicetur, ne cum hoc mundo damnetur, vel ne quo futuri seculi igne torqueatur. Cur ergo, inquis, punietur? quasi verò causâ. Deo desint iustæ, quamobrem peccatum antiquum adhuc temporaliter puniat, etiam si id eum fructum non habeat, ne quid obsit post hanc vitam. Et ab Augustino, quidem illa reddita ratio est, illa que vtilitas, quam supra retulimus, monstrata; vt pœnæ perseuerantia, de magnitudine culpæ doceremur, ne parua videlicet putaretur culpa, si cum ea finiretur & pœna. Aut ergo, proprium eius qui patitur, fructum, aut communem ac publicum spectat Deus in puniendis temporaliter peccatis antiquis; quæ etiam si remissa sunt, vt iam post hanc vitam obesse non possint. Quoniam ergo dictum non est à Paulo, generaliter omnem eum qui iudicatur à Domino, propterea iudicari ne dânetur eum hoc mundo; sed eos qui damnatione digni erant, ad eum salutis propriæ fructum hîc temporaliter affligi, ne in æternum damnentur: nihil omnino concludi potest de paruulis baptizatis, aut recens renatis adultis, eos videlicet nihil eorû quæ patiuntur, merito peccati originalis sustinere. præsertim quia (vt omitiam publicam instructionem, quæ de paruulorum afflictionibus capi potest) licet nō puniatur pro peccato originali, ne obsit in futuro, potest pœna quæ iuste exigitur, aliquo maioris gloriæ fructu per Dei misericordiam compensari. Quod ergo quaeritur, ad quid imago Dei discerpitur pro peccato, quando siue pro eo patitur siue non, nihil ei sit obfutu-

turum; plenius id quaeretur si addas: Neq; illa afflictio, aut alijs vllis ad eruditionem, aut ipsi afflicto ad gloriâ maiorem, per Dei misericordiam est profutura? Quod verò adiungitur, nunquam nos Dei iudicia euasuros, si omnia propter originale peccatum possint inferri, quantumcunque nos ipsos iudicemus: nihil habet à quo sit abhorrendum. Quid enim mirum, si in hac misera & mortali vita, vbi iugum illud premit graue filios Adam à die exitus de vêtre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium, vbi adhuc illa in nobis viget viuítque sententia: Terra es, & in terram ibis; & In sudore vultus tui vesceris pane tuo; & si qua sunt similia, vbi inobedientiam mentis quotidie carnis inobedientia coarguit: hæc igitur vbi sint, atque euidentissimè & ineuitaliter sentiantur; quid mirum est si non omnia Dei iudicia possimus effugere quantumcunque nos ipsos iudicemus? Nam quod ait beatus Apostolus, si nos ipsos iudicaretus, non utique à Domino iudicaretur; eòdem in primis quò superior referenda sententia est, eiusmodi sensu aliquo: Si cum nostris peccatis actualibus iram in nos Dei specialiter prouocauimus, sicut illi fecerant Corinthij, de nobis ipsi pœnas exposceremus, & Deum nostrâ satisfactione placare studeremus; nullas illè propter ea peccata plagas inferret, nec communè illud nostræ miseriæ iugum aggrauaret. Deinde nec id tamen tanquam certa promissione futurum semper existimandum est, vt temporales, quas mortalibus peccatis promeruimus, calamitates effugiamus, si nos pro admissis seculo iudicauerimus. interdum superno decreto sic fixæ sunt, vt nullo supplicante possint auerti: vsque adeò vt orare interdum prohibuerit Deus, nec se passus sit vllis sanctorum clamoribus impediri, quominus decretam seueritatem exsequeretur. Quid si etiam hæc ratione Deus electorum quorundam saluti

Ierem 17.

consulat, dum eos illis ærumnis, velut morbis quibusdam grauibus aut perpetuis, quos sibi suis cõciliauere delictis, salubriter à peccando cohibet aut purgat, atq. exercet? Constat enim, promissiones eas quæ de temporalibus habentur bonis, accipiendas esse cum ea conditione, si nostræ saluti, vt donentur, expediat. Dicuntur etiam quædam, bona spe atque fiducia de summa erga nos Dei benignitate concepta, qua nobis persuademus ad generale illud & fixum communis miseris iugum, nihil additurum esse plagæ peculiaris, si aut eum nullis actionis propriæ peccatis exacerbaremus, aut offensum studiosè placaremus. Ideoq. conspectis calamitatibus, peccata nostra & populorum lapsus accusare solemus, seduloque monere, vt relictis vitijs, ad meliora se conuertant studia. Accusare dico hominum lapsus, quoniam manifesti sunt: non temere colligere, si erunt occulti. Nam hoc & amicorum Job, & Pharisaorum, & discipulorum Christi, cum adhuc rudiores communibus Iudaici populi persuasionibus tenerentur, vitium fuit: vt quos affligi viderent grauioribus malis, eos præ aliis sceleratos arbitrentur; aut occultis iniquitatibus, si nullæ forent manifestæ, iram in se Dei prouocasse censerent. Non igitur ex flagellis temporalibus aut colligere aut suspicari aut iudicare de peccatis grauioribus: vbi illud metuendum est, nolite iudicare, & non iudicabimini; sed quæ ex regula diuinæ Legis peccata esse nouerimus, si manifesta erunt, hæc illatarum occasione plagarum, grauiiter reprehendere, & ad pœnitentiam populum adducere omni ratione debemus. Non enim consequens est, eos peccasse grauius, qui grauioribus premantur huius vitæ malis: cum quotidie cernamus florentibus impiis ciuitatibus, bonas & piâs diu sapè multumque vexari, quod & in familijs optimè institutis, & hominibus bonis intueri licet: quibus ferè

sempet

semper aduersi quiddam eueniat, quos absit vt propterea occultis laborare sceleribus iudicemus. Aliud quippe interdum, sicuti antè quoque diximus, Deo propositum est, quando ærumnas immittit, quàm peccata persequi. Ideoque cum latè afflictionum causæ, cohibenda est humana temeritas, ne & Deo faciamus iniuriam, & maligni in fratres simus. At hoc forsitan mouebit, quod tum dicendum erit, ipsos Apostolos in hac vita fuisse punitos, vel morte ipsa, & communibus vitæ miserijs, quæ ad iugum illud graue pertinent, cum suprâ meminimus, Chrysostomum in quadripartita illa sua distributione, sanctos Apostolos collocasse in parte eorum, qui neque hinc neque illic puniuntur. Sed hoc ex ijs quæ dicta sunt, solui potest. Nam tametsi mors intuitu peccati ab omnibus exigi iure posset; circa nonnullos tamen peculiari dignatione Dei, non in vsum propriè puniendi peccati, sed illustrandæ iustitiæ conuertitur. Vnde beatus Augustinus libro tertio De libero arbitrio, capite nono, Si bonum & magnum aliquem virum, inquit, hortante honestatis officio videamus ignibus, quantum ad corpus attinet, concremari: non hoc vocamus pœnam peccati, sed fortitudinis & patientiæ documentum. Nimirum quia officij propriè ratione patitur, non peccati: Et si interdum propter antea acta quædam peccata grauiora, eorum intuitu, iustè pateretur. Quam ob considerationem dictum forsitan est à Gregorio Nysseno, beatum Paulum cum catenas Christi nomine circumferret, ad pœnitentiam & purgationem iniustorum vinculorum, quæ aduersus Euangelia portauerat, ea pertulisse: Non quòd hoc nomine peculiariter illa Paulus pateretur; sed tamen iustè se hæc perpeti, & illis dignè malis cogitare potuit, qui simili supplicio homines innocentes per summam iniuriam affecisset. Verùm illa Dominus propter flagrantissimam Pauli charitatem,

Sub finem lib.
De sancto
Baptismate.

872 DE CHRISTIANA LIBERTATE
dissimulans, aliam, cur ista pateretur, causam esse voluit. Quemadmodum beatus Augustinus libro primo De ciuitate Dei, capite nono, postquam de quibusdam iustorum flagellis, quæ propter eorum culpas accidunt, disseruisset; subiungit, habere aliam causam bonos, quare temporalibus affligantur malis, qualem habuit Iob: vt sibi ipsi humanus animus sit probatus & cognitus, quanta virtute pietatis gratis Deum diligat. Sed quæcunque tandem sint in hisce rebus disponendis, consilij diuini rationes; certum est & tertie huius seruitutis communia esse iustis & iniustis incommoda, & quod ita se res habeat, queri neminem iure posse.

CAPVT XII.

*Christianum hic à non Christiano, solo spiritu,
non carne separari.*

LIBERATOR enim noster Christus Dominus, dum hic quidem mortalis vitæ cursus ageretur, non carnis conditione, sed solo nos Spiritu voluit à ceteris separari; neque hic tanquam in præmio conspici, cur quisque fieret Christianus; sed id fide firma futurum expectari. Vnde illud à Ioanne dictum: Filij Dei sumus; sed nondum apparuit quid erimus. Quemadmodum enim hibernis temporibus, quid inter viuas & mortuas arbores intersit, non apparet, æquè omnibus frondium ornatu nudatis, frigoribusque asperitatem loquentibus; at vbi verna temperie cœperit radicum succus tepescere, molliorque iam aura spirauerit, tum & frondibus primum, ac mox flore & fructu manifesta discretio cognoscitur: ita, dum fragile omnes corpus circumferimus, communi miseriarum lege tenemur; nec apparet adhuc, quantum valeat esse Christianum. Vita enim nostra cum Christo abscon-

LIBER DECIMVS QVINTVS. 873
dita est, fidei inclusa radicibus. At posteaquam apparuerit Christus vita nostra, tum illi similes erimus, & tanquam virentes floridæque plantæ, manifesto discrimine seiungemur ab reprobis, in perpetua ariditatis sterilitate ac morte mansuris. Cypriani igitur Christiana prorsus oratio est, in eo Sermone quem de mortalitate scripsit: Mouet quosdam (inquit) quod æqualiter cum gentibus, nostros morbi istius valetudo corripiat: quasi ad hoc crediderit Christianus, vt & immunis à contactu malorum, mundo & seculo feliciter perfruatur; & non omnia hic aduersa perpassus, ad futuram lætitiã referretur. Mouet quosdam quod sit nobis cum ceteris mortalitas ista communis. Quid enim nobis in hoc mundo non commune cum ceteris, quamdiu adhuc secundum legem primæ natiuitatis, manet caro ista communis? Quoadusque isthic in mundo sumus, cum genere humano carnis æqualitate coniungimur, spiritu separamur. Itaque donec corruptiũm istud induat incorruptionem, & mortale hoc accipiat immortalitatem, & spiritus nos perducat ad Deum Patrem; quæcunque sunt carnis incommoda, sunt nobis cum humano genere communia. Sic cum flatu sterili terra ieiuna est, neminem fames separat: sic cum incurfione hostili ciuitas aliqua possessa est, omnes simul captiuitas vastat: & quando imbres & pluuias serena longa suspendunt, omnibus siccitas vna est: & cum nauem scopulosa saxa confringunt, nauigantibus naufragium sine exceptione commune est: & oculorum dolor & impetus febrium, & omnium valetudo membrorum, cum ceteris communis est nobis, quam diu portatur in seculo caro ista communis: nec separari generi humano ab iniucem datur; nisi isthic de seculo recedatur. Intra vnã domũm boni & mali interim continemur, quicquid intra domũm euenerit, pari sorte perpetimur; donec

1. Ioannis 3.
Vide Auguſt.
in Pſalm. 16.
conc. 1.

1. Ioan. 3.

Coloff 3.

æui temporalis cursu completo, ad æternæ vel mortis, vel immortalitatis hospitia diuidamur. Hactenus diuus Cyprianus.

CAPVT XIII.

Non postulare Christianæ libertatis rationem, vt ab ijs que nos miseros faciunt, hic liberi simus.

NEQVE enim hoc postulat Christianæ libertatis ratio; vt in hoc seculo vitam agamus miseræ, & malorum omnium expertem. Nam cum sit ab assertore generis nostri Christo omnis expectanda libertas, atque ea mortis eius, afflictionisq. meritis accepta ferenda: non est hæc de illo concipienda persuasio, quòd mortem subierit, vt nos hîc efficeret plena malorum omnium reiectione beatos. Tota namque mediatoris nostri dispensatio & functio, ad futurum seculum spectabat. Quamobrè dicit eum beatus Apostolus consummatum morte, factum esse omnibus obtemperantibus sibi causam salutis non temporarię, sed æternæ. quin & eundem vocat Pontificem futurorum bonorum, qui videlicet sui Pontificatus munere, & sacerdotali functione, bona nobis futura procureret, non ea quæ ad figuram pertinent mundi huius; quam dicit idem Apostolus præterire, ac fluxam & fugacem esse. Idcirco Christus (inquit) assistens Põtifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum non manu factum, id est, non huius creationis: neque per sanguinem hircorum aut vitulorum; sed per proprium sanguinẽ introiuit semel in sancta; æterna redemptione inuenta. Hîc quoque non temporaneam, qualis eorum est, qui è carceribus oblatio pretio erantur, sed æternam redemptionem commemoratur: qua pretio sanguinis eius, æternæ mortis è faucibus erepti, malisque ac vinculis futuri seculi sempiternis

ternis liberati sumus. Itaque & apud Isaiam, Pater appellatur futuri seculi: qui suis à filijs & mala seculi vè-turi depellat, & æterna illa solidaque ijs bona compareret, auctorque sit nunquam finiendæ felicitatis. Ipse enim est qui æternitatis nobis aditum, deuicta morte reserauit. quocirca nec per ea quæ suæ familiæ sacramenta reliquit, aut huius vitæ malorum depulsionem, aut præsentium bonorum accessionem propriè expectamus, sed ea bona quæ in futurum profint; quorumque fructum in seculo altero decerpamus. Sicut enim diuus Augustinus generatim pronunciat, ac supra quoque memorauimus: totum id quod salutaribus agitur sacramentis, magis ad spem futurorum bonorum, quàm ad retentionem vel adeptionem præsentium pertinet. hinc scelerati multi, & à beneficio crucis alieni, bonis vitæ huius affluunt, scelerumque suorum nulla hîc quidem vindicta percelluntur; sed eorum pœnæ reseruantur in posterum. Contrà verò vindicantur hîc aliqua, quæ tamen, si per Sacramenta salutaria remittuntur, profectò in futuro seculo non nocebunt. Eo fit igitur, vt non quemadmodum interiore animi libertate studio virtutis sensim proficimus, ita pariter carnis libertate magis magisque ærumnosæ vitæ molestijs exuamur; sed contrà potius, dum crescit illa ex parte libertas, ex hac seruitus grauior efficitur. Quemadmodum & Apostolus significat, cum ait: Licet is qui foris est, noster homo corrumpatur, siue castigatione abstinentiæ, siue morbida aliqua valetudine, siue quolibet casu, vel corpore, quod necessè est etiã ijs qui sano corpore diu viuunt, ipso ætatis accessu; tamen is qui intus est, renouatur de die in diem.

Enchirid. 66.

2. Cor. 4.
Aug. epistola
112. ad Paulinum.

CAPVT

CAPVT XIII.

Aerumnas atque afflictiones vita huius, etsi vna ex parte minuant nostram libertatem, quia dura atque molesta sunt; tamen, operante per illas Deo, ad libertatem conferre Christianam.

TA M E T S I autem tribulatio, quia molesta & gravis, ea ex parte tristem habeat sub miseræ iugo seruitutem; confert tamen per sæpe ad libertatis interioris augmentum: quemadmodum diuus Chryostomus, ostendit Sermone nono in epistolam ad Romanos: Propterea enim effecit Deus, inquit, vt præfens hæc vita nobis esset laboriosa, quatenus & ista nos seruitute (cupiditatum videlicet, quas antea morosas & difficiles dominas vocauerat) liberaret, & in libertatem veram ac puram induceret. Sed tum potissimū is fructus decerpitur ex huius vitæ malis, cum diligentibus Deum omnia conuertuntur in bonum, his qui secundum propositum vocati sunt sancti. Ita planè fit vt tribulatio patientiam operetur; patientia autè probationem; probatio verò spem; spes autem non confundat; quia charitas Dei diffusa sit in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Ideoque probandorum animorum gratia aduersi sæpenumero vitæ casus incurrunt; vna asperitatibus illis viri probi eluceant. vt enim nauclerum procella, athletarum stadium, exercitus imperatorum, acies fortem, & magnanimum calamitas; ita Christianum tentatio probare consuevit. ac sicut arbor alta radice fundata, ventis incubentibus non mouetur; & nauis quæ forti compage solidata est, pulsatur fluctibus, nec foratur; & quando area fruges terit, ventos spirantes grana fortia & robusta contemnunt, inanes verò paleæ, vento commouente & agitante rapiuntur: ita quis solidus fortisque sit Christianus, incidentis aduersitatis quadam

quadam exercitatione monstratur. denique vt in sumpti in certamina labores, ad capiendas victoriæ coronas, adducunt: sic etiam per tentationem facta probatio, ad perfectioris vitæ culmè viros bonos euellit. afflictionibus præterea purgantur in Christiana vite palmites, vt fructus plus afferant. Ideoque per Prophetam dicitur: Erunt tres partes in terra: & tertiã ducam per ignem, & vram eos sicut vritur argentum, & probabo eos sicut probatur aurum. Quemadmodum enim aurum, quanto plus excoquitur, tanto efficitur melius: sic iustus quanto plus tribulatur, si ipsam tribulationem patienter tolerauerit, multo purior clariorque redditur apud Deum. Ad hoc enim, inquit Augustinus, exagitantur homines tribulationibus, vt vasa electionis euacuentur nequitia, & impleantur gratia. Idecirco tantum abest, vt suos Christus effectuos nulla hinc conteri tribulatione patiatur, vt qui illius suscipiunt iugum, ad hanc sese debeant maximè tentationem preparare. Hic enim illa sunt spiritualia torcularia, de quibus subinde Propheticus Psalmus inscribitur. Sicut enim vua pendet è vitibus, & oliua ex arboribus; quæ tantisper dum suis è fruteris pendent, tanquam libero aère perfruuntur, & nec vua vinū est, nec oliua oleum, ante pressuram; sic sunt & homines ij, quos Deus prædestinauit ante secula cõformes fieri imaginis Filij sui; qui præcipue in sua passione magnus botrus expressus est. Namque huiusmodi homines, priusquam accedant ad seruitutem Dei, fruuntur in hoc seculo suauis quadam & delicata libertate, velut vuz aut oliuz pendentes: sed quoniã dictum est, Filij, accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & prepara animam tuam ad tentationem: idcirco ad illam quisque seruitutem accedens, tanquam ad torcularia se venisse cognoscat. Contribulabitur enim, conteretur, comprimetur: non vt in hoc seculo pereat; sed

Zach. 13.

In Sententiis
Prophetarum 204.

Ecclesiæ 2.

vt in apothecas Domini defluat vinum pretiosum, Quippe exiit carnalium desideriorum tegumentis quasi vinaciis, quæ contraxit desideriis carnalibus: propter quæ beatus Apostolus adhortatur, & dicit: Exiite vos veterem hominem, & induite nouum, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. Ceterum hoc totum non fit, nisi de pressura torcularis, qua ob id conterimur, vt amorem nostrum quo in hæc temporalia fluxa & peritura ferebamur, passi in eis tormenta turbasque tentationum, cõuertamus ad illam quietem, quæ huius vitæ non est, sed futuræ. sic igitur omnis disciplina, quemadmodum beatus Apostolus dicit, quamuis in præfenti quidem non videatur esse gaudij, sed mœroris: postea tamen fructum pacatissimum exercitatis per eam, reddit iustitiæ. Tribulatio quoque inter ipsa præclare facta, superbiæ tumorem reprimat: quod vicinum rebus actionibus superbiæ malum sit, & è proximo semper virtutibus insidietur elatio. Hinc & Apostolo datus erat angelus satanæ, qui eum colaphizaret, ne extolleret magnitudo reuelationum. Tribulatio denique consideratione mortis appropinquantis, oscitantes & securos exstimulat, atque ad Deum ire compellit. Aperit oculos cordis, quos facile claudit prosperitas, propriæque fragilitatis admonitos, in adiutorio altissimi cogit habitare. mundi huius postremò contemptum ac despicientiam ingenerat, & cælestium bonorum salutare desiderium amoremque parit. Quid ea sanè quæ grassabatur lues Cypriani temporibus, Christianis tum contulerit, ipse suis explicatum verbis hoc modo reliquit. Pauore mortalitatis (inquit) accenduntur tepidi, constringuntur remissi, excitantur ignaui, desertores compelluntur vt redeant, Gentiles coguntur vt credant, vetus fidelium populus ad quietem vocatur, ad aciem recens & copiosus exercitus robore fortiore colli-

Ephes. 4.

Hebr. 12.

Leo Serm. 4.
de Quadrag.

Serr. de morte.

colligitur, pugnaturus sine metu mortis cum præliū venerit, qui ad militiam tempore mortalitatis accedit. Eam ob rem Christus Dominus quid maximè esset salutare, atque ad veram perfectamque libertatē conducibile, in seipso demonstrans ac præferens, oblatam regni temporanei gloriam fugit, pœnam potius probosæ moris amplexus: vt eius videlicet membra discerent mundi fauores & applausus refugere, terroresque & aduersa minimè pertimescere, quæ plus multo plerunque quàm prospera, prodesse solerent. Etenim hæc crebrò per amorem sui, & oblectationem metūque amittendi, cor inquinant Christianum: illa verò purgant per dolorem. In istis se animus erigit: in illis autem posteaquam se erexerat, sternit. In his sui ipsius facillimè quiuis obliuiscitur: in illis verò ad memoriã sui nolens etiam, coactusque reuocatur. In istis sæpè, & antea facta bona depereunt: in illis longi quoque temporis varia multaque delicta absterguntur. Ideo & apud Seuerinum Boëtium eiusmodi verbis afflictum Philosophia consolatur, Etenim, inquit, plus teor hominibus aduersam quàm prosperam prodesset fortunã. Illa enim semper specie felicitatis cum videtur blãda, mentitur: hæc semper vera est, cum se instabilem mutatione demonstrat. Illa fallit, hæc instruit. Illa mendacium specie bonorum mentes fruuentium ligat, hæc cognitione fragilis felicitatis absoluit. Itaque illam videas ventosam, fluentem, sui que semper ignaram: hæc sobriam, succinctamque, & ipsius aduersitatis exercitatione prudẽtem. Postremò felix à vero bono deuiois blanditiis trahit, aduersa plerumque ad vera bona reducens, velut vnco retrahit. Hactenus Philosophia de salubri vtilitate aduersitatis. Itaque quos diligit Deus, castigat, & flagellat omnem filium quem recipit. Sunt enim quos maximè putes diligere proles suas, dum nihil eorum desiderijs negat, flagello & verbere nunquam

Li. 2. prof. 4. 8

quam attingunt, verum præclare de his quidam, Nutrices, ait, corporum, sed nouerca animarum. Sunt hæc similiis per similes, quæ fortis suos arctius constringendo ob amorem, necant. Non vides (ait Seneca) quâto aliter patres, aliter matres indulgeant? Illi exercitari iubent liberos ad studia obeunda maturè, feriatis quoque diebus non patiuntur esse otiosos; & sudorem illis, & interdum lachrymas excutiunt: at matres fouere in sinu, continere in umbra volunt; nunquam flere, nunquam contristari, nunquam laborare. Paternum habet Deus erga bonos viros animum, & illos fortius amat, & operibus, doloribus ac damnis exagitat, ut verum colligant robur. Languent per inertiam saginata; nec labore tantum, sed mole in ipso sui onere deficiunt: atque idem. Inter multa, inquit, Demetrii nostri & hæc vox est; quæ recens sonat adhuc, & vibrat in auribus meis: Nihil videri infelicitus eo, cui nihil unquam aduersi euenerit. Hæc si Gentilis scriptor ad eò verè commodeque dixit; quanto nos idem ex sacris diuinisque auctoribus conuenit & intelligere plenius, & persuasum habere certius? Sanè hoc regius Psaltes ad infelicitatem quorundam pertinere declarauit quod ait: In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur: eo quod subiungat, Ideo tenuit eos superbia, operi sunt iniquitate & impietate sua: prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum: transierunt in affectum cordis: cogitauerunt & locuti sunt nequitiam: iniquitatem in excelsis locuti sunt: posuerunt in cælum os suum, & lingua eorum transiit in terra. Quam multos enim cernere semper licuit, teste diuo Hieronymo, ethnicos, Iudæos, hæreticos, diuersorumque dogmatum homines, volutari in cæno libidinum, madere sanguine, feritate lupos, rapacitate miluos vincere: & nihilominus flagellum non appropinquare tabernaculis eorum, nec eos cum hominibus verberari: & idcir-

Epistola ad
Trastrinum
Pamianum.

idcirco superbite contra Deum, & transire vsque ad cælum os eorum? cum è contrario, sanctos viros sciamus ægrotationibus, miseriis & egestate torqueri; qui forsitan dicunt: Ergo frustra sanctificauimus animam meam, & laui inter innocentes manus meas. at mox sese reprimetes, aiunt: Si narrauero sic, ecce nationem filiorum tuorum reprobauimus. Magna ira est igitur, quando peccantibus non irascitur Deus. Vnde & in Ezechiele ad Hierusalem, iam, inquit, non irascar tibi; zelus meus recessit à te. Quos enim diligit Dominus, corripit, & castigat omnem filium quem recipit. Non erudit pater, nisi quem amat: non corripit magister discipulum, nisi eum quem ardentioris cernit ingenij: medicus si cessauerit curare, desperat. Hoc verè (ait Dionysius Areopagita) dici potest, potius esse diuinæ iustitiæ proprium, non demulcere, & dissoluere virilem optimi cuiusque animum terrenorum bonorum largitionibus. Denique mouere nos debet Apostoli sententia: Si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes; ergo adulterini & non filij estis. Loquitur Propheta Isaias & dicit: Indulxisti genti, Domine, indulxisti genti: nunquid glorificatus es? quin potius elongasti omnes terminos terræ. Domine in angustia requisierunt te; in tribulatione murmuris doctrina tua eis. Eo fit ut (quemadmodum beatus Augustinus prudentissimè differuit) agenda multa sint etiam cum inuitis benigna asperitate plectendis; quorum potius vtilitati consulendum est, quam voluntati. Nam in corripiendo filio quamlibet asperè, nunquam profectò amor paternus amittitur. Fit tamen quod nolit & doleat, qui etiam inuitus videtur dolore sanandus. Ideoque si terrena ista Respublica præcepta Christiana custodiat, & ipsa bella sine beneuolentia non gerentur, ut ad pietatis iustitiæque pacatam societatem, victis faciliùs consulatur. Nam cui licentia iniquitatis eripitur,

Vide Aug. in
Serm. 55. in
nostris.
Ezech. 16.

Cap. 8. lib. De
diuinis nom.

Epist. 5.

pitur, vtiliter vincitur. Quoniam nihil est infelicius, inquit, felicitate peccatum, qua pœnalis nutritur impunitas; & mala voluntas, velut hostis interior, roboratur: sed peruersa & aduersa corda mortalium, felices res humanas putant, cum teatorum splendor attenditur, & labe non attenditur animorum; cum theatrorum moles exstruuntur, & effodiuntur fundamenta virtutum; cum gloriosa est effusionis infania, & opera misericordiæ deridentur; cum ex his quæ diuitibus abundant, luxuriantur histriones, & necessaria vix habent pauperes. hæc si Deus pollere permittat, tunc indignatur grauius: si impunita dimittat, tunc punit infestius: cum verò euerit subsidium vitiorum, & copiosas libidines inopes reddit, misericorditer aduersatur. Quod sic diuus Augustinus dicit, auctor etiã libri secundi Machabæorum expressit. Etenim multo tempore (inquit) non sinere peccatores ex sententia agere, sed statim ultiones adhibere, magni beneficij est indicium. Non enim sicut in aliis nationibus Dominus patienter expectat, vt eas, cum iudicij dies aduenerit, in plenitudine peccatorum puniat, ita & in nobis statuit; vt peccatis nostris in finem deuolutis, tum demum in nos vindicet. Propter quod nunquam quidem à nobis misericordiam suam amouet: corrigens verò in aduersis populum suum, nõ derelinquit. Sic ille. Ex quo discere profectò possumus, quãto melior apud Deum, hisce temporibus, Catholicarum aliquot in Belgio ciuitatum conditio fuerit, quã hæreticarum: quamuis illic quidem paupertas, metus, oppressio, morbi, attritiones & euersiones æ difciorum; hic verò affluentia rerum, exultatio, securitas, splendor. Illos enim flagellauit propitius, hos contempsit iratus. Illorum correxit vitiosos mores, horum infici multiplici peste permisit: vt vbi theatrorum moles exstruerentur, reuera effoderentur fundamenta virtutum.

tum. Sed euenit tamen, quod sæpè aliàs, vt multorum peruersa & aduersa corda mortalium felices hæc Respublicas putarent, illas dicerent miseræ; quia splendores teatorum attenderent, & labe non attenderent animorum. Fuerunt etiã qui religiones nouas, hoc est, schismaticorum & hæreticorum sacrilegia, hoc tanquam argumento plausibili approbare conarétur, seque factos quererétur esse Catholicos, quibus propterea minùs prosperè euenire videretur. Tanquam si dicerent quod Gentiles olim dicere solitos Chryostomus refert, Patres nostri idola coluerunt, & semper in bonis fuerunt: & nos ex quo Christum colere cœpimus, nunquam bona sequuntur. Hoc dicit, ait Chryostomus, & non consideras quia illorum prosperitas non fuit remuneratio Dei, sed contemptio. at nostra aduersitas non est ira Dei, sed admonitio. De illis enim dictum est: Vir insipiens non cognoscit, & *Psal. 91.* stultus non intelligit, cum exurentur peccatores sicut fœnum, & quid addit: vt intereant in seculum seculi. De suis autem quid dicit? Visitabo in virga iniquitates eorum, misericordiam verò meam non dispergam ab illis. Iudæa quamdiu fuit Dei hæreditas, nec diabolus eam oppugnare cessabat, idolorum suadendo cultum; nec desistebat Deus eam castigando, & reuocando ab idolis custodire: postquam verò contempra est, quasi pars diaboli facta, manet in requie. Ita quod à Deo diligitur, hoc à diabolo variis infestationibus oppugnatur: quod autem à Deo contemnitur, hoc à diabolo quasi proprium in pace custoditur. Tribulationes enim, quemadmodum idem Chryostomus admonuit, irruere propterea sinit in nos Deus, vt ad ipsum frequentius confugiamus & expressius, nec ab eo discedamus aliquando. Tale quiddam faciunt maiores filiorum parentes, cum paruulos suos viderint à se quidem sæpè discedere, æ qualium autem suorum

rum lufibus detineri. Præcipiunt famulis, terrifica fimulare multa, vt exagirati etiam metu paruuli, ad maternum finum confugere feftinent. Ita etiã Deus non modò ab aliis sæpè affligi finit, fed nonnunquã etiam ipfe plagam minatur; non vt eam in nos inducat, fed vt nos ad fe potiùs adducat. Quòd fi quales in tribulatione fumus, tales effemus in requie, minimè nos oporteret afflictionum cõmonitionibus erudiri. Vnde fapienter quidam, Gentilis alioqui fcriptor, admonet, vt tales effe fani perfeueremus, quales nos futuros profitemur infirmi. Illum enim ipfum cuiusdã infirmi languor admonuerat, optimos effe nos dum infirmi fumus. Quem enim infirmum aut auaritia aut libido follicitat? Non amoribus feruit; non appetit honores; opes negligit; & quantulumcunque, vt relicturus, fatis habet: tunc Deum cogitat, tunc hominem fe effe meminit. Inuidet nemini, neminem miratur, neminem despicit; ac ne fermonibus quidem malignis, aut attendit, aut alitur: balnea potiùs imaginatur & fontes. Nec verò vulgus hominum modò tribulatione fit melius; verùm ipsis etiam, de quibus legimus Sanctis, plurimum eruditionis de tribulatione veniebat. Quamobrem Propheta dicit: Bonum mihi, quia humiliasti me, vt difcã iuftificationes tuas. Quod apertius Symmachus ita reddit: Profuit mihi quòd afflictus fim, vt difcerem iuftitias tuas. Idipfum significabat & Paulus de angelo fatanè qui eum colaphizabat: à quo vt liberaretur impetrare non potuit, quòd per eum maxima commoda colligeret. Dauidis quoque vitam fi velimus inſpicere, inueniemus eum profectò inter pericula clariorem. Beatus etiam Iob tum maximè cùm tribularetur effulſit; & Ioseph Deo in tribulatione plus placuit; Iacob præterea, eiusque pater Abraham, qui que vnquam iuftorum fuère, clariores de tribulationibus texerunt coronas: è quibus aliqui

ipſa

Plinius 2. lib.
7. piſt.

ipſa etiam morte coronati ſunt. Et ideo iuſto iudicio Dei datur sæpenumero peccatoribus poteſtas, qua Sanctos ipſius perſequantur, vt qui ſpiritu Dei iuantur & aguntur, fiant per laborum exercitia clariores.

*Nam virtus fidei ſub tali examine crefcit,
Nec ſeruile grauat libera corda iugum.
Soluſ peccator malè ſeruit, qui licet amplo
Vtatur regno, fat miſer eſt famuluſ,
Cùm mens carnaluſ, nimium dominante tyranno,
Tot ſeruit ſceptriſ, dedita quot vitiiſ.*

Apud Proſperum in Epiſtogrammat.

Itaque peccatores tamenſi, quòd sæpe contingit, aliqua huius vitæ felicitate fruuntur, cunctaque habeant pro ſuis votis ac voluntate fluentia; ſerui tamen ſunt infeliciffimi. Contra verò pij homines afflictionibus licet grauiter premi & atteri videantur; non ſolum ſerui non ſunt, verùm etiam maioribus indies cumulantur libertatis augmentis.

CAPVT XV.

*Nihil prodeſſe cuiquam illataſ aduerſitateſ ad ſalutem,
niſi Deus altiùſ miſereatur.*

VERVM cùm omnis vitæ huius afflictio, quædam extrinſecus adhibita prædicatio & admonitio videatur, ſine occultiore ac ſecretiore gratiæ operatione, non eſt profutura. Nam ad ea omnia quæ geruntur extrinſecus noſtræ cauſa ſalutis, illud pertinet quòd Apoſtoluſ ait: Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat, Deus. Itaque Spirituſ ſanctuſ operatur intrinſecus, vt valeat aliquid medicina quæ adhibetur extrinſecus. Alioqui etiam ſi ipſe Deus vtens creatura ſibi ſubdita, in aliqua humana ſpecie ſenſuſ alloquatur humanos, ſiue iſtoſ corporiſ, ſiue illoſ, quòſ iſtiſ ſimillimoſ habemus in ſomniſ, nec interiori gratia mentem regat atque agat;

1. Cor. 3.

kk 3

nihil

nihil prodest homini omnis prædicatio veritatis. Facit autem hoc Deus, à vasis misericordiæ, iræ vasa discernens, dispensatione quam ipse nouit occulta, sed tamen iusta. hinc igitur illa existit diuersitas admirabilis animorum, in aduersis perpetiendis, vt quosdam frangant atque deiciant, alios erigant atque confirmant: nonnullis excitent Dei laudem & benedictionem, aliis blasphemam moueant impatientiam: quibusdam conferant ad morum emendationem, alijs tanquam vitiorum lethargo laborantibus, nec doloris quidem sensum mouere videantur. Cuiusmodi erant illi quos Propheta deplorabat, cum diceret: Domine, oculi tui respiciunt fidem: percussisti eos, & non doluerunt; attriuisisti eos, & renuerunt accipere disciplinam. indurauerunt facies suas supra petras, & noluerunt reuerti. Itaque impietas flagella quidem excruciatia sentit, sed eum à quo flagellatur, per seipsam obdurata, non sentit. Alij verò, quamuis propriæ voluntatis vias ingressi, à Domino subinde recedant, tamen tanquam à tergo percussi, & fugiètes, longa Dei manu verberati, ad percutientem se respiciunt, & paternam correptionem agnoscunt, ac redeunt. Quicumque igitur boni maliq̃ue pariter afflicti sunt, non ideo ipsi distincti non sunt, quia distinctum non est, quod sunt vtrique perpeffi: manet enim dissimilitudo pascorum, etiam in similitudine passionum, & sub eodem tormento non idem est virtus & vitium. Nam sicut sub vno igne aurum rutilat, palea fumat; & sub eadè tribula stipulæ comminuuntur, frumenta purgantur, nec ideo cum oleo amurca confunditur, quia exprimitur eodem prælii pondere: ita vna eademq̃ue vis iruens, bonos probat, purificat, eliquat; malos damnat, vastat, exterminat. Vnde in eadem afflictione mali Deum detestantur atque blasphemant, boni verò precantur & laudant. Tantum interest, non qualia, sed qualis

Hier. 5.

qualis quisq̃. patiat. Pari quippe motu exagitatum, & exhalat horribiliter cœnum, & suauiter fragrat vnguentum. Examinandis igitur nobis atque explorandis, ait diuus Cyprianus, diuersi importantur labores, & multiplex tentationum qualitas irrogatur, de iacturis facultatum, de ardoribus febrium, de cruciату vulnerum, de amissione charorum: neque hinc aliud magis iniustos discernit & iustos, quàm quòd in aduersis per impatientiam queritur & blasphematur iniustus; patientia iustus probatur, sicut scriptum est: In dolore sustine, & in humilitate tua patiètiã habe; quoniam igne probatur aurum atque argentum:

Mens etenim recta, & puri sibi conscia cordis,

Prosper.

Hoc plus splendet, quo magis atteritur.

Itaque Iob quidem examinatus & probatus, ad summum fastigium laudis, patiètiæ est virtute prouectus: At Pharaò variis plagis effectus durior, non purgatus, sed attritus; non probatus, sed damnatus est. Ita prorsus & peccator infirmatur aduersis; & iustus tentationibus roboratur. vt enim recta columna, si quid impoſueris oneris ponderisque grauioris, hoc firmatur magis atque stabilitur; contra verò quæ incurua & obliqua alteram in partem propendet, pondere iniecto deijcitur: ita is quem in Deum erexit charitas, confirmatur aduersis; quem verò cupiditas ad res incuruarit caducas & fluxas, præcipitatur & corruit, fragiturq̃ue qui corrigi debuerat. Non debet autem qui cum aduersis conflictatur infringi, si vult post præliũ coronari. Ceterũ ne quis infringatur, id sit vires illò subministrante certantibus, qui ineffabilia victoribus præmia præparauit. Qui etsi visibiliter electos suos sæpenumero deserat, variorum afflictionibus malorũ inuolui & exagitari, atque etiam interire permittens, tamen eos inuisibiliter non deserit, sed cum iis etiam in carceres descendit, & fideliter ad mortem vsque

custodit, vt fiat quod per Iſaiam se facturum promittit : Cùm transferis per aquas, tecum ero, & flumina non operient te; cùm ambulaueris in igne, non comburêris, & flamma non ardebit in te. noli timere, quia ego tecum sum. Cum suis futurum se esse Dominus pollicetur, nō vt nihil accadat eis mali grauioris. Quid enim aliud aquæ & inundantia flumina, & ignis flammaque inuoluens, quàm grauissimas persecutionum tribulationes significant, quibus & Christum, qui in ea propheta inprimis intelligitur, & membra eius complura ad mortem vsque exercitata esse nouimus? Non ergo visibiliter affaturum se demonstrat, vt nihil eos pati sinat, aut protinus liberet; sed inuisibiliter magis subministratōe auxiliij eius, quo fortes & inuicti reddantur. Vt enim rectissimè diuus Prosper carmine declarauit,

Cùm constans anima aduersis non frangitur vllis,

Et fidei virtus intemerata manet;

Nouit inesse sibi Dominum patientia fortis,

Inq. eius donum quòd steterit, referat:

Nam quòd non cecidit, propriis si viribus aptat,

Hoc ipso quo se stare putat, cecidit.

Omnino igitur electis suis præsentissimus adest piissimus Dominus, intus confirmans & corroborans, & secundùm multitudinem dolorum quos patiuntur, consolationum suarum varietate lætificans. Quemadmodum hoc sanè non ingratus agnoscit & confitetur Gentium Apostolus, cùm ait: Sicut abundant Christi passiones in nobis, ita per Christum abundat consolatio nostra. Namque, vt est à diuo Bernardo præclare dictum, In spiritali exercitio duplex diuinitus præbetur auxilium; Correptio & Consolatio. Altera foris exercet, altera visitat intus. illa reprimit insolentiam, ista in fiduciam erigit. Illa humilitatem operatur, ista pusillanimitatem consolatur. illa cautos, ista deuotos facit.

2. Cor. 1.

Serm. 21. sup.
per Cantica.

facit. timorem Domini docet illa, ista ipsum timorem infuso temperat gaudio saluari, sicut scriptum est: Læteretur cor meum, vt timeat nomen tuum. Quin etiã vt diuus ait Ambrosius, præponderant consolationes perturbacionibus, quia & præsentium sedationem afferunt & spem futurorum. Vnde & Apostolus Paulus, Indignæ sunt, inquit, passiones huius temporis ad superuenturam gloriam: Indignæ utique ad consolationis comparationem, non ad fructum redemptionis. huius igitur consideratione consolationis & gloriæ, fit, vt cùm apud infideles impatientia lamentetur semper, & querula sit, Christiani non consternentur nec frangantur aduersis, sed spiritu magis quàm carne viuentes, firmitate animi corporis infirmitatem vincant, ceteraque damnorum incommoda fortiter ferant. Proinde vinea licet fallat, vt est apud Cyprianum, & olea decipiat, & herbis siccitate morientibus, æstuans campus areseat, quid hoc ad Christianos? quid ad Dei seruos? quos Paradisus inuitat, quos gratia omnis & copia regni cælestis exspectat: Exultant semper in Domino, & lætatur & gaudent in Deo suo, & mala atque aduersa mundi fortiter tolerant, dum bona & prospera futura prospectant.

Lib. 1. De
terp. cap. 3.

CAPVT XVI.

*Si tantus sit tribulationum ad libertatem & salutem
usus, cur iis liberari sese sancti precentur.*

TA METSI autem electis Dei multum plerunque proſit tēporalis afflictio, eo videlicet cooperante, per quē diligentibus Deū, omnia cōuertuntur in bonū, tamen illa sanctorū quotidiana precatio est, qua liberari se à malo poſcunt: hoc est, ab illis generatim omnibus malis, quæ ille qui singulariter malus est, infert permissa sibi diuinitus potestate. Hoc ergo cur faciant,

Epist. 121.

ciant, si inde fructum reportent, & quomodo exaudiantur qui tam multis plerunque malis vigeantur, non de nihilo quæri potest, atque hîc illud quidem non incommode responderi putauerim, bene liberari à malo sanctos, quibus prouidetur ne aduersa noceât, sed profint potiùs, & ideo non eis mala sint, sed boni subeant rationem, cùm reddâtur vilia. Sed quia ipsa etiam aduersa, ne accidant, deprecantur; mala enim sunt per se ipsa; non autê id solùm petunt, ne noceant: audiendum magis Augustinum existimauerim, locis aliquot hac ipsa de re differentem. Igitur in epistola centesima vigesima prima quæ est ad Probam, Molestiæ, inquit, temporalesque tribulationes plerunque profunt, vel ad sanandum tumorem superbiæ, vel ad probandam exercendamve patientiam, cui probatæ & exercitatæ clarior merces vberiorque seruatur, vel ad quæcunque flagellanda & abolenda peccata: tamê nos, inquit, nescientes quid ista profint, ab omni tribulatione optamus liberari. Ab hac ignorantia nec se ipsum Apostolus ostêdit alienum, nisi fortè quid oraret, sicut oportet, sciebat, quâdo in reuelationum magnitudine ne extolleretur, datus est illi stimulus carnis, angelus satanæ, qui eû colaphizaret: propter quod ter Dominum rogauit, vt eam auferret ab eo; vtique, sicut oportet, nesciens quid oraret. denique Dei respõsum, cur non fieret quod vir tantus orabat, & quare fieri non expediret, audiuit, Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur. In his ergo tribulationibus, quæ possunt & prodesse & nocere, quid oremus, sicut oportet, nescimus; & tamen, quia dura, quia molesta, quia contra sensum nostræ infirmitatis sunt, vniuersali humana voluntate, vt à nobis hæc auferantur, oramus: sed hoc deuotionis debemus Domino Deo nostro, vt si ea non abstulerit, non ideo nos ab eo negligi existimemus, sed potiùs pia patientia malorum,

lorum, bona speremus ampliora. sic enim virtus in infirmitate perficitur. Libro quoque decimo Confessionum, Quis velit, inquit, molestias & difficultates pati? Tolerare iubes eas, non amari. nemo autem quod tolerat, amat: etsi tolerare amat. Quamuis enim gaudeat se tolerare, mauult tamen non esse quod tolerat. Prospera in aduersis desidero, aduersa in prosperis timeo. Quis inter hæc medius locus, vbi non sit humanæ vitæ tentatio? Væ prosperitatibus huius seculi semel & iterum à timore aduersitatis, & à corruptione lætitiæ: væ aduersitatibus seculi semel & iterum & tertio à desiderio prosperitatis: & quia ipsa aduersitas dura est, & ne frangat tolerantiam, nunquid non tentatio est vita humana super terram, sine vlllo interstitio? hoc eo loco. Cui simile est quod ait in Psal. 143. Siue aliqua incommoditate & molestia noceat, siue aliqua prosperitate mundus arrideat, totum timendum & gemendum est: quoniam tentatio est vita humana super terram. veruntamen interdum sancti, vt se eorum infirmitas firmitasque habuerit (inquit idem) metuunt tentari, cupiunt tentari; dolent in tentationibus, gaudent in tentationibus. vt enim metuât tentari, audiunt: Si quis præoccupatus fuerit in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu mansuetudinis, intendens in te ipsum, ne & tu tenteris. Vt autem cupiant tentari, audiunt quemdã virum fortem Ciuitatis Dei dicentem: Proba me Domine & teta me, vre renes meos & cor meum. Vt dolent in tentationibus, videt Petrum flentem. Vt gaudeant in tentationibus, audiunt Iacobum dicentem: Omne gaudium existimate, fratres mei, cùm in tetaiones varias incideritis. Propheta quoque Hieremias tribulationem & miseriam inuocabat, quemadmodũ hoc citat diuus Hieronymus, scribens in Habacuc: Sanctus vir, inquit, & bellator inuictus, ad exercendũ

Lib. 10. Confess. c. 28.

Lib. 14. De Ciuitate Dei, cap. 9.

In Prologo.

se & probandum, tribulationem & miseriam venire desiderat: hoc ergo fortium est: alij de tribulationibus liberari desiderant, si ijs implicentur; & si nondum eas attigerint, ne incidant precantur: & exaudiuntur quidem interdum, tribulatione remota; interdum in ea nihilominus relinquuntur, propter eam quæ ex illa percipitur utilitatem. Quomodo si ægrotus (inquit Hieronymus Prologo in Habacuc) & æstuans febribus, aquam frigidam postulet, & dicat ad medicum: vim patior, crucior, vror, exanimor: vsquequo medice clamabo, & non exaudies? & respondeat ei sapientissimus ac clementissimus Medicus: Scio quo tempore dare debeam quod postulas: & non misereor modò, quia misericordia ista crudelitas est, & voluntas tua contra te petit. Quod intelliges, inquit, Apostolus ait: Sed non deficimus in tribulationibus. Idemque in labore & dolore gloriatur, benedicitque Dominum in omni tempore. In his ergo temporalibus, inquit Augustinus, admonemus vos & exhortamur in Domino, ut non petatis aliquid quasi fixum, sed quod Deus vobis expedire scit. Quid enim vobis expediat, omnino non scitis. Aliquando quod putatis prodesse, obest; & quod putatis obesse, hoc prodest. Egri enim estis: nolite dicere medico quæ medicamenta velit vobis apponere.

Et hæc de Christianæ libertatis amplissimo suavissimoque argumento, sicuti Deo auctore cœpimus, ita etiam nunc tandem, eodem adiuvante ac dirigente, absolvimus. Quod, ut ad honorem in primis eius, deinde & lectorum utilitatem atque ædificationem cedat, votis omnibus & optamus, & precamur.

FINIS.

DE HIS QUI POLITICI
VVLGO VOCANTVR,
COMPENDIARIA ET
BREVIS INSTRVCTIO.



*N*UPER me quidam literis admonuit suis, de his qui passim nominantur Politici, ut eos breui quampiam appendice notiores illis redderem, qui necdum aliud quam ipsum Politicorum nomen audierunt. Quod etsi paulo serius quam voluissem, eo tamen lubentiùs feci, quia ab instituto superiorum librorum nihil esse videbam alienum. Nec verò multis erit opus, cum eorum patefacta sententià, mox quiuis intellecturus sit, dignam non esse quæ longiore disputatione refellatur. Sentiant ergo primo in loco, politia civilis primam habendam esse rationem, regniq; huius terreni curam, studio religionis debere esse potiozem. Quod cum dicunt, eodem tempore humana diuinis, terrena celestibus, æternis temporaria, sacris prophana prophanissime dubio procul anteponunt; Regnum Christi, regno terreno, Ecclesiam seculo, Christum mortali principi subijciunt; reginam ac principem rerum omnium pietatem, reddunt politia civilis fœda servitute pedissequam. Denique nomine Christiano se ostendunt indignos, quibus tam vile sit quod ea nomine profitentur. Respondent interim, diuina quidem sese præstantiora ducere, sed eorum curam

Prima assertio
politicorum.

& tutelam relinquere Deo. viderit, inquit, Deus, ut suum cultum, & sacra sua tueatur, non illi defutura facultas est ad eam religionem, quam maximè voluerit, conseruandam. Nobis autem, ut hominibus, incumbit hoc potissimum, ut rerum humanarum tranquillus ordo seruetur. At nec sic effugiunt, quin se profanos esse demonstrent. Agunt enim perinde, atque si ad ipsos nihil illa diuina & sacra pertineant; nec eorum inter sit quæ fides, quæ doctrina, quæ Sacramenta, qui ritus Deum colendi, quæ morum vitæq; ratio ab hominibus teneatur. Quæ si ita diuina & sacra sunt, ut tamen ad hominum salutem magnopere pertineant: nonne, ut ea præstantiora ducunt, ita etiam consentaneum est, ab ipsis potiore cura conseruari? Quid magis præposterum, quàm ut earum rerum minor habeatur ratio, quæ ut præstantiores, ita sunt etiam magis necessaria? Quid intolerabilius minusq; politicum, quàm ut ancillari, & cū suo sæpe detrimento grauiusq; iniuriis cedere iubeatur, quæ in Reipub. maximè Christiana præire ac præluere decuerat? Quid autem aduersus Deum ipsum ingratius, si, cū hominibus varia munera & subsidia largitus sit, alia ad terrenam, alia ad spiritualem vitam transigendam spectantia: hæc quæ sunt præcipua, non curent, ob quæ illi maxima gratiarum actio debeatur? Itaque se isti tantorum Dei munerum hoc ipso præsententur exsortes, quòd ea sibi dicant curæ esse non debere, quibus vel maximè indigeant. nisi fortè propositum sit, pecorum more viuere, nequicquam post hanc mortalem vitam aut sperare melius, aut timeve funestius. quamquam nec hu-
mana

mana ipsa tuebuntur, diuinis posthabitis. Contemptus enim à suis, & in suis Deus, minora quoque illa quæ prima putantur, eripiet: nec poterunt humana res diu esse stabiles, quæ non fulcumento diuinarum firmabuntur. Nemo, ait Gregorius (Maurecium Imperatorem admonens) rectè poterit terrena regere, nisi nouerit diuina tractare, pacemq; Reipublicæ ex vniuersalis Ecclesiæ pace pendere. Querite, inquit Seruator, primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & cetera adyicientur vobis. Mirum sanè si quod queri prima cura velit, nõ etiam inbeat præcipua vigilantia conseruari, omni ope & conatu defendi; & si quæ ex parte violatum sit, omni industria & zelo pietatis instaurari. Plura de hoc capite reperies in eo libro quem aliquando scripsimus de vnica Religione. Addunt secundo loco, quoniam rerum humanarum tranquillitas, & pacifica in Reipub. cohabitatio requirat, ut in sua quisque fide & doctrina professione illæsus & inuiolatus relinquatur, idcirco diuersas atque etiam aduersas religiones permitti & tolerari in regno oportere. propterea quòd impediendi atque exturbandi conatus, Reipub. dilaceret, bellæque ciuilia excitet interminabilia. Quibus respondebitur primò, nihil tale fuisse metuendum ex repressione tãti contagij, si seruatum esset illud, quod minoribus in periculis non putatur negligendum: Principiis obstata. Secundo, cū iam vel per conniuentiam inualuerint, vel per socordiam eorum qui præsunt, sese corroborauerint doctrina sanioris inimici, si belli metu non erit eis obsistendum, tunc neque bello reprimendi erunt, vel regni insidiatores, vel seditiosus
ciues,

Secundò.

ciues, vel latrones aperti, posteaquam iustitiæ præ-
 termissione sic creuerint, ut nisi publicis armis
 coerceri non possint. Quod si vel hinc perspicitur,
 satius esse interdum apertum bellum suscipi, quàm
 occultos Reipub. hostes, aut sceleratas conspirationes
 sustineri; non est quod prætexatur belli metus, &
 fictitia, nescio qua, necessitas ad hæreses varias in
 ipso Reipub. sinu tolerandas ac fouendas: nisi forte
 iustior causa videbitur pro regno quàm pro Eccle-
 sia, & pro rege quàm pro Christo, & pro mæni-
 bus quàm pro hominum animabus, denique pro fo-
 cis quàm pro aris repugnandi. Quod qui sentiunt,
 si ipdem se Christianos haberi volunt; considerent
 quam ipsis turpe sit, Iudeorum virtute superari,
 qui Machabæis ducibus, ita pro sanctis suis le-
 gibus, proque templo illo materiali & umbratico,
 bellis maximis depugnarunt, ut expressè hoc diuinis
 literis commendatum sit, minorem ipsis pro vxori-
 bus & liberis fuisse sollicitudinem. Postremò, ut
 nemo Catholicus Princeps, Catholica veritatis ini-
 micos persequatur, si tamen (quod plerunq. fit, nu-
 mero crescente) ita sunt quietis impatientes, imò
 dominandi sic auidi, ut vel defensione opus, vel
 metuenda sit oppressio; non tunc saltem isti Politici,
 si Catholici, aut certè viri haberi volunt, arma cor-
 ripient? non tunc saltem, si non aras, at focos suos,
 & urbium mænia tuebuntur? Permissa etenim
 semel istiusmodi libertate, bella vitari vix poterunt,
 siue erunt inferenda, siue propulsanda: meliusq. est
 cum pietate bellum, quàm in scelere & impietate
 concordia. Sed volunt isti cum omnibus pacem ha-
 bere, Deo vno excepto, cuius pro nihilo putant in-
 iurias.

2. Machab.
 cap. vii.

iurias. Volunt Reipub. tranquillitatem, nec eius
 timent exitialem deprauationem. Atqui ij qui de
 rebus scripsere politicis, tolli de medio ciuitatum
 voluerunt quascunq. obscænitatum species, aut
 corruptelas, occasioneque vitiorum, ut prostibula,
 popinas, cantiones turpes, obscæna scripta, theatra
 impudica, picturas inhonestas, aliæque eiusmodi,
 quæ etiam Plato è Republica sua eiciebat. An
 minor est concionum hæreticarum pernicietas, quàm
 lasciuientium picturarum? Aut tolerabilius est
 linguæ penicillo mortiferis erroribus infuscari
 hominum animos, quàm variis veneris turpibusq.
 figuris ligneas nitere tabellas? Dicam in istos quod
 Augustinus dixit in similes: Peruersa & aduersa ^{Epist. 5.}
 corda mortalium, felices res humanas putant, cum
 tectorum splendor attenditur, & labes non atten-
 ditur animorum; cum theatrorum moles exstruun-
 tur, & effodiuntur fundamenta virtutum. Hoc
 quidem per hæreses certissimè fieri ignorat nemo
 qui earum perniciem norit. Illis enim Christiana
 subuertitur fides, verarum virtutum, iustitiæq.
 totius fundamentum. Addunt tertio, penes Rei- ^{Tertio.}
 publica Principem summam potestatem esse non
 rerum modò ciuiliu, verum etiam ecclesiastica-
 rum. Id quod recto tramite ex prioribus principiis
 proflebat. Si enim prima politia ciuilis habenda
 est ratio, & si ei debet religio subseruire, non è di-
 uerso illa religioni obsequi, sequitur, cum qui ordi-
 ne politico primus est, etiam in causis negotii que
 Ecclesia primum esse oportere. quod cum ex illo de-
 riuetur tantæ impietatis fonte, quo diuina subij-
 ciuntur humanis, & Deus homini famulari co-
 gitur.

gitur, quis non protinus sacrilega dementia iudicet esse plenissimum? Et arguantur tamen, ubi regnum quoddam Ecclesia sit, eidem Ecclesiam subiectam esse debere cui subditum sit regnum. Nec attendunt isto modo se etiam Neroni & Turcarum tyranno Ecclesiam subijcere, quoniam ut illius quondam, ita & huius nunc regnum, non exigua ex parte, Ecclesiae Dei obtineat rationem. Satis autem est, ut quamuis in easdem personas coincidunt regnum & Ecclesia; tamen propriis differant rationibus, causis, legibus, finibus: quas ob res propriis etiam utrumque Praefectis debeat gubernari. Idcirco & omnium Dominus alios regnis, alios Ecclesiis praeposuit; alioque hos, alio item illos genere potestatis instruxit: illis materialem tradidit gladium, istis claves Regni caelorum: illis potestatem corpora ferendi, istis animas ligandi solvendi que potestatem: illos Constantini aut Caroli Magni, istos Petri & Apostolorum voluit esse successores.

Quarta. Addunt quarto, Regem seu Reipublica secularis Principem excommunicari Ecclesiastica potestate non posse. Neque verò id iam ab illis dici mirandum est, eo constituto quod ante posuerunt. Quis enim in regno iudicium sibi in illum usurpet, qui non in temporalibus modo, verum etiam in spiritualibus rebus causisq. sit caput? At hoc profecto non recepisset Mediolanensis Ambrosius, qui nec Theodosio pepercit praecipiti iracundia seueritatem subire coegit, quam etiam ille, quamuis tantus Imperator, & fideliter agnouit, & obedienter humiliterq. suscepit.

Quinta. Addunt quinto, non teneri Principem ea sacerdoti

doti patefacere per exomologesim, qua regni administrationem causasq. concernant, quod quidem vel eo putare debent fieri non oportere, quia peccare non possint Reges in eo genere rerum: vel quia Regia Maieitati debeant praecepta diuina cedere, & propter homuncionem unum caelestis institutione relaxari. Quorum utrumque non ferendae impietatis, & pestiferæ adulationis plenissimum esse, nemo, vel mediocriter institutus, non perspicit.

Atque haec ferè sunt praecipua doctrinae capita, quibus pollutos accepimus huius aetatis politicos: quae quoniam & per se absurda, & libris superioribus prout sese occasiones dabat, copiosè satis sunt improbata; hoc loco dumtaxat indicasse suffecerit. Satis quoque fuerat nosse quoniam ista laicorum Christianorum, quos verius atheos existimes, sacrilega tandem profiliat audacia. Namq. alia complura minora sunt, neque fidei sic doctrinam attingunt, magisq. eo spectant, ut perniciosas assentationibus Principes in tyrannidem degenerent: velut omnia subditorum bona seu fortunae esse Regum. quod certè neq. Achab Rex Israël, quantumuis sceleratus, persuasum habuit, neque Nabot vir probus agnouit, neque Deus approbauit. Item illud, à legibus quibuscunque humanis solutos ac liberos esse Reges, ut quae libuerit, pro arbitrato faciant. quibus illud Claudiani magis occinendum fuit:

In commune iubes si quid, censesque tenendum;
Primus iussa sibi: tunc obseruantior æqui
Fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipsum
Auctorem patere sibi. componitur orbis
Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus

Humanos edicta valent, quam vita regentis.

Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

Leges fert Imperator, inquit Ambrosius, quas primus ipse custodiat. Vnde illud trivū, Patere legem quam ipse tuleris. Laudatus est hoc nomine Lycurgus, quod nihil lege vlla in alios sanxerit, cuius nō ipse primus in se documenta daret. Theodosius quidem dignam Principe vocem esse dixit, se legibus subditum esse profiteri. & Traianus cum tribuno militum ensē nudum porrigeret, etiam in se vti ipsum eo voluit, si perperam imperaret. Denique ad politiam, quæ legibus continetur, dissoluendam, plurimum valent eorum exempla qui regunt. facile ut ex his omnibus appareat, quam sint non modo tenuiter Christiani, verum etiam male politici, qui sese hoc seculo tales esse atque haberi gloriantur, bonosque viros, si zelo pietatis aut iustitiæ se interdum commouerint, accusant ut non politicos. Sed de his pro instituta breuitate satis.

INDEX SCRIPTVRARVM.

GENESIS

Cap. I.	FACIAM V S hominem, &c. Et præsit, &c.	116. 156
2	Inspirauit in faciem eius spir. vitæ.	343
	In quocunq; die com. ex eo, morte, &c.	103
	Formatis Deus de humo cunctis anim. terræ.	118
	Cumq; obdorm. tulit vnam de costis, &c.	127
	Hoc nunc os ex ossibus meis, &c.	245. 246
3	Dixit serpens ad mulierem.	118
	Eritis sicut dij.	388
	Vidit mulier quòd bonum esset lignum.	146
	Aperti sunt oculi amborum.	155
	Terram comedes.	160
	Ipsam conteret caput tuum.	309. 423
	Sub viri potestate eris, &c.	122
	Maledicta terra in opere tuo.	111. 858
	Puluis, & in puluerem reuereris.	164
	Ne forteumat de ligno vitæ, &c.	108
	Eiecitque Adam, &c.	841
4	Sub te erit apperitus eius, &c.	289
	Confurrexit Cain aduersus fratrem suum.	68
	Posuit Dominus in Cain signum.	332
6	Non permanebit spiritus meus in hom.	61
9	Maledictus Chanaan.	116
11	Venite, descendamus, & confundamus, &c.	632
16	Affligente eam Sarai, fugam iniiit, &c.	799
19	Egressus ad eos Loth, post tergum occludens ostium.	827
27	Det tibi Deus de rore cæli, &c.	419
28	Si fuerit Dominus mecum.	555

EXODI

3	Qui est, misit me ad vos.	181
5	Præcepit ergo in die illo præfectis opeum.	76
22	Transibit Dominus percutiens A Egyptios.	301
15	Vbi erant duodecim fontes aquarum, &c.	372
17	Cumq; leuaret Moyses manus.	371
19	Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus.	210
	Cœperunt audiri tonitrua.	129. 421
	Totus mons Sinai fumabat.	281
22	Maleficos non patieris viuere.	697
30	Hoc dabit omnis qui transit ad nomen, &c.	441

INDEX

NUMERI

6	Sic bened. filiis Israël, &c.	385
15	Cum inuocissent hominem collig. ligna.	489
31	Balaam filium Beor interf. gladio.	822

DEUTERONOMII

17	Si difficile & ambiguum apud te iud.	458
18	Propheta qui arrog. deprauatus, &c. interficietur.	820
30	Considera quod hodie proposuerim, &c.	42
32	Memento dierum antiquorum.	230

IOSUE

22	Cum venissent ad tumulos Iordanis.	820
24	Oportio vobis datur, eligit.	42

IUDICVM

7	Dixit trecentos viros, &c.	213
11	Votum vouit (Iephte) Domino, &c.	551
19	Egressus senex ait, nolite fratres.	827

I. REGVM

3	Si peccauerit vir in virum.	484
8	Cum tenuisset Samuel, posuit filios suos iudices, &c.	863
15	Melior est obedientia quam victimarum.	525

3. REGVM

6	Malleus & securis, &c. non sunt audita in domo, &c.	723
11	Auerterunt mulieres cor eius.	330
13	Respondit vir Dei, Non habam in loco isto.	673
18	Dixit Elias, Appreh. prophetas Baal, &c.	677

4. REGVM

1	Si homo Dei sum, descendat ignis de celo, &c.	479
18	Fecit Ezechias quod erat bonum coram Domino.	704
23	Præcepit Rex Helcia, &c.	705

2. PARALIPOMENON

15	Dominus vobiscum, quia fuistis cum eo.	333
19	In Hierusalem constituit Iosaphat, &c.	704
26	Neglexit (Ozias) Dominum Deum suum, &c.	705

2. ESDRAE

4	Media pars iumentum faciebat opus, &c.	714
---	----------------------------------------	-----

109

SCRIPTVRARVM,

IOB

1	Vniuersa quæ habet, in manu tua sunt: tantum, &c.	367
2	Pellem pro pelle.	314
7	Militia est vita hominis super terram.	329
9	Non iustus homo compositus Deo.	846
	Verebar omnia opera mea.	345
11	Vir vanus in superbiam erigitur.	388.824
14	Quis potest facere mundum.	215
28	Ecce pietas est sapientia.	622
40	Ecce Behemoth quem feci tecum, fornum, &c.	61
	Nunquid illudes ei?	368
	Spes eius frustrabitur eum.	81
41	Non est super terram potestas.	61.255
	Omne sublime videt.	84

PSALM.

2	Nunc Reges intelligite, &c. Seruite, &c.	501.321.815
9	In laqueo suo humiliabit eum.	221
12	Viquequo Domine obliuisceris, &c.	314
15	Multiplicatae sunt infirmitates eorum, &c.	232
18	Ab occultis meis munda me.	345
21	Deus meus clamabo per diem, &c.	838
24	Tribulationes cordis mei multiplicatae sunt: de necessitate, &c.	13.759
26	Legem pone mihi Domine in via tua.	395
29	Ego dixi in abundantia mea, &c.	310.373
30	Saluasti de necessitate, animam meam	53.57
31	Nolite fieri sicut equus & mulus, &c.	3
	Multa flagella peccatoris: sperantem autem, &c.	160
33	Timorem Domini docebo vos.	364
35	Non veniat mihi pes superbiae, &c.	387
37	Putruerunt & corruptae sunt carnes meae, &c.	76
38	A fortit. manus tuae ego defeci.	857
39	Ego autem mendicus sum & pauper.	375
40	Domine miserere mei, sana animam meam.	12
44	Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, &c.	478
48	Constitetur tibi cum benefeceris ei.	279
	Homo cum in honore esset.	3
52	Deus dissipauit ossa eorum qui hom. placant.	509
57	Aliena sunt peccatores a vulua, &c.	56
61	Diuitiae si affluant, nolite, &c.	521
67	Deus inhabitare facit vniu. moris in domo.	809

114

Quæ

INDEX

68	Quæ non rapui, tunc exsoluebam.	204
	Obscurentur oculi eorum ne videant.	354
69	Adiutor meus, & liberator meus es tu.	375
71	Iudicabit pauperes populi.	254
	Adorabunt eum omnes reges, &c.	305.675
75	Vouete & reddite Domino.	546
77	Excitatus est tanquam dormiens, &c.	241
78	Accendetur velut ignis, &c. Effunde iram, &c.	66
80	Dimisi eos secundum desiderium cordis eorum.	663
84	Auertisti captiuitatem Iacob, &c.	305
87	Factus sum sicut, &c. inter mortuos liber.	204.213.254
88	Distulisti Christum tuum.	240
89	Quis nouit pot. iræ tuæ.	364
90	Scapulis suis obumbrabit tibi.	191.370
	Non timebis à dæmonio merid.	54
	Super aspideam & basiliscum amb.	309
98	Deus tu prop. fuisti, &c. & vlticens, &c.	863
100	Miseric. & iudicium cantabo tibi.	362
	Non adhæsit mihi cor præuuum, &c.	747
103	Draco iste quem formasti ad illudend. &c.	367
106	Sedentes in tenebris, &c.	77
	Eduxit eos de tenebris.	57
	Omnem escam abom. est anima mea.	13
115	Pretiosa in conspectu.	858
	Dirupisti vincula mea.	7
118	Legem pone mihi Domine viam iustif. &c.	408
	Inclina cor meum in testim. tua.	267
	Loquebar de testim. tuis in conspectu.	33
	Inclinaui cor meum ad fac. iustif. propter retrib.	270
	Confige timore tuo carnes meas.	364
	Gressus meos dirige, &c.	259.295
120	Ecce non dormitabit, &c.	377
139	Obumbrasti super caput meum.	378
140	Eleuatio manuum mearum sacr.	372
141	Educ de custodia animam meam.	95
142	Eripe me de inimicis meis Domine, &c.	375
145	Dominus illuminat cæcos.	7

PROVERBIORVM

2	Vt eruaris à muliere aliena, &c.	6
5	Funibus peccatorum suorum constringitur (impus)	7
11	Qui stultus est, seruiet sapienti.	130
14	Iustitia eleuat gentem: miseros, &c.	439

15. Secu-

SCRIPTVRARVM.

15	Secura mens quasi iuge conuiuium.	370
16	Abom. regi, & c. quoniam iustitia firm. solium.	798
18	Iustus prior est accusator sui.	864
20	Rex qui sedet & dissipat omne malum, &c.	722
	Dissipat impios rex sapiens.	798
	Misericordia & veritas custodiunt regem.	131
	Liur vulneris absterget mala.	795
21	Mulctato pestilente, sapientior erit paruulus.	794
22	Stultitia colligata, &c. & virga disc.	791
24	Time Dominum fili mi, & Regem, &c.	789
27	Neglorieris in crastinum, &c.	320.348
29	Virga atque correptio tribuit sap.	791
	Seruus verbis non potest erudiri,	793
30	Mendacitatem & diu. ne dederis mihi, &c.	517

ECCLESIASTAE

3	Vnus est interitus hominis & iumentorum.	3
4	Laudaui magis mortuos quam viuentes.	112
5	Quodcunque voueris, redde, &c.	546
7	Fecit Deus hominem rectum!	137.145
9	Sunt iusti, &c. & tamen nescit homo vtrum, &c.	349
	Vniuersa æquæ ueniunt iusto & impio.	98

CANECORVM

1	Egredere, abi post vestigia gregum.	260
2	Capite nobis vulpes paruulas.	816
5	Vox dilecti mei pulsantis, Aperi, &c.	758
6	Quæ est ista, &c. terribilis vt castr. &c.	821

SAPIENTIAE

4	Placens Deo factus dilectus, &c. raptus est, &c.	348
	Inconstantia concup. transuertis, &c.	319
5	Accipiet armaturam zelus illius.	161
9	Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam.	94
	Per sapientiam sanati sunt, &c.	119
12	Nequam est natio illorum, &c. & naturalis, &c.	56. 113
13	Vani sunt omnes homines in quibus, &c.	176. & seq.
14	Initium fornic. est exquisitio idolorum.	175
16	Negantes non esse impij, &c.	160. & seq.

ECCLESIASTICI

2	Accedens ad seruu. Dei sta, &c.	329.357.877
---	---------------------------------	-------------

115

71a

INDEX

7	In omnibus, &c. memorare nouissima.	363
11	Bona & mala, vita & mors.	100
	Ante mortem ne laudes hominem.	348
15	Deus ab initio, &c. reliquit in manu consilij, &c.	41. 662
17	In vnamquamque gentem præposuit rectorem.	128
27	Si non in timore Domini tenueris te, &c.	363
30	Qui diligit filium suum, affiduat illi flagella, &c.	123
32	Rectorem te posuerunt? &c.	503
40	Iugum graue super filios Adam.	95
41	O mors, bonum est iudicium tuum, &c.	114
48	Fortiter iuit (Ezechias) in via patris sui, &c.	704

ISAIAE

2	Repleta est terra eius idolis.	177
4	Creabit Dominus super omnem locum, &c.	377
9	Lætantur coram te, sicut qui lætantur, &c.	225. 255
	Pater futuri seculi.	875
11	Requiescet super eum spiritus Domini.	364
	Puer paruulus minabit eos.	729
14	Cum requiem dederit tibi Deus à labore tuo, &c.	255
	Quomodo cecidisti domus Dauid super hum. eius.	306
24	Dabo clauem domus Dauid super hum. eius.	456
25	Faciet Dominus, &c. conuiuium pinguium, &c. 256. & seq.	
26	Vrbs fortitudinis nostræ Sion.	377
	Indulxisti genti Domine, &c.	795
	Concepimus, & quasi parturimus, &c.	758
27	Visitabit Dominus super Leviathan.	314
28	Audite verbum Domini viri illusores, &c.	502
	Vexatio intellectum dabit auditui.	793
30	Non faciet anolare à te vltra doct. tuum.	179
	Spiritus eius velut torrens inundans.	360
33	Qui ambulat in iustitiis, & loquitur, &c.	273
35	Dicite pusillanimitis, &c.	192
40	Omnis caro fœnum.	61. 183
	Quare dicit Iacob, Abscondita est, &c.	191
	Qui dat lassio virtutem.	393
42	Eccc seruus meus, suscipiam eum, &c.	164
	Gloriam meam alteri non dabo.	717
	Dominus sicut fortis uigredietur.	168
43	Dedi propitiationem tuam A Egyptum, &c.	174
44	Faber ferrarius lima operatus est.	71
45	Tantum in te est Deus, &c.	181
	Non dixi semini Iacob, frustra quarite me.	273

Dominus

SCRIPTURARVM.

49	Dominus formans me ex utero seruum sibi.	251
50	Dominus dedit mihi linguam eruditam.	166
51	Nunquid non tu percussisti superbum.	256
	Sicut oryx illaqueatus, &c.	71
52	In A Egyptum descendit pop. meus.	59
53	Pro eo quod laborauit anima eius, &c.	208
54	Lauda sterilis, quæ non parit.	267. 384
55	Quare appenditis argentum non in panibus, &c.	72
56	Non dicat Eunuchus, Ecce ego lignum aridum.	532
57	In multitudine viæ tuæ laborasti.	72
58	Nunquid tale est ieiunium quod elegi, &c.	394
59	Non est abbrev. manus Domini, vt saluare nequeat.	355
	Palpauimus sicut cæci parietem.	176
	Indutus est iustitiæ vt lorica.	358
60	Aperientur portæ tuæ iugiter, &c.	721
61	Spiritus Domini super me, &c.	161

IEREMIAE

2	A seculo confregisti iugum meum.	380
10	Non est hominis via eius.	35
11	Noli orare pro populo hoc.	869
	Quid est quod dilectus, &c. fecit scelera, &c.	421. 615
13	Si mutare potest A Ethiops pellem.	56
16	Ecce, ego mittam piscatores multos, &c.	790
17	Maledictus homo qui confidit in homine, &c.	370
	Prauum est cor hominis.	346
	Omnes qui te derelinquunt, confundentur.	61
30	Conteram iugum eius de collo tuo.	264
31	Non docebit vitra vir proximum suum.	500
34	Vos non audistis me, vt prædic. libertatem.	261

THRENORVM

3	Ego vir videns paupertatem meam.	518
	Bonum est viro cum port. iugum ab adol. sua.	289

BARYCH

3	Post hæc in terris visus est (Deus noster)	178
6	Si quis illis votum vouer. & non reddid. &c. non requirunt, &c.	346

EZECHIELIS

13	Vir si fuerit iustus, & fec. iud. &c.	392
20	Dedi eis præcepta non bona.	420
34	Væ pastoribus Israël, qui pasce. sem. &c.	274. 261. 664

DA

INDEX

DANIELIS

3 A me positum est hoc decret. vt omnis pop. &c. 676

OSER

5 Facti sunt princ. Iuda quasi assum. terminum. 705

HABACVC

1 Horribilis & terribilis est. 62
3 Operuit caelos gloria eius, &c. 306

ZACHARIAE

11 Pastores eorum non parcebant eis, &c. 166
13 Erunt duae partes, in terra, &c. 877

MALACHIAE

1 Si pater ego sum, vbi est, &c. 362
2 Labia sacerdotis cust. scientiam, &c. 704

I. MACHABAEORVM

2 Etsi omnes gentes Regi Antiocho obed. &c. 389

MATHAEI

1 Vocabis nomen eius Iesum. ipse enim, &c. 20
4 Tunc ductus Iesus, &c. vt tent. à diabolo, 328
5 Beati pauperes. 518
Beati qui lugent. 492
Beati qui persecur. &c. 800
Vos estis sal terrae. 61
Non veni soluere legem, sed adimplere. 397
Esto consentiens aduers. tuo, &c. 83
Ego dico: Omnis qui dim. vxorem, &c. 468
Solem suum oriri facit, &c. 12. 80
Estote perfecti, sicut, &c. 376
6 Adueniat regnum tuum. 1280
Dimittite nobis debita nostra. 50
Ne nos inducas in tent. sed libera, &c. 252. 327. 337.
Si oculus tuus fuerit nequam, &c. 10
Quaerite primum regnum Dei. 271
7 Nolite iudicare. 651
Venerunt flumina, & flau. venti. 371
8 Dimittite mortuos sep. mort. suos. 318
Ipse vero dormiebat. 1358
9 Non est opus valentibus med. 20
Cum

SCRIPTURARVM.

Cum auferetur ab eis sponfus, tunc ieiun. 492
10 Estote prudentes sicut serp. 519 780
Non vos estis qui loquimini. 33
Nolite timere eos qui occ. corpus. 362
Non veni pacem mittere. 631
11 Iustificata est sapientia à filiis suis. 219
Si in Tyro & Sidone, &c. 237. 656
Tollite iugum meum super vos. 407
Iugum meum suauè est, &c. 390
12 Cum immundus spiritus, &c. Tunc dicit: Reuertar, &c. 353
13 Cum dormirent homines, venit inim. &c. 647
Ait (pater familias) Non, ne forrè collig. &c. 691. 829
15 Non quod intrat in os, coinq. hom. 577
Sinite illos, caeci sunt, & duces caecorum. 616
De corde exeunt cogit. malae. 317
16 Super hanc petram aed. &c. Et tibi dabo, &c. 471
17 Reges terrae à quibus, &c. 437. 441
18 Quod si non aud. eos, dic Ecclesiae: si autem, &c. 457. 635.
673. 817
Quaecunque solu. super terram, &c. 769
19 Quod Deus coniunxit, homo non separet. 154
Sunt Eunuchi qui seipfos castr. 532
Qui potest capere, capiat. 553
Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. 392
Si vis perfectus esse, vade, &c. 511. 518. 521
Facilius est camelum per for. acus, &c. 56
Petrus dixit ei: Ecce nos rel. omnia, &c. 271
20 Conuent. facta cum oper. ex denario diurno. 271
Principes Gentium dom. eorum. 501
Filius hom. non venit ministrari, &c. 469
21 In his duobus mand. vniuersa lex pendet, &c. 499
23 Qui maior est vestrum, erit minister vester. 460
Ecce ego mitto ad vos Proph. & Sap. & Scribas, &c. 219
Hierusalem, Hier. quoties volui, &c. & nolui. 190
24 Quis putas, &c. quem constituit, &c. 456
Si coeperit percutere, &c. 131
26 Pater mi, si poss. est, transeat à me calix iste. 199
Vigilate & orate vt non int. in tent. 374
Conuerte gladium tuum in locum suum. 800
27 Idipsum & latr. qui, &c. improp. ei. 174
28 Docete omnes gentes, baptiz. &c. 463. 466
Ego vobiscum sum, &c. vsque, &c. 639
I M A R

INDEX

M A R C I

7	Pharisei & omnes, &c. non manducant.	579
14	Vigilate & orate vt non intr. in tent.	335
15	Et qui cum eo cruc. erant, conuit. et.	174
16	Qui cred. & bapt. fuerit, saluus erit.	333

L V C A E

1	Erant iusti ambo ante Deum, &c.	393
	Quomodo fiet istud, quon. virum non cogn.	534
2	Responsum acceperat Simeon, &c.	319
	Non discedebat (Aïna) de templo, ieiun. &c.	492
4	Tentabatur à diabolo.	328
7	Ecce defunctus esset. fil. vn. matris suæ, &c.	104
	Iustus est sapientia ab omnibus filiis suis.	219
	Hic si esset Proph. sciret, &c.	579
8	Hi radices non habeat, quia ad tempus, &c.	338
9	Si quis vult post me venire, &c.	524
10	Si in Tyro & Sidone.	237
	Qui vos audit, me audit.	478. 485
	Dedi vobis potest. calcandi, &c.	308. 585
	Incidit in latrones, &c.	43
11	Cum fortis armatus cust. atrium suum. 77. 303. 368. 762	
	Nonne qui fecit quod deforis est, &c.	579
	Mittam ad illos Proph. & Apostolos.	219
12	Quis me constituit iudicem aut dñi. &c.	467
	Cui multum datum est, multum, &c.	599
	Cum vadis cum aduersario, &c.	83
14	Exi in vias & sepes, & compelle, &c.	756. 790
	Qui non ren. omnibus quæ possidet.	521
	Fac mihi sicut vnum de mercen. tuis	732
17	Regnum Dei intra vos est.	260
18	Filius hom. &c. putas inuen. fidem in terra?	234
19	Venit Filius hom. querere, &c.	243. & seq.
20	Filij huius seculi nubunt.	304. 713
21	In patientia vestra poss. animas vestras.	795
22	Hoc facite in meam commem.	468
	Reges Gentium dom. eorum.	501. 716. & seq.
	Ego rogavi pro te, vt non def. fides tua.	308. 336. 703
	Factus in agonia prolixius orabat.	199
	Hæc est hora vestra & pot. tenebr.	84. 439
	Conuersus Dominus respexit Petrum.	336
23	Nos quidem iuste, nam digna, &c.	174
	Nos	

SCRIPTVRARVM.

24	Nos sperabamus quia ipse esset red. Israël.	222
	Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare, &c.	243
	I O A N N I S	
1	Qui non ex sanguinib. &c. sed ex Deo nati sunt.	301
	Lex per Moysen data est, gratia, &c.	397. 576
2	Erant ibi lap. hydris sex positæ.	580
	Cum fecisset quasi flag. &c. omnes eiecit.	788
3	Nisi quis renatus fuerit, &c.	468. 766
	Quod natum est ex carne, caro est.	284
	Sicut Moyses exalt. serpentem.	372
4	Spiritus est Deus, & eos qui adorant, &c.	590. 768
	Regiones albæ ad messem.	233
5	Ecce sanus factus es; iam noli peccare, &c.	332
	Non solum soluebat Sabb. sed & patrem, &c.	181
	Quomodo vos potestis credere, qui gloriam, &c.	557
6	Iesus cum cogn. quia venturi essent vt rap. eum.	194. 879
	Quæritis me, non quia vidistis signa, &c.	278
	Descendi de cælo non vt faciam vol. meam.	389
	Nemo potest venire ad me, nisi Pater trax. eum.	799
7	Nolite iudicare secundum faciem.	233
8	Iesus digito scrib. & c. Et dixit: Qui sine peccato, &c.	61
	734. 736.	
	Si mans. in ferm. meo, &c. veritas liberabit vos.	250. 607
	Qui facit peccatum, seruus est peccati. 7. 258. 286. 561. 606	
	Si vos Filius lib. verè liberi eritis.	238. 259. 383. 607
	Diabolus mendax est, &c.	316
	Antequam Abraham fieret, ego sum.	180
9	Neque hic peccauit, neque par. eius, &c.	844. 863
10	Ego & Pater vnum sumus.	180
	Pater in me est.	ibidem
11	Lazarus mortuus est, & gaudeo, &c.	844
	Lachrymatus est Iesus.	98
	Caiphas cum esset Pont. dixit: Expedit vt vnus homo moriatur.	247
	Iesus moriturus erat pro gente.	809
12	Nunc iud. est mundi, nunc princeps, &c.	308
	Ego si exalt. fuero à terra, omnia traham.	274
	Propterea non pot. credere quia dixit Isaias.	557
13	Vos vocatis me Magister & Domine.	504
	Cum accepisset buccellam, exiit continuò.	75
14	Philippe, qui videt me, videri & Patrem.	181
	Venit princeps mundi huius, & in me non, &c.	204

254

Sicut

INDEX

15	Sicut palme non potest ferre fructum.	9
	Sine me nihil potestis facere.	373
	Vos amici mei estis si feci.	161
16	Si non abiero, Paracletus non ven.	840
17	Vt sint vnum, sicut & nos.	809
18	Expedit vnum hom. mori pro pop.	247
	Regnum meum non est de hoc mundo.	709
19	Non haberes pot. &c. nisi tibi, &c.	367. 439
20	Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.	468
	Quorum remis. peccata, remittuntur eis.	769
21	Dicit Dominus Petro: Pasce oves meas, &c.	337. 448.
	717. 810	

ACTORVM

2	Audiuimus eos loq. nostris linguis magn. Dei.	33
4	Non est aliud nomen sub cælo datum hom. &c.	171
5	Cur tentauit satanas cor tuum, &c.	79
	Audiens autem Ananias.	537. 697. 699
	Exsurgens princeps sacerd. &c. hæresis Sadduc. &c.	821
9	Saulus spirans minarum.	790
	Circumfulsit eum lux de cælo, &c.	656. 759
14	Dimisit omnes gentes ingredi vias suas.	80
15	Iugum quod neque patres nostri, &c.	390
	Per gratiam Domini credimus saluari.	169
	Præcipiens custodire præc. Apostolorum & sen.	463
17	In ipso viuimus, mouemur, & sumus.	80. 189
20	Attendite vobis, & vn. gregi, &c. regere Ecclesiam, &c.	454.
	647. 707	
	Beatius est magis dare quam accipere.	521
23	Perc. te Deus, paries dealbate.	480
	Sadducæi dicunt non esse resur. &c.	821
	Deuot. deuouimus nos nihil gust.	551
25	Cæsarem appello, &c.	712
27	Vt autem iudicatum est, &c.	ibidem

ROMANORVM

1	Iustus ex fide viuitt.	708
2	Quicumque sine lege pecc. &c.	606
	Cum enim gentes quæ legem non habent, &c.	404. & seq.
3	Et non faciamus mala vt veniant bona.	817
	Quem proposuit Deus propit. &c.	239
	Legem statuimus per fidem.	405. 566
4	Lex iram operatur.	407
5	Tribulatio patientiam operatur.	876

Com-

SCRIPTVRARVM.

	Commendat char. suam Deus, quia cum pecc. &c.	191
	Sicut per vnum hom. peccatum.	100. 173
	Regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen, &c.	96
	Lex subintrauit, vt ab. delictum.	231. 425
6	Non regnet peccatum in vestro mort. corp.	12
	Non estis sub Lege, sed sub gratia.	398
	Liberati à peccato, &c.	260
	Sicut exhib. membra vestra, seru. immund. &c.	366. 308
7	Lex in hom. dom. quanto tempore viuitt, &c.	401
	Peccatum occas. accepta per mandatum, &c.	410
	Condelector Legi Dei, &c.	285. & seq.
8	Lex spiritus vitæ, &c. liberauit me, &c.	413
	Quod imposs. erat Legi in quo infirm. &c.	57
	Sapientia carnis, inimica est Deo.	714
	Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.	284. 593
	Corpus mortuum propter peccatum, &c.	95. 102. 857. 866
	Debitor sumus, non carni, &c.	260
	Quicumque spiritu Dei aguntur.	30
	Non accép. spir. seruitutis.	267. 281. 392
	Spiritus testim. reddit.	346
	Vanitati creatura subiecta est, &c.	92. 253
	Certus sum quia neque mors.	340
10	Ignorantes iustitiam Dei, &c.	419
	Finis Legis Christus.	397
	Quis ascendit in cælum, &c.	393
	Fides ex auditu.	792
11	Fracti sunt rami, vt ego inferar, &c.	520
13	Omnis anima pot. sublim. subdita sit, &c.	434. 439. 451. 789
	Vis non timere potestatem? &c.	600. 698. 701. 787.
	Necessitate subditi, &c. propter conscientiam.	578. 757
	Nemini quidquam deb. nisi, &c.	3500
	Plenitudo Legis, dilectio.	3392
14	Tu quis es qui iud. alienum seruum?	644
	Vnusquisque in suo sensu abundet.	641
	Nihil commune per ipsum, nisi, &c.	572
	Non est regnum Dei esca & potus.	270
	Beatus qui non iudicat semetipsum.	574. 750
	Omne quod non est ex fide, peccatum est.	110
15	Dico Christum Iesum ministrum fuisse Circumcisionis.	460
	Certus sum, quoniam & ipsi pleni estis dilect.	341
16	Obseruate eos qui dissensiones, &c.	807
	Deus pacis conterat Satanam, &c.	353. 356

III

I. CORIN-

I N D E X

I. CORINTHIORVM

1	Obsecro idipsum dicatis omnes.	624
	Hoc autem dico, quod vnusquisque vestrum.	810
	Quod stultum est Dei, sapientius est hom. &c.	219.223. 232.306
2	Si cogn. nunquam Dominum gloriæ cruc.	221.306
	Nos autem non spiritum huius mundi accepimus.	347
3	Cum enim quis dicat: Ego, &c. Quid igitur est Apollo? &c.	459.642
	Omnia vestra sunt, siue Paulus, &c.	459
4	Necque me ipsum iudico, nihil, &c. sed non in hoc iust.	lum. 346.
	Tamquam non venturus sim, &c. Veniam autem ad vos cito, &c. 664.	
	Quid vultis? in virga, &c.	460.716
7	Proposui tradere huiusmodi satanæ, &c.	368.700.722
	Si is qui frater nom. est fornic. aut, &c.	469
	Quid mihi de iis qui foris sunt iudicare? &c.	455
	Auferte malum ex vobis ipsis.	665
9	Bonum est homini mul. non tangere.	513
	Vnusquisque proprium donum habet, &c.	552
	Melius est nubere quam vri.	516
	Circumcisio nihil est, & præp. nihil est.	428
	Prelio empti estis, nolite fieri serui hom.	505
	De virginibus præc. Domini non habeo, &c.	511
	Volo vos sine sollicit. esse.	520
8	Sic peccantes in fratres, & percutientes, &c. in Christum	pecc. 485.
9	Nam et si euangelizauero, &c. Væ enim mihi est si non eu-	angelizauero, &c. 542.
	Cum liber essem, &c. omnium me feci seruum.	459
	Omnis qui in agone contendit.	270
10	Qui se existimat stare.	319
	Tentatio vos non appr. nisi, &c.	340.552
	Vnus panis, vnum corpus.	810
	Omnia mihi licent, sed, &c.	616
	Si quis dixerit, hoc immol. est idolis.	615
	Sine offensione estote.	460
11	Omnis vir orans aut proph. velato cap. &c.	642
	Primum quidem conueni. vobis in Ecclesiam.	643
	Si nosmet ipsos diiudicaremus, &c.	869
	Cetera, cum venero, disponam.	464
	Sine	

SCRIPTVRARVM.

14	Siue lingua quis loquitur, sec. duos aut, &c.	463
	Si quis videtur proph. esse, &c.	481
	Omnia honestè & sec. ordinem fiant in vobis.	634
15	Per hominem mors, per hominem resurr. mort.	227
	Caro & sanguis regnum Dei possid. non possunt.	284
	Cum mortale hoc induerit immort. &c.	371.836

2. CORINTHIORVM

1	Non quia dominamur fidei vestræ.	715
2	Nam & ego quod donavi, si quid, &c.	327
3	Epistola nostra vos estis, scripta, &c.	406
	Vbi Spiritus Domini, ibi liberas.	258.268.611.623
4	Ideo habentes hanc ministracionem.	268
	Deus huius seculi excæc. mentes infid.	82
	Non enim nosmet. prædicamus, &c.	459
	Habentes eundem Spiritum fidei, &c.	335
	Foris noster homo corrumpitur.	875
5	In hoc ingemiscimus, habitat. nostram, &c.	835
6	Nolite iugum ducere cum infid.	806
	Quæ particip. iustitiæ cum iniqu.	331.340
9	Vnusquisque prout dest. &c. non ex trist. &c.	542.757
10	In promptu habentes vlcisci omnem inobed.	469
11	Timeo ne sicut serpens. Heuam sed. ita, &c.	313.327.642
13	Prædixi, & prædico vt præsens, &c. non parcam, &c.	469
	Oramus Deum, vt nihil mali faciatis.	786
	Vt non præsens durius. agam sec. pot.	460

GALATARVM

1	Licer nos aut Ang. de celo Euang. præterquam, &c.	642
	Si adhuc hom. placerem.	507
2	Necque Titus qui mecum erat, &c. compulsus est circum-	cid. 601.
	Propter subintroductos falsos fratres.	616
	Si per legem iustitia, ergo gratis, &c.	168
3	O insensati Galatæ, quis vos fasc. &c.	719
	Christus nos redemit de maled. legis.	392.565
	Hoc autem dico, testam. confirmatum à Deo.	424
	Lex propter transgress. posita est.	731
	Lex pedagogus noster fuit in Christo.	409.614
4	Vt elementis mundi eramus serui.	584.612
	Vt eos qui. sub Lege erant, redimeret.	399
	Insignia & cæna elementa.	584

INDEX

66	Filioli mei, quos iterum parturio, &c.	637
101	Dicite mihi qui sub Lege vultis esse.	602
103	Vnum testamentum, &c. quæ est Agar, &c.	266. 419
105	Quæ sursum est Hierusalem, &c.	384. & seq. 610
107	Non sumus ancilla filij, &c.	254. 603
109	State, & nolite iterum iugo serui contineri.	566. 603
	Testificor omni hom. circumc. sc.	564
	Fides quæ per charit. operatur.	411
111	Vtinam abscindantur qui vos conturbant!	675
113	Caro concup. aduersus spiritum.	138. 183. 285
115	Si Spiritu duc. non estis sub Lege.	398
117	Dissensiones, sectæ, &c. qui talia agunt, &c.	743
119	Fructus Spiritus est charitas, &c. aduersus huiusmodi.	407
121	Si præocc. fuerit homo, &c. instruite, &c.	327
123	Vnusquisque onus suum portabit.	654
125	Mihi absit glor. nisi in Cruce, &c.	212. 371
127		
129		
	EPHESIORVM	
131	Et vos cum essetis mortui, &c.	70
133	Secundum principem pot. aeris huius spiritus qui, &c.	303
135	Eramus natura filij iræ, sicut & cæteri.	111
137	Legem mandatorum decretis euacuans,	563
139	Euang. pacem vobis qui longè fuistis, &c. &c.	732
141	Ex quo omnis patern. in cælis & in terra nom.	122
143	In vna spe voc. vestræ. Vnus Dominus, &c.	810
145	Alios (dedit) pastores & doctores ad consummat. &c.	703
	Qui desperantes semetipsos tradiderunt imp. in oper. im-	
	mund. omnis.	189
	Deponite veterem hominem.	878
147	Nolite locum dare diabolo.	312
149	Nolite contristare Spiritum s. Dei, in quo, &c.	301
151	Sicut & Christus dil. Ecclesiam, & trad. in odorem suavi-	
	tatis.	208
153	Nolite communicare operibus infruct. ten. magis autem	
	redarguite.	806
155	Surge qui dormis, & exsurg. à mortuis, & illuminabit te	
	Christus.	110
157	Redim. tempus, quoniam dies mali sunt.	520
159	Mulieres viris suis subditæ sint, &c.	111. 126
161	Mundans cam in lau. aquæ in verbo.	766
163	Quia membra sumus corporis eius, &c.	247
165	Sacramentum hoc magnum est; ego autem, &c.	243
167	Serui obedite dominis carn. &c.	436. 505
	Non	

SCRIPTURARVM

Non ad oculum seru. quasi, &c.	440
De cætero fratres confort. in Domino, &c.	357
Non est nobis colluct. &c.	315. & seq.

PHILIPPENSESIYM

1	Qui cæpit in vobis opus bonum, perficiet.	341. 552
	Mihi viuere Christus est, & mori lucrum, &c.	113. 836
2	In humil. superiores sibi inuicem arb.	864
	Qui cum in forma Dei esset, &c.	245. 389
	Dæus est qui op. in vobis & velle, &c.	321

COLOSSENSIYM

1	Eripuit nos de pot. tenebrarum.	380
2	Cum mortui essetis in delictis, &c.	254
	Expolians principatus, &c.	223
3.	Mortui estis, & vita vestra, &c.	110. 872
	Mortif. membra vestra quæ, &c.	148
	Expol. vos veterem hominem.	ibidem
	Serui obedite per omnia dominis.	505

I. THESSALONICENSIIYM

5	Rog. vos fratres vt nou. eos qui lab. &c.	455
	Omnia probate; quod bonum est tenere.	529. 663.

2. THESSALONICENSIIYM

1	In tribulat. quas sustinetis in exemplum iusti iud. Dei.	846
2.	Quod charitatem ver. non receperunt, &c. ideo mitte-	
	illis, &c.	623
3.	Vt subtrahatis vos ab omni fratre in ord. amb.	827

I. TIMOTHEI

1	Finis præcepti charitas.	560
	Lex iusto non est posita.	404
	Christus venit peccatores saluos facere.	243
	Hymenæus & Alex. quos trad. satanæ.	632. 667
2.	Obsecro fieri obsecr. &c. pro omnibus hom.	436. 709.
	714. 798.	
	Vnus Deus, & vnus mediator.	622
	Volo viros orare in omni loco.	594
3.	Oportet Episc. doctorem esse.	454
	Ecclesia Dei viui, columna, &c.	471. 635
	Magnum pietatis sacramentum.	172
4.	In nouissimis temporibus discedent quidam à fide, &c.	
	332. 606. 663	

INDEX SCRIPTURARVM.

1 Habentes dam. n. quia primam fidem irritam fec. 536. 546
 Volo iuniores nubere 154
 Qui bene præsunt presb. duplici, &c. 455
 Peccantes coram omnibus argue. 789
 Qui volunt diuites fieri, incidunt, &c. 519
 Diuitibus huius seculi præcipe, &c. 504

2. TIMOTHEI

Memor eius fidei, &c. certus sum autem, &c. 352
 Multum proficiunt ad impiet. &c. 632. 816
 Cum modestia corrip. eos qui res. &c. 806
 A quo captiui tenentur. 71. 84
 Omnes qui piè volunt viuere, persec. &c. 744
 Insti oportune, inportunè, 806
 Bonum certamen certavi, in reliquo, &c. 161

TITI

Vt ea que defunt, corrigas. 466
 Oportet Episc. &c. amplectentem eum, &c. 806
 Coinquinatis & inf. nihil est mundum. 10
 Admone illos princ. & potest. subditos esse. 435
 Hæreticum hom. &c. deuita. 648

P. HILEMONIS

Vti ne volut ex necess. bonum tuum esset, sed vol. 541

HEBRAEORVM

Quia pueri commuñs carni & sang. &c. 707. 243
 Nusquam Angelos apprehendit. 241
 Christus verò tanquam filius in domo sua. 350
 Habemus Pontificem, &c. pro siml. absque peccato. 199
 Factus obtemperantibus sibi causa, &c. 874
 Imposs. est, eos qui semel sunt illum. 331
 Talis decebat vt nobis esset Pontifex. 212
 Hoc est test. quod disponam doimui I Israél. 412
 Christus Pontifex futurorum bonorum. 874
 Si sanguis hircorum, &c. quanto magis Christi, &c. 209. 213
 Imposs. est sanguine taur. & hircorum. 422
 Habentes fid. in introitu Sanctorum. 208
 Voluntariè pecc. nobis, non est, &c. 332
 Maiores diuitias æst. thesauro A Eg. 270
 Inuisibilem tanquam videns sustinuit. 339
 Per fidem deuicerunt regna. 360
 Flagellat omnem filium, &c. 879

Disci-

SCRIPTURARVM.

Disciplina videtur non esse gaudij. 878
 Ita terribile erat quod videbatur, &c. 421
 Regnum immobile suscipientes. 321
 Honorabile connubium in omnibus. 154
 Obedite præpositis vestris. 455. 471. 484. 664

IACOBI

1 Patientia opus perf. habeat. 195
 Vnusquisque tentatur à concup. sua, &c. 329
 Voluntariè genuit nos verbo ver. 301
 Qui perspexerit in lege perfectæ lib. 415
 Sic loquimini, & sic facite. ibid.
 Ostende mihi fidem tuam sine op. 361
 Tu credis quoniam vnus est Deus, &c. 422. 757
 Nolite plures magistri fieri. 621
 Resistite diabolo, & fug. à vobis. 355
 Vnus est legislator. 482
 Hodie aut crast. &c. pro eo vt dic. Si Dominus voluerit. 94. 554

I. PETRI

1 Quod non corrup. auro vel arg. &c. 208. 199
 Regale Sacerdotium. 389
 Subiecti igitur omni, &c. siue Regi, quasi præc. 129. 435.
 599. 789
 Sic est voluntas Dei. 440
 Serui, subditi estote in omni timore. 436
 Christus passus est pro nobis, &c. 174. 195
 4 Tempus est vt incipiat iud. à domo Dei. 846
 5 Neque dominantes in clero. 303
 Cui resistite fortes in fide. 378

2. PETRI

1 Satagite, vt per bona opera certam vestram vos. &c. 342. 352
 2 Hi sunt fontes sine aqua. 608
 Libertatem illis promittentes, &c. 385
 A quo quis separatus est, huius & seruus est. 84. 259
 Melius erat illis non cogn. viam iust. quàm, &c. 556
 3 Quales oportet vos esse in sanctis conuerf. 412

I. IOANNIS

2 Si quis peccauerit, aduoc. habemus. 329
 Qui odit fratrem suum, in tenebris est. 688
 3 Filij Dei sumus, sed nondum, &c. 872
 Omnis qui natus est ex Deo, pecc. non facit. 339

m m 4

Qui

Beardorum de libertate erroret. 609.
 Belial filius qui vocetur. 96.
 Bellum religionis causa susceptum vile.
 729. 751.
 Bestia non sunt libera. 46. naturalis
 earum necessitas. 39. varius in homi-
 nem dominatus. 117.
 Bonum quomodo perficiatur. 287.
 Brevis error, in abrogandis legibus Ec-
 clesiasticis. 467.

C Alui error de libera voluntate.
 37 & in eo quod necesse fideles à
 diabolo nonnunquam vinci. 75. 125.
 & seq. eiusdè error de libertate Chri-
 stiana. 559. & seq. de justificatione.
 560. de operibus. 667.
 Caro quid Christo Joanni 4. significet.
 191. quid subinde Apostolo 283.
 atque inde in carne qui esse dicuntur.
 593.
 Carnis rebellio unde. 131.
 Carnales profunt spiritualibus. 42. ut
 fiant spirituales. 383.
 Carolus Magnus rex Saxonibus bellum
 intulit. 728. & seq.
 Caroli 11. commendatio. 812.
 Castiani de libero arbitrio error. 52.
 itè què de concupiscentia. 285.
 Cathari heretici qui. 775.
 Catechismus rectè instituit Ecclesia. 473.
 584. & seq. ad earum observationem
 conscientias obstringit, neque id Chri-
 stiane libertati repugnare. 182. &
 seq. de earum multitudine. 187. usus
 illarum, veram adorationem non ex-
 cludit. 768.
 Certitudo alia fidei, alia fiducia. 341.
 Charitas proprius novi Testamenti effe-
 ctus. 603. sine precepti 500.
 Christus idoneus auctor libertatis nostræ.
 164. 274. adiectus eius duplex. 34. vi-
 sibilis venit, & tamen in eo quid crede-
 dum. 671. non venisset, si homo non
 peccasset. 241. cur sub finem seculorū
 venerit. 226. 229. & seq. Deum se
 predicavit 180. venit cum auctoritate
 concedendi leges. 467. auctoritatem
 què sibi paraverit. 186. an tribus
 obnoxius. 443. nulli vitii subiectus.
 198. malis tamen. 152. unde & tim-
 uat & doluit. 138. quod essentis,

quomodo dignationis fuisse dicitur.
 444. ut mortem fugerit. 200. an illi
 obnoxius. 443. Deum quomodo cum
 percussit. 859.
 Christus pluribus modis nos liberare po-
 tuit 201. iustitia tamen potius quam
 potentia sola nos liberavit. ibidem. ea
 iustitia in quo sita. 202. 205. alia vix
 mortu eius, quam aliorum sanctorū.
 173. eius vix quomodo sola secun-
 dum Ambrosium nobis profuerit.
 214. vix eius. 300. 312. 370. quo-
 modo totius mundi redemptor. 302.
 Christus sine Legi. 576. 604. peculiari-
 ter propter Rex. 82. vide infra Re-
 gnium vices suas alius hic commisit.
 717. diversimodè ad nos ingreditur.
 719.
 Christi adiones & passionis ad amorem
 eius nos inflamant, & fiduciam in-
 genuerant. 188. ad humilitatem & pa-
 tientiam excitant. 195. neque tame-
 cum iudaizantibus in eo solum exem-
 plum agnoscendum. 167.
 Christianam doctrinam dici non debere
 eam quæ falsa est, ut, unque sit sub
 Christi nomine composita. 6. 8. ne-
 que Christiani nomini professionem
 constituere Ecclesiam Christi, ibid.
 Christiani quomodo Reges & Sacerdo-
 tes. 261. non franguntur adversus. 889.
 Ciborum quorundam abstinentia consi-
 stit cum libertate Christiana. 573. de
 voluptatibus ciborum. 150.
 Civitas diaboli cur Babylon dicta, &
 in ea permixta religio libertas. 819.
 semper contrariatur Civitati Dei.
 714.
 Civitas Catholicarum conditio melior
 apud Deum, quam hereticorum. 882.
 Cogitationes volaticas ut nolentes patia-
 mur. 136.
 Concilia tam postterita quam priora
 recipienda, aut utraque recipienda.
 639.
 Concupiscentiam non esse bonum natura-
 le. 147. eius metus, quibus non con-
 sentimus, non sunt peccata. 148. et si
 resistatur, nihil potest adversus nos
 diabolus. 311.
 Conscientia erronea an ad quod obliget.
 578. malis tamen. 152. unde & tim-
 uat & doluit. 138. quod essentis,

inquendum. 663. nec in sentiendo
 quidem 813. neque sarrach, quando id
 Principum legibus cauetur, vim ullam
 conscientia affertur. 749. neque de eo in
 religione magis quam in ceteris vir-
 tutibus querendum. 752. vide infra
 (Religionis libertas)
 Constat de re quapum certo quid sit.
 741.
 Continentia quantum ad veram liberta-
 tem faciat. 513. eius in primo statu
 nullam futuram fuisse laudem, quæ
 tamen nunc concesso præferatur. ibid.
 & 532. eius votum quam laudabile.
 532. Cypriani locus de nolentibus
 vel non potentibus perseuerare in cõ-
 tinentia voto firmata, quomodo intel-
 ligendi. 556. vide (Votum)
 Contingentiam rerum non tolli efficaci
 Dei voluntate. 39.
 Corrupti & consolationis effectus.
 888.
 Corpus elementare non necessariò corru-
 ptibile obnoxium. 100.
 Corda duriora fortiori exitanda.
 656.
 Corruptio quomodo adhibenda. 735. ea
 Christi gratiam non excludit, sed per
 illam predest. 655. & seq.
 Crates Thebanus divitias abiicit. 119.
 Culpa contrarietas falsa homini pendens
 pane. 136.
 Cupiditas aperit ianuam suæ gestioni dia-
 boli. 311. in vetitum nititur. 603.
 cupiditate & metu superatur. 49.
 necessitas appellatur. 511. mueterata
 quantis viis. 53. quod ab ea nihilomi-
 nus sit, libere sit. 51.
 Cynicorum turpi in publico continentia.
 149.

D.

D Ara quomodo beatus quidem acci-
 pere. 121.
 Decalogus vide (Lex)
 Democritus latinem Legum erroneè
 improbauit. 412.
 Democratia à quibusdam quæso reiecta.
 414.
 Demas quid significet. 91. vide (Diabolus)
 Dei potestas in malis. 79. cor hominis
 quò vult inclinari. 80. in eo malitia vè

operatur ibid. sed malo bene vititur. 28.
 Deus cur absconditus dicitur. 181. per quid
 iustificatur. 182. quomodo et feruentia.
 273. & seq. non propter aliud. 279.
 ei omnia quodammodo seruiunt, &
 modo quodam non seruiunt. 31. solus
 timendus. 367. misericors simul & ius-
 tus cogitandus. 363.
 Dei Filius cur peculiariter Sapientia vo-
 cetur. 219. visibilis factus, ut esset no-
 bis exemplo. 175. eiusdem alia ratio.
 178.
 Diabolus quid significet. 90. cur dicitur
 draco, leo, 132. 9. 1313. serpenti tor-
 tuosus. 314. princeps tenebrarū. 600.
 spiritus immundus. 61. non est naturæ
 malus. 83. non solum dicenda carcer-
 varius minister. ibid. quibus domine-
 tur. 60. fides maxime incitur euertere.
 63. fallit specie virtutis, ibid. quam
 variè homines ludicant, sibi que ser-
 uire cogitit. 64. & seq. eius in subdi-
 tos energia. 75. in infideles quanta ty-
 rannu. 68. non illatitur substantiali-
 ter hominum animis. 78. sibi subdi-
 tos non eximit à potestate Dei. 79.
 ius eius in hominem quale. 83. re-
 ei ab homine resistit. 86. Christum in-
 terficiens; dominatum in homine per-
 dicit. 203. electio eius est cordibus
 bonorum, variè nobis in sacris literis
 declarari. 304. quomodo alligetur.
 309. resistit ei, si peccato repugne-
 tur. ibid. vititur dolore amissi prin-
 cipatus. 311. torquetur nostris iustifica-
 tionibus. 356. usque ad finem vita
 nostræ nos oppugnat. 312. potest et
 dupliciter adversus nos dicitur. 367.
 in vincendum dum hominis nobis ad-
 herentibus. 315. neque tamen omnia
 mala eius impulsu sunt. 316. vincit
 subinde fideles. 75. vitus redit. 315.
 313. & seq. subtilis tunc insidiatur.
 354. adversus eum nos fide semper
 maneri oportere. 357. & seq.
 Differri quid, dicitur duobus modis.
 201.
 Disipuli ut magistris subiecti. 124.
 Doctor & Reitor ut differant. 414.
 Dolor in Christo, nec immeritè homine
 ante Iaphan. 138. non dolere hunc vi-
 te non contenit. 139.
 Dominium ante peccatum quale. 142.
 Domi-

Dominari quomodo voluerit Christus. 501. dominari fides, quid sit Paulo. 715.
Dominos quosdam vocari voluisse, alios noluisse. 503. 718.
Dominus non est homo sus capitis. 442.
Dubitare quid sit. 333.

E.

Ecclēsa definitio. 679. Vinculum eius primum, fides. 673. non nisi unius religioni hominibus constet. 671. in ea tamen hereticos dici esse corporaliter, sed qui ad eius unitatem non pertineant, ut nec schismatici. 633. 671. ad eam non pertinere omnes qui credant quoniam Iesus est Christus. 687. non constituitur Ecclesiam Christiani nominis professionem. 677.
Ecclēsa visibilis: & tamē quid de ea credendum. 671. audienda ut magistra & iudex. 635.
Ecclēsiam Romanam quando degenerasse dicant heretici. 639. veterem qui admittant, presentem quoque admittentem debere. 640.
Ecclēsiastica societatis presidium aduersus spiritualium nequitiarum iuratus. 376.
Elementa homini integro non fuisse nota. 165. quod ea modo homini, dominantur, ex peccato esse. 165. inde namque factum ut quasi ius ad puniendum nos acceperint. 159.
Elementū egenū qui seruire dicantur. 589. 612. 767.
Episcopi non habuere libera virtutes. 382. eorum ut in voluptate postea felicitatem, depicta tabella Spiciatru duxerint. ibidem.
Episcopus quid significet. 461. Episcopos amplius habere quam verbi ministerium 454. quomodo uerbi Ecclesie. 459.
Error de ignorantia ortu, plurimum habet subinde mali. 744.
Esau quorū figura. 419.
Eucharistia uer. 767.
Eucommunicationis pena quantā. 675. 817. ad salutem tamen eorum qui eucommunicatione uer ordinata. 722.

Exemptiones Ordinis Ecclesiastici a seculari Magistratu, unde. 429.
Exercitii ratio ante Baptismum. 102.
Excecat Deus & obdurat quomodo. 558.

F.

Festus dies recte instituit Ecclesia. 473. & seq.
Fides unde dicta. 546. ut respicienda in malo promissu 551.
Fides, primum Ecclesia vinculum. 673. iustitie fundamentum. 546. diabolo vincit. 374. cui proinde ut resistatur, maxime commendatur. 358. atque in eam quoque precipue nititur exercitus. 63. cuius negatio etiam extorta, quia voluntaria negantem occidit. 826.
Fidem iustificantem amitti posse. 332. atque hanc eandem fuisse ante Christum, qua nunc sit. 311. neque nota esse potest, tamen si articulos fidei recte dicatur Ecclesiam condere posse. 470.
Fidei certitudo alia ab ea que est fiducia. 341.
Fides mortua ut inest. 361.
Fidē credere quomodo dicantur facilius pauperes quam diuites. 557.
Fides ad salutem sufficiens, a qua est in Iesum Christum, & an ea que est de duodecim articulis symboli Apostolici. 625. 687. an que de rebus in genere concepta. 626. 627. 636. 637. & seq.
Fides Christiana non nititur specialibus revelationibus. 738.
Fides specialis hereticorum. 738.
Fides, quomodo libera. 724. in eam principes non habere potestatem. 753. qui tamen ad eam homines recte cogant. 646. 657. eius sequē coalitionis utilitas. 657. 790. 793. nec esse ei rei impediētem, quod fides sit donum Dei. 647. 655. 700. ad eam quomodo dicatur quis cogi. 654. 657. 728. 751. ad quedam que religionis sunt, coalitionem recte adhiberi, ad quedam non. 724. 731. ad quedam etiam cogi impossibile esse. 726. ut non cogendū fidei, qui eam nunquam suscepit. 718. compulsionem hereticorum ad fidem. Augustino placuisse. 732. ubi

eanz

tam reprehendere uideatur Tertullianum, quomodo intelligendus. 725. quomodo uerba Lactantius. 726. non tam quod cogari, quam quo cogari, attendendum 732.
Fidei causa nulli necessitati postponenda. 779.
Fideles a diabolo nonnunquam uinci. 75.
Filij ut parentibus subiecti. 113.
Filius huius seculi qui. 713. non contrariantur filij Dei, ut y filij diaboli. ibidem.
Filij ut dicantur liberi a tributo. 441.
Firma duplex, consumens & perficiens. 604.

G.

Generationi in homine integro quo mouente membra seruiunt. 156
Gentes ante fidem non habuisse ueras uirtutes. 611. earum iustitiam sine capite fuisse scribit Lactantius. ibid.
Gloria uane cupiditas quam noxia. 323.
Gnosticorum de operibus errores. 600.
Gratiam Christi in quo ponat Celestius. 168. eam plus esse quam interiorem pulsum & admonitionem. 238. uis eius. ibid. ad que necessaria. 373. a nullo duro corde respuitur. 32. uoluntatem indeclinabilem & insuperabilem agit. ibid. non destruit liberum arbitrium. 25. & prolixius 29. & seq. item 49. & 406. nec quonquam facit intentabilem. 313.
Gratia uerē libertatis quibus uerbi a principio promissa. 423. qui sub gratia, quomodo dicantur esse supra legem. 599.
Gratia ut colendus Deus. 272. & seq.

H.

Heresi malum quantum 665. 737. 743. & seq. 816. dicitur, non quia Rempubliam turbat, sed quia fidem Catholicam corrumpit. 631. ubi inualuerit, aere exspirat. 647.
Hereticus paleatum nomine non intelligitur. 671. eorum quidam corpore in Ecclesia esse dicuntur, cum ad eius unitatem non pertineant. 633. 673. mali in ecclesia visibilis constituantur. 677.

Hereticos diuersos, diuersa vincula in heresi tenent. 658.
Hereticorum punio quam uelut Reipublice. 684. uide librum 13. a cap. 2. & dinceps prolixē: ubi argumenta aduersariorum soluntur. item lib. 14.
Hereticus qui puniant, non eripat Christo officium, nec Euangelium regere. 699. neque principes secularis dum illud faciunt, usurpant sibi de Euangelio iudicium aut potestatem in regnum Christi. 702. in hereticos diuersorum Imperatorij edicta. 737. 796. eos etiam morte recte puniri. 737. neque eiusmodi punitionem crudelitatis accusandam. 698. esse nihil minus antiquam hereticorum querelam de severitate legum, & in eam rem adducta aliquot eorum argumenta. ibid. & seq. & diuersi hereticos esse, quos ubi prauulerint, maxime sauire solent in Catholicos. 801. 826. idque eo praterea, quod se illi accommodare nolle dicantur. 803. quamnam accommodationem requirant. 805. illi in aliquo credere quam perniciosum. 806. odij illorum in Pastores fidelium, si etiam etiam subinde cum nonnullis amicis causa. 804. etiam blanditudo grauius nocent. 826.
Hereticis falsi testes. 745.
Hereticis an ad fidem cogendi, uide plura in uoce (Fides).
Hereticos nonnullos cur ppi quidam Principes tolerarint. 731. 817.
Hierusalem qua sursum esse dicitur. 385. filij eius qui. 384. 418.
Homo ultimo creatus. 156. omni perturbatione carens. 137. quibus affectionibus subiectus. 138. pax eius in quo sita. 140. uirtutes habuit quatuor, sed illarū tunc altitudo officium quam modo. 142. corpus illius sine pugna qualitatum. 101. mortalitū dici potuit simul & immortalitū. 105. 107. importabilitatem modo nec lignum uita praestare potest. 108.
Homo integer qualis statim a principio futurus fuisset. 121. quo incitandus ad amorem Dei. 189. quid in eo membra ad generandum moueret. 116. ut per peccatum inuentū astringatur sit. 8.

Homo

Homo quae ratione liber. 46. quomodo relicta in manu consilij sui. 41.
 Homo omniu. Dei vel diaboli seruus. 11.
 Humanum doctrina quomodo vituperetur. 109.
 Hammum mandata proprii quae, & quae non. 86.
 Humanum quod dicitur, non semper diuini literi damnatur. 508.
 Hoste domestico ut in nobis caveamus, entendum. 145.
 Humilitas peculiariter commendatur exemplo Christi 195. quam homini necessaria. ibidem. & 323.

I.

Idola à pijs Imperatoribus conficiantur. 730. cultus eorum quam res absurda 177.
 Ieiunium Quadragesimale 82.
 Ieiunij utilitas. 173. legem eius non esse superstitiosam. 580. certum quaedam ieiunia recte ab Ecclesia instituta esse. 473. & seq. & 580. neque ea nimis esse frequentia. 492. an ieiunium vomere liceat, & quomodo intelligenda de ea re quaedam Prosperij sententia, et cetera quae B. Hieronymi. 544. & seq.
 Iephthae quid promiserit, praestiteritque. 551.
 Ignorantia mater variarum opinionum. 620. inuincibilis quae, & cur excuset. 16. quam ignorantia peccatum sit. 606. ea quae Dei est, caput est omnium iustitiarum 175.
 Inzigo. Dei natura homini expungi nequit. 36.
 Immortalitas vs primo homini tribuitur. 109.
 Imperare quempiam, etiam ibi, ubi nequeas sententiam ferre. 53.
 Incarnatio Filij Dei propria causa. 241. & seq. eius finis, ut humane naturae in Christo exaltatio. 145. vide supra (Dei Filium).
 Incurruptio corpori seruiti charitati. 279.
 Infidelis quam tyrannidi diaboli subiecti. 68. non habent veras virtutes. 9. 611. honesta. imen sunt in ius officia ex naturali bono, & velut infirmes virtutum factus. 9.
 Iniquitas tempore Christi voluissit, vs gratia manifestaretur. 239.

Ioanni Pontificis legatio ad Iustinum. 779. 828.
 Job Christum figuravit in afflitionibus. 861. de peccato illius, afflitionibus, alijsque nonnullis. vide cap. 10. lib. 15. amici Job in quo errarunt. 870.
 Iouinianus vs sacras virgines à proposito virginitate abduxerit. 568.
 Ira, vitiosa affectio. 119. eius, odique qui effectus comites. 755.
 Ira Dei quando magna est. 881.
 Iudeorum religio. 612. seruitutis illorum & Gentium diuersitas. 613. signorum in illis olim quae virtutis. 614. eorum caeremonie modo superstitiosae. 830. eos tamen, & non hereticos, tolerat Ecclesia. 829. neque ad fidem cogendos censet. 831.
 Iudaizantium error. 167. 615.
 Iuliani de concupiscentia error. 147.
 Iustitia vite huius in bello & militia constituta 315. eius plenitudo turbidos animi motus excludit. 141. in ea qui stabiles dicantur. 343.
 Iustificatio hominis in quo fita secundum Caluinum. 560. Iustus subique Deus semper adest. 888.
 Iustificatus nullus ex natura, vel per legem, sed per Christum. 227. 331. manet in iustificatioe lex peccati, non peccatum. 414. non est liber ab obseruatione mandatorum Dei. 385. potest à iustitia cadere. 325. reiectio hereticorum contrarium assertentium. ibidem.
 Iur iustis Deus tentari patitur. 328. & seq. locorum sacra scripturae quae videntur aduersari explicatio. 339.

L.

Libantij error referentis vitam ad primam institutionem 144. potentiam ea in Christo exempli causa. 198. item negant quod Christus se Deum praedicauerit. 180.
 Lex obedientia iustificat, sed sola obedientia non praestat. 420. 566. item proprio vsibus impleri nequit. 390. & seq. eius nihilominus, impossibilitatem finis obtendi ab hereticis. 390. atque illud (impossibile nihil à Deo praecipit). Catholice asserti, ne de liberis peculiariter Pelagio adscribi. 394. unde fit eius implenda facultas sicutque mandata facta. 395. 393.

Lex cur sibi Iudaei data, nec statim à lapsu 229. per eam virtutis defectus innotuit 230. duri iugo illius idomiti. 232. pedagogus ad Christum. 795. adde 732.
 Legum Moysaica institutum quomodo importabile 393. sub lege qui esse dicitur. 398. 003. supra legem ut sint qui sunt sub gratia. 399. fideles quomodo legi mortificati per corpus Christi. 401. nec lex iusto posita 404. & tamen per fidem non destituatur. 406.
 Lex prohibendo auget desiderium malum. 231 421. neque tamen ideo accusanda. 575.
 Legum moralium vniuersa debitorum sumus. 564. argumenta Caluini pro aduersa parte soluntur. 565. moralia ex lege relicta. 575.
 Lex peccati non peccatum manet in iustificatu. 414.
 Lex libertatis quae Iacobo. 411. noua inde dicitur. 414. vs differat à veteri. 391. vide (Testamentum).
 Legitimi ciuitates consistere. 431. earum (inquit Cicero) omnes serui sumus. 824.
 Leges usque per se consentiant seu animos obligant. 580. 645. & seq. prolixè etiam Principum seculorum. 439. argumenta aduersa soluntur. 482. Lege tenent non esse contra libertatem Christi. 604.
 Leges Ecclesiasticas auersatur Brentius. 467. similiter & Aerius. 474. 14. ex Evangelica instituti ne censente manare. 473. neque minuire, sed statuere libertatem. 474. & seq. & 601. etiam si varia sint. 490. earum multiplex utilitas. 475. & seq. contemptus earum, & violatio ab offensione Dei seruanda non est. 477. & seq.
 Legum veterum & Ecclesiasticarum distinctio. 575. Ecclesiasticae generationis Christianium posita quomodo. 589.
 Legislator vix quomodo. 483.
 Lia quod adumbratur. 172.
 Liberum arbitrium quid. 43. in quo firmiter. 44. non tolli illud officium Des voluntate. 39. vide (Arbitrium).
 Libertas, Latine quid dicitur. 251.
 Libertatis vs tunc consulti desunt. 380. ab usque sumitur pro eo quod est secundum suam libertatem viuere. 261. neque id ad veram libertatem pertinere. 379. & seq. & 550.

Libertas quid ferri dicitur. 417.
 Libertas à Bernardo triplex statuitur. 37. quomodo eam quae est à necessitate, integram manifestat. 40. vide (Necessitas).
 Libertas iustitia, iustitia seruatus dicitur. 280. distinguitur à naturali. 26. eadem in nobis quae Christiana. 611. unde Christiana dicitur. 251. quid sit, quibusque partibus consistat. 252. & sequentibus omnia requirit religionis sinceritatem. 611. consistit omnium virtutum praesidio. 382. inuicti illius & progressus 280. ut distinguitur ea quae nunc est, ab ea quae erat hominum integris. 288. intensior nunc, sed non exterior quam ante lapsum. 290. beatorum futura plenissima. 282. perfecta sine sceleritate non est, neque talem hic contingere. 318.
 Libertas Ecclesiastica quae, & vs diffinitur à Christiana. 84.
 Vera libertatis rationem à Philosophis repetenda non esse. 381. in ea consistenda, tujsissime hereticos lapsos esse. 384. in quo illa ponat Caluinus. 419. 824. sententia respicitur. 560. & seq. non eximii homines ab obedientia diuina Legi praesidia. 387. 427. nec à potestate hominum. 596. & seq. neque est proprie in hac vita ab eo quod molestum esse. 569.
 Libertas à peccato quae. 258. 60. eam hinc esse imperfectam. 282. plenitudinem eius impedit venia. 286. triplex eius status. 393. perfecta non destituit licentiam arbitrium. 294.
 Libertas à diabolo. vide (Dialolum).
 Libertas à seruitute corruptionis propria vita seruata. 835. cur mortis, vita quae huius miseriam Christus in creditibus reliquerit. 837. quae ratione illa ex originali peccato superant. 865.
 Libertatis perditio inuisa. Lib. 4. per totum. elementa non seruatis homini vs velit. 116. timor à lesit. 115. carnis pendendus mortis. 132. aliaque plures partes resallat. 135.
 Libertas amissam nudum homo restituere non potuit. 209. restituit Christus. 164. exemplum & sacramentum. 167. exempli scilicet agnoscit iudaeos, antea, similiter, errore laborat Israeliani. 107. Sententia Dei in hominum liberatione. 219. cur ea sub finem seculorum

facta. 226. 229. & seq. non qui gratiam quidam per duritiam cordis sui reiecturi fuerint. 237. cur homo non statim per Christum integer restitutus 235.

Liberationis pretium cur Deo & non diabolo offerendum fuerit. 87.

Liberati à diabolo, quomodo regerentur in Christo. 300. ut laborantium ne in seruitutem recidant. 311. vide vocem (Christus)

Liber creatus homo; in miserandam seruitutem se precipitauit. 3.

Libertas in corporis dignitate elucet. 3.

Liberi ne fuerint Sancti veteri Testamento. 416. & an Christiana atque Evangelicalis Libertas debeant distingui. 425.

Libertas religionis & conscientia. vide (Religio) & (Conscientia)

Libertas fidei. vide eadem loca. deinde vocem (Fides)

Libera artes quare dicantur. 608.

Lido vitiosa affectio. 139. morbus. 155. nocet sanitati corpori. 152. distinguenda à malis, quae patienter sustinenda sunt. 155. non propter dam vituperanda inuitic. 153.

Ligni vite vu. 108. & seq.

Ludouici X. 11. Francorum Regis vera serua consilia de certis haereticis responsio. 771.

Lumen fidelium fides; & illuminati, fidelit. 331.

M.

Magistrorum officium erga discipulos. 124.

Magistratus Christiani non recens esse inepti calumniatur haeretici. 707.

Magistratus secularis rectè puniit haereticos. 702. quid illi in causa religionis competat. 703. vide supra (Haeretici) & postea (Reges)

Malorum tria genera. 252.

Mala omnia contra naturam. 111. nequie tamen omnia huius vitae malis propter peccatum. 844. eorum causa alii generales, alii peculiare. 846. de malo, vide supra (Afflictio)

Mandata Apostoli, Dei dicta. 481.

Mandata hominum quae proprie, & quae non. 86.

Marie Deiparae Virginis votum. 434.

Mariti affectus & officium erga uxorem. 127.

Martyres non omnia passi sunt propter peccata. 859. adde praecedentia & sequentia in his vitio.

Matrimonia Patriarcharum. 465. clandestina cur abrogata. ibidem. vide (Nuptiae)

Mercedi aeterna intuitu operari, non est seruile. 270.

Mens secundum seipsam viuere non debet, ut nec homo. 381. si libera sit, securum Deum uiuit. 383.

Metu multitudo coercenda. 128. sancti quoque à filiis diti metui appetit. 130. vide (Tmetr)

Miracula quae opera. 187. ea quae Christus est operatus, utilia fuere. ibidem. istae sibi paraui auctoritatem. 186.

Monasteriorum institutorum uarietatem nihil officere Christianae libertati. 402. locus ex Augustino obiectus; quomodo intelligendus. 496.

Monastica uita & solitaria comparatio. 527.

Mori duplex. 97. alia consideratione triplex. 110.

Mors corporis quomodo à Deo. 100. ei corpus elementare non necessario obnoxium ibidem. ab Ambrosio naturalis dicta; nec pro pena, sed pro remedio data. ibid. non semper inferitur intuitu peccati puniendi. 871. ex ea quid boni boni & mali. 112. vide (Seruitus corruptionis)

Motus Christiani ad uiam Sanctorum aliorum. 173.

N.

Necessitas sine coactione. 37. 38. naturalis in brutis. 39.

Necessitatum varia genera, & ex illis quanam nequeat cum libertate creandi consistere. 756. & seq. item quae necessitas, cui libertati opponatur. 760.

Necessitatis quae uoti est utilitas. 141. ea libertati Christianae non repugnat. ibid. nec ea quae precepti est. 142. 177. sed seruile quadam opposita uoluntati. 142.

Necessitas peccati quid. 14. consuetudine

108.

odoratur vel acquiritur. ibidem. non excusat à peccato. 15. non est insuperabilis. 16. non repugnat libero arbitrio. 45. ea in homine peccatore triplex. 16. & seq.

Necessitas concupiscentiae & ignorantiae, cur necessitas appelletur. 759.

Necessitas consecrationis & consequentis. 297.

Niniuratum Rex rectè penitentiam praecipit. 731.

Novatianorum error circa penitentiam. 335.

Nuditas confundens unde. 133.

Nuptiae non sunt damnandae propter libidinem. 153. bona namque sunt, & propter generationem prolis instituta. 154. de his Adam propheticè locutus. 247.

O.

Obedientia uera non est, nisi animus obediat. 650.

Obedientia maius bonum quam continentia. 516.

Obedientia quantum libertatem Christianam promoueat. 524. cur eam quae est in monasteriis, non per seipsum consuluerit Christus, ut paupertatem & continentiam. 526. eius fructus. 528.

Obedientia sine mora quae sit. 529.

Opera bona non omnia precepti, ut ea quae supererogationis dicuntur. 511. & 512. de operibus, Caluini sententia quam perniosa. 567. de iisdem ueterum & nostri temporis haereticorum errores. 609.

Opinio metum habet coniunctum. 333.

Orandi studium homini iusto quam necessarium: & quod orare non delectet, grauissima tentatio. 374.

Orationis elegancium. 376. extra Ecclesiam omnis Deo ingrata. 594. locus eius in septis. 593. quando stando oratur, eiusque significatio. 498. etiam non orantibus, Deus quadam dona concedit. 374.

Origenis error, diabolum uisum non uidere. 353.

P.

Pilea in agro Domitico qui. 671.

Parentum officium erga liberos. 123. eorum peruersus erga filios amor & affectus diuersus. 880.

Parulorum silus attestatur sacramentis uolentibus. 172.

Passiones quae & cur in nobis improbentur. 139.

Patriarcha cur coniugia inierint. 515. eos in ipso coniugio continentia uirtutis in habitu habuisse. ibid.

Patentia peculiariter commendatur exemplo Christi. 195. quam homini necessaria. ibidem.

Paupertatis tria genera. 517. uoluntariam, quae laudabilis sit, ad libertatem conferre. ibid. & seq. communem Ecclesiae possessionem, eius meritum non tollere. 522. de uoto paupertatis. 537.

Apostoli eam uouerunt. 538. uotum eius olim castitatis uoto coniunctum in monachis. 540.

Peccati duplex uinculum. 258. 310. utrumque soluit Spiritus sanctus. 310.

Peccata etiam homines remittunt. 769.

Peccatum quantum per se iudicium. 310. unum altero grauius. 488. etiam in uenialibus. 861. uenialium poena. 860.

Peccatum quomodo hominis naturam mutare potuerit, ut ei dominaretur. 13.

Peccans ut corrigendus. 735. in uindicandis peccatis tria spectauit lex. ibid.

Peccatorum supplicia temporalia non semper auertere possumus. 869. ex illis de peccatorum grauitate non esse certum iudicium. 870. neque supplicia semper inferri, ut peccata non obstant post hanc uitam. 866. & seq. vide (Afflictiones)

Peccatores statim à Deo puniri magni beneficii iudicium. 882.

Peccati necessitas. vide (Necessitas) & Peccati seruitus. vide (Seruitus peccati)

Etiam peccata ad quae compellimur, imputantur. 760.

Pelagiae uirginis commendatio. 617.

Pelagiani emanant Sacramentum redemptiōnis 167.
 Periculum ubi propriū esse dicitur. 552.
 Persuasiones pio facere posse, licet eorum sit eas pati. 744.
 Perseueratio nos esse usque in finem, non est credendum. 318.
 Pertinacia in iis que sunt opinionis, non reddit condemnationi obnoxium. 631.
 Perturbatio motus qualis. 137. morbus animi neque in homine integro futurā, ibidem.
 Petentium nobis quid sit à Deo. 852.
 Petrus Apostolus etiam Apostolus prefessus. 711. eius presbiteria ad successores descendit. ibid.
 Petri Abailardi de diaboli dominio error. 83. & seq. item de Sacramento redemptionis. 169.
 Philosophi ignorarunt verè lileros ac sapientes 382.
 Pœna omnium an vindicta dicenda. 863. nulla, nisi propter culpam. 487. 862.
 Pœnis à Deo immixtis an liceat resistere. 624.
 Potestas vox variè accipitur. 439. cui obedire sit laudabile, cui non. ibid.
 Potestatem ferendi leges, ab Ecclesia suis preceptis Christus non exclusit. 463.
 Potestatis superiorū necessitas. 128. 434. cur alia Ecclesiastica, alia seculari. 446. Ecclesiastica dignior. 248. 452. Vide si & Lutheri circa illum error. 454.
 Potestas in tyrannidem versa, non potest veram obedientiam. 130. vide infra (Preseli).
 Precepta Dei facilia. 512.
 Precepta quæ inuitus faciunt, coram Deo non faciunt. 265.
 Precipi posse, quod nesciamus an obsequetur. 650. & seq.
 Preseli quo animo erga subditos esse debeant, 501. & seq. etiam bonis sepe criminantibus lacerant. 108. quibus vitium plerumque laborent. 717. & seq. ut mali sint, dignitatem nihilominus suam seruant. 108.
 Præmiū dicitur ut negat Bernardus collendum Deum, qui tamen non sine premio diligitur. 178.
 Præmiū liberationis cur Deo, non dia-

bolo, offerendum fuerit. 87.
 Principatus excellentia. 447. vide (Liberi) & Principum item vocem (Reges)
 Promissiones de temporalibus bonis conditio: nitas esse. 870.
 Profubitorum permissio quomodo licita. 780. 827.
 Pudentum quid sit, Deo adscribi non debet. 148.
 Pudenda membra etiam in castis. 135. vide (Libertatis amissa indicia)
 Pugna nulla in corpore humano sine malo. 101.
 Puniens quo animo esse debeat. 734.
 Punire deceptos potest, qui similiter quandoque deceptus est. 730.

Q.

Q. Vagabunda. 581.

R.

Rachel cuius rei figura. 272.
 Ratio non est propriè nisi recta, & secundum eam vivere quid. 381.
 Rector & doctor ut differant. 451.
 Redemptiōnis sacramentum non omnibus iustis veteribus distindit ac per per omnia notum. 170.
 Regenerati in Christo à diabolo liberantur. 300. ita efficiuntur filij Dei, ut non remaneant aliqua ex parte filij diaboli. 303.
 Regnum Christi. 709. regnum mundi huius unde dicitur. 714. ut differant. 709. verusque finis, aliter omque aliter seruire. 713. non opponitur ut ciuitas Dei, & diaboli. ibidem.
 Regnum Christi, licet non sit de hoc mundo, rectè tamen Principum armis defendi. 709. sed in illi propriam & precipuam eius defensionem non esse, in eoque errasse Gentiles. 711. propriam eius defensio in quo 712.
 Regnum generatim Christianis tributum 261.
 Regali potestate exortus & utilitas. 118.
 Regna pietate firmantur, eaque turbata dilabuntur. 418.
 Regum munus pietatis seruire debet. 450. 675. eorum auctoritas, in quamvis partem,

partem, quanta apud subditos. 675. 815.
 Religionem unam esse debere. 809. 621. & seq. ea virtutibus vitam præbet. 611.
 Religio olim coniugio propagata. 516.
 Religionem Catholicam, peculiariter persequitur diabolus. 763.
 Religionis veræ, sed tamen non omnino liberè impedita. 616. in ea non tam hodie infirmorum scandala metuenda, quam malitiosorum contemnenda blasphemie ibid.
 Religionis veritas quomodo tollatur. 611. an vera in Iulian fuerit. 612
 Religionis libertas sano sensu apud Patres accepta. 605. qua sit ea que veraciter talis dici possit. 610. 823. summam esse in celo. 619. nullam esse sine veritate 606.
 Religionis libertatem quam petant heretici. 605. 618. ea munus preparat Antichristo. 763. prolixè deinde quæ dicitur sit, habes 644. 675. 680. 814. minus nunc ferenda quam olim in Iudaico populo. 821. semel introducta quomodo exstirpanda 680.
 Religionis libertatem faciunt heretici, aliam conscientia, aliam exercitij 600. neutram in Republicam admittendam esse. ibidem. & seq. prolixè item 818. & seq.
 fundamentum petite ab hereticis libertati in Religione, quia definita putant ab Ecclesia esse opinionis, & non fidei 624. 807. errare quoque eos qui libertatem opinandi admittunt, sed cui coniuncta sit modestia & studium pacis. 629. atque hac non rectè à Libertate expectari. 630. an ex literatis & eloquentibus, qui Catholici haberi velint, concedenda. 633.
 fundamentum eorum qui negant humanam potestatem subditorum animos ad certam Religionem adstringere posse. 645. aliud, quod suo quisque periculo creat. 654.
 Religionis libertati etiam Principes seculares obistere debere. 674. & seq. nec eos in illo usurpare sibi de Evangelio iudicium aut potestatem in regnum Christi 702. illis quid in causa Religionis competat. 703.

sectarios solam Religionem Catholicam nolle haberi liberrim. 764.
 de Religionis libertate locus Tertulliani, quomodo intelligendus 761. vide vocem (Fides)
 Renouare omnibus ut omnes Christiani debeant. 521.

S.

Sabbathum quid significet 380.
 Sacerdotium ut generatim Christianis tribuatur. 261.
 Sacramentis quidam etiam corporaliter sancti. 817. neque tamen boni lumen. vide ab iis propriè expectanda. 875.
 Sacrificia vera per se ad libertatem non conducunt 421. eorum expiatio vmbriata. ibid.
 Sadducæi non rectè olim toleratos à suo deo. 820.
 Scire quid sit, & in errantes non esse sciendum 733. & seq.
 Samaritani quos presfigurant. 594.
 Sancti quare à peccatoribus persequi se penitens à Deo permittantur. 885.
 Sanctus animi. ultimum eius concordia. 137.
 Sani tales esse debemus, quales nos futuros infirmi profitemur. 884.
 Sapientia cur peculiariter Filio in Trinitate tribuatur. 219.
 Sara quos figurat. 418.
 Satana quid. 90. vide (Diabolus)
 Satisfacti ab Ecclesia alieni. 673. 689. stultè illudant societatem cum Christo. 690.
 Senectus & iuuentus idem hominum statum ab Augustino tributa. 236.
 Septuaginta anni caritatis Babylonicæ, quid significet. 437.
 Seruitus quid. 5. quod Ciceroni. 380. ea ex peccato triplex 4.
 Seruitus sub peccato quæ miserā. 5. necessitas in Scripturis vocatur. 13. etiam ratio. 14. quomodo dicitur vera seruitus. 18. figura eius, ibidem.
 & seq. seruitutem per se homo euadere non potest, sed mutare. 48. qui peccatum fecit, eius peccati in iudicio seruitus est. 258.
 Seruitus principalis hominis sub homine. Non ex conditione natura, sed ex pe-

cato. 116. 120. & post illud necessa-
ria. 123. qua lege ordinata. 130.
Seruitutem animo due res afferunt.
264.
Seruitus sub diabolo & sub peccato co-
harent. 378. ut eam que sub diabolo
est, homo incurreret. 58. ea Dei iudi-
cium est, iusta quidem ex parte homi-
nis, sed non diaboli. 59. ea quinam pre-
manantur. 60. & seq. quanta sit, &
quam lata. 62. in eam quemodo homi-
nem diabolus protaxerit. 65. necessi-
tatem quandam habet, sed tamen vo-
luntaria est. 70. vide plura in voce
(Diabolus)
Seruitus sub regno corruptionis & mor-
tis. 92. eam non esse hominis natu-
rale. 98. vide sit. 101. vide (Mors)
item (Afflictio) & (Peccatorum sup-
plicia)
Seruitutis excutienda ratio ordinata di-
uinitis, non humana vi constituta.
163.
Seruus hominum quemodo non esse no-
luerit Apostolus. 505. & seq.
Seruiter que colat Deum. 273.
Seruitus quemadmodum filiorum. 370.
Serui Ecclesia quemodo Episcopi & Re-
ges. 459.
Signorum olim in carnali populo utili-
tas. 614.
Signa pro rebus quinam habeant apud
Augustinum. 766.
Siluerio intentata calumnia. 803.
Socratis demon. 66.
Spiritus sunt vera substantia. 87. &
seq.
Spiritus seruitutis unde dicatur. 281.
Stabiles in iustitia qui dicantur. 343.
Stoicon non habuisse virtutes liberae. 382.
eos ut secundum carnem vixisse dicat
Augustinus. 383.
Stulti omnes ut serui dicti. 380.
Superbia malum. 528. ea in Angelo la-
pso & homine. qua. 387. 388. pre-
cesit concupiscentiam fructus vitii.
146
Superbia proprie in recte factis cauenda.
321. reprimis eam tribulatio. 878.
Supererogationis opera. vide (Opera)
Symboli Apostolici utilitas: & quo sensu
in eo tota doctrina salutaris dici possit
comprehendi. 626. an nihil aliud cre-

dendum, quam quod si expressum bit-
teatur. 808.

T.

Templa ad orandum recte consi-
tuta. 593.
Templi vnicui Hierosolymitani signifi-
catio. 594. 610. adificationis illius
3. Regum 6. & 2. Esdra 4. significatio.
723.
Tentatio. vide (Iustificatus)
Terra cur homines terrenos significet. 62.
Testamentum vetus unde dicatur. 423.
in seruitutem generat. 266. qui ad il-
lud pertineant. 418. illius homines
quemodo filij dicti. 268.
Testamentum nouum quid. 389. unde
nouum dicatur. 413. 423. & seq. ad
illud qui pertineant. 424.
Testamenti veteris & noui distinctio.
422. 427. 603. ut nouum ueritatis sit
rit prius & posterius. 423.
Testamenti veteris sancti an liberi. 416.
an minus liberi quam noui. 417.
Theodosij de recta fide edictum. 653.
70. illius commendatio. 812.
Timor & dolor non fuissent in homine
integro, licet fuerint in Christo. 138.
Timor duplex. 408. duplicem facit ser-
uitutem. 269.
Timor seruili quis. 267. seruus carita-
tis. 269. 281. 291.
Timor legalis cupiditatem premebat, non
sanabat. 603.
Timor poena concludit ad iustitiam com-
parandam & seruandam. 361. 724.
787. si ubi solus sit, ibi non posse esse
veram religionem, ut nec iustitiam.
725. eiusdem timoris utilitas. 727.
781.
Timor & cupiditas, due ianua, per quas
intrat diabolus. 312.
Timor sanctus futuri seculi quis. 311.
Tortularia spiritualia qua. 877.
Tyrannis non obedientiam veram, sed
odium parit. 130.
Tyranni serui infelicissimi. 131.

U.

Ulterius an futurus tempore innocen-
tie. 162.

Vigi-

Vigilanti error circa voluntariam pau-
peratam. 521.
Vindicta & ultio non nisi peccato debentur.
862.
Violentia etiam ad bonam misericordiam
39.
Virginitas carnis, non quia virginitas, sed
quia Deo dicata, honoratur. 512.
Vires Christiani, fidere per singulos actus
in cruce Christi. 122. & seq.
Virtus quid. 381. si libera est, ei seruit
& quo est. 383. liberam nec Epicu-
reos, nec Stoicos habuisse. 382. & seq.
eiusdem ratio. 611. quemodo in infir-
mitate perficiatur. 891.
Virtutes morales in homine integro, sed
earum in illis aliud quam in corrupto
officium. 141. & seq.
Vitia distinguenda a naturis rerum. 144.
153. 198. assumunt sibi subinde no-
mina virtutum. 678.
Voluntas ut a Caluino libera ponatur.
37. vide (Gratia)
Voluntas bona, sed parua & inualida,
ubi 557.
Votum continentie, paupertatis, & obedi-
entiae, augere Christianam liberta-
tem. 531. bona ex voto facta, Deo gra-

toria. ibidem. & 547. voto facto de
continentia, accedit obligatio ad eam
seruandam. 536. voti quam iuristu-
randi vis maior. 546. eius necessita-
tem non repugnare libertati. 541. ar-
gumenta contra utilitatem votorum
soluuntur. 544.
Vouentes non fraudare, sed ditare se ma-
gno bono. 549. nihil periculi esse in
voti, propter quod debeat vouentium
accusari temeritas. 551. nec pericu-
lum arguere ruina multorum. 555.
nec euentus incertitudinem facere, ut
periculosus & imprudenter voueatur,
aut sub conditione vouendum sit. 554.
verumne sit quosdam continere non
posse, ut id iusta ratione ad voti solu-
tionem protaxatur. 556.
Vouentium permisso ut licita. 780.
Vxor quemodo marito subiecta. 126.

Z.

Zacaria in Euangelio quinam di-
cantur. 693. quam ratione Do-
minus noluerit ea etadiciari. 691.
& seq.

F I N I S.

no 3

APPROQ.

APPROBATIONES.

Opus eruditum, & praealo dignum.

H. Cuyckius,
Apostolicus, & Regius li-
brorum Censor.

Opus hoc de Libertate Christiana, à
principio vsque ad finem diligenter
perlectum, cum ob variam quam in
eo deprehendi eruditionem, tum ob
solidam rerum grauissimarum tra-
ctationem, dignissimum iudico quod
in lucem emittatur.

*Ioannes Clarius, Tungrensis,
S. Theologiae Professor.*

*Libros quindecim de Christiana libertate, au-
ctore Domino Ioanne Lensæo conscriptos, à
me diligenter perlectos, & editione, & om-
nium lectione dignissimos esse censeo.*

Jacobus du Bay, Ecclesiae Colleg.
Diui Iacobi Louanien. Decan-
us, S. Theologiae Professor.

Meo quoque infrascripti iudicio (qui librum
sedulo perlegi) multo cum fructu in lucem
edetur hoc opus: quod testor manu & si-
gno proprio. Antuerpiae hac 31. Decem-
bris, 1589.

Ita testor

*Michaël Hetsoey, Bruegelius,
Sacrae Theologiae Licentiatus, &
Cathedralis Ecclesiae B. Mariae
Antuerpiensis Canonicus, Libra-
rum quoque Censor.*

PRIVILEGII CÆSAREI
SVMMA.

MAXIMILIANI II. Romanorum Imperatoris semper Augusti, publico Edicto cautum & sancitum est, ne quis, cuiuscumque status, gradus, ordinis, aut conditionis fuerit, quacumque sacri Romani Imperij, & ditionis eius fines patent, quacumque probatorum auctorum opera, quosquot vel. hæcenus nondum impressa, vel ab aliis quidem impressa, nouus autem deinceps scholiis, annotationibus aut commentariis aucta & illustrata, Christophorus Plantinus, ciuis & typographus Antuerpiensis, primus typis procuderit, intra proximum sexennium, à prima cuiusque operis aut voluminis editione, vilo pacto eiusdem vel diuersi characteris forma excudat, aut excusa ab aliis, intra eiusdem Maximiliani & Imperij fines vendenda importet, seu quouis modo distrahatur, manifestè vel occultè, sub pœna decem Marcharum auri puri, quarum dimidia fisco Imperiali fraudus vindici, residua vero pars prenominato Plantino cedat, præter librorum ad imitationem impressorum amissionem, quos idem Plantinus, vbi-cumque locorum nactus fuerit, per se, vel suos, ad iuramentum Magistratus loci, vel citra, propria auctoritate sibi vindicare, inq; suam potestatem redigere poterit. In cuius rei fidem ipsi Edicto manu subscripsit, & sigillum. apponi iussit Cæsarea Maiestas. Datum in ciuitate Viennæ Austria, die vigesima prima mensis Februarij, Anno Domini M. D. LXY.

Subsig.

Maximilianus.

Ad mandatum sacra
Cæs. M. proprium

Haller.

SVMMA PRIVILEGII
REGIS HISPANIARVM.

REGIS priuilegio cautum est, ne quis citra voluntatem Christophori Plantini imprimat, aut alicubi impressum importet, venalemve habeat librum cui titulus est, *De Libertate Christiana libri quindecim, auctore Ioanne Lensæo Belliolano, Sacra Theologia Lo-uanij Regio Professore: à die impressionis absolutæ intra sex annos. Qui secus faxit, confiscationis librorum, & grauis multæ pœna multabitur. Vti latiùs continetur in literis Datis Bruxellæ nona Martij, Anno 1589.*

Signat.

I. de Wisse.



ERRATA.

Pag. 110. *versu* 18. quo, *lege* quæ. 117. v. 10. *se. l. seque.* 124. v. 18. *quædam,*
l. quadam. 183. v. 18. *iustum. l. iustum.* 184. v. 22. *pro inobedientiam quod*
est posterius. l. infirmitatem. 207. v. 21. *l. eum.* 217. v. 1. *l. obstricta. Ibidem*
v. 4. l. redintegrationis. 234. v. 15. *de deceret.* 236. v. 4. *l. prouidentia. Ibidem v. 10.*
63. l. 64. 244. v. 26. l. eum. 245. v. 12. *l. incapacibus.* 286. v. 30. *l. concupiscen-*
tiz. 324. v. 5. *l. cœterere.* 359. v. 2. *l. firmitatem* 360. *l. virtute.* 366. v. 31. *lege*
gressus. 382. v. 20. *l. virtutum.* 387. v. 25. *l. pes.* 392. v. 5. *l. nemine.* 394. v. 29.
l. inuenietur. 407. v. 29. *l. sine.* 409. v. 16. *l. peruenientes.* 438. v. 7. *l. 21. 446. v. 6.*
de consensu Euangelistarum, lege quæstionum Euangelicarum. 460. v. 20.
non l. nunc. 476. v. 22. *ratio l. oratio. Ibidem v. 18. l. consensu.* 488. v. 2. *lege*
portionem. 542. v. 4. *l. libertati. Ibidem v. 18. l. consensu.* 488. v. 2. *lege*
559. v. 16. l. indicata. 568. v. 18. *l. satagas. Ibidem v. 32. l. adiphoræ.* 620. v. 35.
legis israeliticæ. 655. v. 9. *l. quod.* 633. v. 29. *l. lege à. 627. v. 6. l. vero.* 628. v. 11.
l. puer. 639. v. 11. *l. confessores.* 669. v. 33. *lege coniungentes.* 672. v. 4. *dele*
quid. 694. v. 31. *l. puri.* 696. v. 9. *l. lenitatis.* 772. v. 22. *l. adhibitam.* 796. v. 21.
lege ad verus. 819. v. 17. *l. impietatis.* 831. v. 17. *l. animositate.* 835. v. 1. *lege*
privilegio. 879. v. 7. *utis, lege duæ,*

